


DE CULTU SANCTORUM
DISSERTATIONES DECEM,

Quibus accessit Appendix de Cruce.


AUCTORE

D. JOANNE CHRYSOSTOMO TROMBELLI BONONIENSI,

Canonico Regulari Congregationis Rhenanæ, & Sanctissimi Salvatoris Bononiæ Abbate.


TOMI I. PARS ALTERA

Complectens Dissertationes duas, idest V. & VI.



BONONIÆ, MDCCXL.

Ex Typographia Laurentii Martelli. *Superiorum Facultate.*



INDEX CAPITUM,

Quæ in hac ſecunda primi tomi parte continentur, cum ſuis argumentis.

DISSERTATIO V.

CAPUT PRIMUM.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

Con-


CAP. XXII.

CAP. XXIII.

CAP. XXIV.

CAP. XXV.

CAP. XXVI.



DIS-

DISSERTATIO VI.

CAPUT I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. IV.



pe-

CAP.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

CAP. XVIII.

CAP. XIX.

CAP. XX.

CAP. XXI.

CAP. XXII.

CAP. XXIII.

CAP. XXIV.

CAP. XXV.

CAP. XXVI.

CAP. XXVII.

CAP. XXVIII.

CAP. XXIX.

CAP. XXX.

CAP. XXXI.

CAP. XXXII.

CAP. XXXIII.

CAP. XXXIV.

CAP.

CAP. XXXV.

CAP. XXXVI.

CAP. XXXVII.

CAP. XXXVIII.

CAP. XXXIX.

CAP.

CAP. XL.

CAP. XLI.

CAP. XLII.

CAP. XLIII.

CAP. XLIV.

CAP. XLV.

CAP. XLVI.

CAP. XLVII.

CAP. XLVIII.

CAP. XLIX.

CAP. L.

CAP. LI.

 *san-*

CAP.

C A P. LXVI.

C A P. LXVII.

C A P. LXVIII.

Vidit D. Aurelius Caſtanea Clericorum Regularium Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. Papa, & Archiepiſcopo Bononiæ.

Die 30. Februarii 1740.

Ad Ad. R. P. Lectorem Publicum Alexandrum Cialli, Ordinis Cœleſtinorum, ut videat, & referat pro S. Officio.

F. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis S. O. Bononiæ.

Vidit D. Alexander Cialli Lector publicus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ in Bononienſi Univerſitate pro S. Officio.

Stante hac atteſtatione. Die 31. Julii 1740.

IMPRIMATUR.

F. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis S. Off. Bononiæ.

DIS-

DISSERTATIO V.

PRÆFATIO.

QUoniam inter eos, quibus adhibitus Sanctis cultus displicet, nonnullos reperi, qui alienationem suam non in cultum ipsum referunt, sed in modos, quibus eum adhibent Pontificii; (quippe illos superstitiosos esse ajunt, & illaudabiles) hinc postquam cultum generatim sumptum tutati sumus, ad modos ipsos singillatim acceptos descendamus oportet, eosque a Protestantium aculeis, atque objectionibus vindicemus: duabus dissertationibus rem totam comprehendentes, quarum primam invocationi, reliquis modis alteram assignabimus.

Invocatio, seu preces porrectæ Sanctis.

CAPUT PRIMUM.

Valde probabilibus monumentis ostenditur, simillima veri eos tradere, qui ajunt, fuisse ab Hebræis invocatos Angelos. Id primum haud improbanda illatione evinci videtur ex cap. 48. libri Genesis v. 16. cujus quidem testimonii explicationes alias afferimus, tum nostram statuimus.

I. PRomovenda nunc est oratio nostra ad pecularia cultus delati Sanctis sive genera, sive argumenta, ideoque ad invocationem, seu preces Sanctis porrectas, quæ inter hujusce cultus argumenta principem locum obtinere videntur. Ab antiquitate exorsi, ad reliquas, quæ de eadem invocatione instituuntur quæstiones, descendemus. Arbitror porro, exempla aliqua extare in Scripturis, quibus probabilis eorum reddatur opinio, qui putant, ab Hebræis Angelos fuisse invocatos. Sane in libro Genesis (a)

(a) Cap. 48. v. 16.

Jacob filiis suis benedicens hæc effatus est: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Desiderium enim vero non leve hic indicatur, ut Angelus pueris his benedicat, cui propterea preces a Jacobo adhibitas fuisse arbitror: neque enim ab invito, aut a neglecto tam grande beneficium sperare potuit.

II. Atqui hæc interpretatio adversarios nostros offendit sic, ut ad illius verisimilitudinem imminuendam studium omne, & conatum contulerint; atque eo demum progressi sunt, ut subsequentes has tres explicationes, quas multo præstantiores, similioresque veri esse ajunt, illius loco substituerint. En illas. Legere possumus *Melech:* qua quidem voce significatur Rex; non *Malach*, uti legunt Hebræi, qui Angelum ibi significatum ajunt. *Melech* porro legunt Samaritani, quorum lectioni congruit sensus, nexusque sermonis. Nempe optat Jacob, ut Rex Pharao, a quo plurima bona, dignitatesque, atque honores obtinuerat Joseph, erga Josephi filios æque benevolus, ac munificus sit.

Sed retine, si vis, vocem *Angelus:* non propterea Angelum invocatum evincis: quando quidem reponere ad hæc facile possumus, fuisse ab Jacobo invocatum Deum, aut certe Christum; nam Deus, & Christus interdum Angeli in Scripturis appellantur: tunc vero hunc sensum habebunt ea verba. Optat enixe Jacob, ut Deus, qui subduxerat eundem Jacob a plurimis, iisque maximis malis, pietatem, ac miserationem suam minime avertat a filiis Joseph. Optat etiam, si vis, ut Christus, *in quo benedicentur omnes gentes*, filiis Joseph benedicat, fientque Christo benedicente auctiores, ditioresque.

III. At age: fac verum Angelum ibi indicari. Cuncta explicas, si dixeris, optasse tum Jacob, ut Angelus perinde Josephi filiis propitius foret, ac sibi fuerat. Hoc tamen desiderium minime coegit Jacobum, ut Angelo preces adhiberet: quot enim optamus, quibus preces non adhibemus? Pluviam crebro optamus, aut aurum: nulli horum deferimus preces. Hactenus adversarii.

IV. At non propterea nostram probationem infirmant. Ne longius faciam, nego præcise, præstantiores esse nostra explicationes illas, quas attulerunt. Primam sic refello. Ab Hebræis omnibus, & jugiter a Doctoribus nostris lectum est *Malach*, ideoque *Angelus*; minime vero *Melech*, seu *Rex*. Cur vero Samaritanorum lectionem

præ-

præferes illi, in quam Synagoga cum Ecclesia concordat? Optavit Jacob enim vero multo majorem, diuturnioremque felicitatem Josephi filiis, quàm quæ a Pharaone tum fortasse sene Josephi filiis tribui poterat, ideoque optavit, ut Angelus mortis expers filiis Josephi benediceret: quippe veram, diuturnamque felicitatem illis contulisset ea benedictio: Angelus nempe suis apud Deum precibus nec levia illis, nec brevi duratura bona impetrasset.

V. Quod porro ajunt, Angeli nomine ipsam Dei essentiam significari posse, nullo, quod ego noverim, exemplo ostendunt. Si qui sunt interpretes, qui aliter sentiant, me inter suffragatores numerare non poterunt: & hic sane expressissime Angelus a Deo distinctus, sejunctusque indicatur. An non versiculo superiore Deum jam invocarat Jacob iis verbis: *Deus, in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei, Abraham, & Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, &c.?* Quamquam vero ab utroque, id est a Deo, & ab Angelo benedictio exoptetur, non propterea dicendus est Jacob parem Deo facere Angelum, sed Deum benedicentem auctorem agnoscens bonorum, quæ ea benedictio ferebat, impetratorem vero Angelum, vulgato loquendi modo utitur, quo scilicet iisdem verbis exposcere consuevimus id, quod optamus tam ab eo, qui veluti auctor beneficia largitur, quàm ab eo, qui impetrat: quam quidem rem cum alibi pertractaverim, (*) hic de ea loqui supersedeo.

(*) Vide differ. 3. cap. 18. §. 10.

VI. Non equidem abnuo, præclaros viros sensisse Christum Angeli nomine significari. In Christo scilicet *benedicentur omnes gentes*, & præsertim Jacobi posteri. At eorum auctoritas, quantumvis summa, nondum coegit me, ut (quod ad eum, de quo nunc agimus, locum attinet) huic interpretationi subscribam. Præfero nempe adhuc eam, quæ verum Angelum a Jacobo hic significatum putat: neque enim dixit Jacob: *in Angelo* (id est, ut interpretantur, in Christo) *benedicantur*: sed dixit: *Angelus benedicat*. Porro Christus tantummodo promissus, & longum post tempus futurus, tum benedicere non poterat, sed tantum benedictio impertiri poterat in nomine Christi futuri. Angelus itaque verus (quod modo diximus) intelligitur, is nempe, in cujus præsidio, tutelaque fuerat Jacob: qui parem Josephi filiis felicitatem o-

ptat, ideoque ab Angelo, ut illis benedicat, exposcit. Levissimum autem, & inopportunum est illud, quod postremo loco adjunxerunt, multa scilicet optari, quibus preces non adhibemus. Aliud profecto est, aliquid optare; aliud, optare ab aliquo, qui si sensu, & ratione est præditus, rogari fortasse volet. Hoc modo, qui honores, & divitias optat, non divitias ipsas, aut honores rogat, ut eas consequatur, sed tamen sine precibus raro consequitur a Principe: orari enim plerumque volunt Principes, tum etsi benefici, & ad benemerendum proclives.

CAP. II.

Duo libri Job loca Patrum auctoritate confirmata; Nicolai quoque de Lyra, & recentiorum Judæorum testimonia ad eandem persuasionem comprobandam afferimus.

I. Liber Job, si nos non fallit Virorum optimorum sententia, aliud minime futile ad id, quod agimus, argumentum subministrat: quippe versiculo primo capitis quinti sic Jobum alloquitur Eliphaz. *Voca, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere.* Hunc nempe sensum aut expresse habent, aut certe non incommode suscipiunt ea verba. Ut imbecillitatem tuam, & crimina agnoscas, sciasque, quàm immani intervallo a Dei sanctitate distes, agesis, Sanctum Angelum invoca, & intelliges, num te dignum judicet, cui respondeat. Sane Augustinus haud obscure interpretationem hanc indicat, atque adeo etiam approbat (a) hæc elocutus. *Invoca autem, si quis tibi respondeat. Illis enim respondetur, qui mundi sunt coram Deo. Etenim stultum perimit ira: indignatio, qua quisque angitur, tamquam inique sibi aliquid acciderit, dum non cogitat usque adeo se immundum esse coram Deo, ut invocanti non Angeli respondere, aut se demonstrare dignati sint.* Suffragatur huic interpretationi Polychronius (b) hæc effatus. *Quod si recta ea esse putes, quæ dispersisti, agesis; sententiæ tuæ comitem mihi profer aliquem: sed nimium ea es usus orationis asperitate, ut nec Angeli conspectu dignandus sis, si eum invocaris.*

II. Quod si Augustini nuper allegati auctoritas persuadere te poterit, ab Jobo ipso Angelos expresse invoca-

(a) in libro annotatio. in Job.

(b) in catena Græca Comitoli in locum hunc.


tos fuisse, fatearis necesse est: quippe (c) ad verba illa capitis XIX. vers. 21. *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*, hæc eloquitur: *Angelos* videtur *postulare, ut pro eo deprecentur, aut certe Sanctos, ut pro pœnitente orent*.

(c) in annotatio. in librum Job.

III. Accedit ad eandem interpretationem Nicolaus de Lyra hebraicarum consuetudinum, & opinionum haud ignarus, sic versiculum illum interpretans. *Si non confidis de tuis meritis, de quibus non videtur, quod debeas confidere propter malitiam tuam, deprecare unum de Sanctis Angelis, ut intercedat pro te*.

IV. At etiam recentiorum Judæorum auctoritatem hac in re adducere, non abre sane erit: constat enim multa, quæ in suis precibus recitant, desumpsisse ex veteribus in patriis ritibus, & in avitis persuasionibus sollicite instructis. Porro ex eo libro, qui sic inscribitur (*) *Ratio se se subjiciendi justitiæ* (divinæ), (qui quidem liber est editus Mantuæ anno 5475.) hæc recitant. *Angeli pacis egredimini in occursum* (*defuncti*) *portas paradisi voluptatis referate illi, atque pacem adventui ejus denunciate*. Rursus in quodam precationum libro sic edocentur rogare Angelos. *Angeli misericordes ministri Dei altissimi placate, quæsumus, faciem Dei optima deprecatione: fortasse miserebitur populi egeni, & inopis*.

(*) hæc vero annorum numeratio respondet vulgatæ Hebræorum Æræ.



CAP.

CAP. III.

Ab adversariorum solutionibus, vindicamus ea, quæ superiori Capite adduximus.

I. Restant, ad eam, quam superiori capite comprobavimus, persuasionem accuratius illustrandam, ea dissolvenda, quæ objiciunt, quæque denique eo referuntur, ut Scripturarum testimonia a nobis allegata, explicationesque illis adhibitas eludant. Sic porro disserunt. Dubitare omnino non possumus, utrum aliter explicari commode queant ea verba, quæ primum ex Jobo allegata sunt. Hanc profecto interpretationem facile excipiunt. *Si ita, uti dixi, non est, postula si potes, qui tibi respondeat: aut ex quo inter eos Sanctos, qui fuerunt in terra, hæc audisti.* Plana procul dubio explicatio ista est, & præclaros patronos habet: ideoque eam merito præferemus illi, quæ capite superiori allata est. At age: egregia illa sit, & laudatissima. Inopportunus adhuc, ineptusque ad id, quod agimus, evincendum est locus ille: quando quidem Eliphazi, non Jobi verba exprimit. Eliphaz vero imperitas, absurdasque sententias non raro effutiit.

II. Aliò porro pertinet locus Jobi alter. Verba ejusdem Jobi deprecantis amicos, quos tum alloquebatur, is continet: rogat nempe Job amicos, ne contumeliis, & maledictis suis dolorem, quo Deus illum cruciabat, augere pergant. Cur vero Nicolai de Lyra, & recentiorum Hebræorum proferuntur sententiæ, quando quidem constat, hos ad faciendam fidem minus idoneos esse? Hæc adversarii.

III. Qui tamen falso existimant, nos terreri ab his posse, removerique a sententia. Laudabilem, si tu vis, esse fateor eam explicationem, quam Eliphazi verbis adhibuisti. At laudabilis ea etiam est, immo, nisi fallimur, laudabilior, quam ego adduxi: non modo quia plana est, expedita, & litteræ rigorem servans, non modo, quia patronos habet præstantissimos inter Catholicos; verum etiam quia ab Hebræis magni nominis proposita est. Unum profero, sed notissimum, Rabbinum Moysem, cujus interpretationem exscribit, approbatque Vir summus Steucus Eugubinus (a). En illam. *Voca in hac tua lamentatione, in hac disceptatione, qui tibi opem ferat verbis suis, & ad*

(a) In locum hunc.

& ad aliquem e Sanctis vertere, ut tibi respondeat. At Abraham, etsi te (inquit) *putas, attollisque te tanquam justum aliquem, si justus tibi, sicut dixisti, videris, nec te meruiße hæc supplicia putas, voce ingenti inclama, si sit, qui tibi ex supernis creaturis respondeat, vel ad aliquem e Sanctis vertere.*

IV. Protulerit porro, si libet, verba hæc non Job, sed Eliphaz Jobi amicus. An ideo non modo reprehendenda ipsa, verum etiam reprehendendum id omne est, quod illa connotant, & ad quod respiciunt? Minime vero. Immo commodum non leve ex his eruitur: ostenditur scilicet apertissime ex iis, quanam tum persuasione homines detinerentur. Jam me verto ad postremum.

V. Non ad amicos presentes verba ea direxisse Jobum, sed ad Angelos, & ad Sanctos eorumque subsidium, ac preces poposcisse, simillimum veri judicavit Augustinus, cujus jam verba allegavi. Sequor itaque vestigia Doctoris præstantissimi, dum ea ad Angelos, & Sanctos invocatos refero, non ad immites amicos Jobi. Augustini vero auctoritas, præsertim quum illi accesserit Rabbinorum etiam suffragium, tam magna est, ut præferre Sancti Doctoris interpretationem possimus explicationibus iis, quas alii minime ceteroqui contemnendi Doctores afferunt. At ad hæc te minime compello. Mihi satis est, simillimam veri esse sententiam eorum, qui ajunt, Sanctos Angelos fuisse ab Hebræis invocatos. Id assequor, si Augustinum, & alios, quos protuli, ejusdem sententiæ patronos habeo, & suffragatores.

VI. Non temere sane Augustino, aliisque, quos antea protuli, adjunxi Nicolaum de Lyra, & recentiores Hebræos. Enim vero in veterum Hebræorum ritibus, & persuasionibus, eos imperitos esse, minime reor, immo vero eosdem ritus, & persuasiones calluisse, & nuper innui, & valde probabilibus argumentis conjicimus. Hi itaque satis idonei testes erunt, dum tu non probas, ab invocandis Angelis alienos fuisse Hebræos: hæc quippe jurisprudentium cautio est, & regula haud dubia, ut in verisimili causa, negante nemine, affirmantibus paucis, præsertim si excellentes ii sint, & præstantes, fides adhibeatur.

CAP.

CAP. IV.

Non contemnendis argumentis inniti eos, qui ajunt, Sanctos mortuos ab Hebræis fuiße invocatos: quorum quidem opinionem ab objectionibus tuemur.

I. Ex iis, quæ superioribus Capitibus disputavimus, judicium ferte de eorum opinione, qui ajunt, Sanctos mortuos ab Hebræis fuisse invocatos. Etenim si Angelos deprecari, atque invocare interdum saltem consueverunt, cur deprecatos fuisse, atque invocasse Sanctos mortuos denegabis, iis fortasse ad id urgentibus rationum momentis, quæ cum alibi exposuerim, hic referre supersedeo? Quod si positiva ipsa, atque expressa argumenta produci optas, parebo libens. Noverant (quod alibi ostendi) Hebræi, Sanctos pro populo superstite intercedere, curam suorum gerere, eosque adjuvare precibus, atque interventu apud Deum. Cur itaque eosdem Sanctos deprecatos non fuisse, neque invocasse, neque eorum opem poposcisse dices? Quid quod Augustini auctoritas cogit nos, ut a Jobo invocatos dicamus Sanctos? Juvat hic repetere verba Augustini, quæ nuper retuli: *Angelos videtur postulare, ut pro eo deprecentur, aut certe Sanctos, ut pro pænitente orent*. Neque ab re erit hic quoque producere verba Rabbini Moysis, quæ nuper allegavi. *At Abraham &c.* expresse enim Sanctorum invocatio in his traditur.

II. Adjunge & hæc. Si fidem meretur aliquam is, qui Epiphanii nomine latitans, Prophetarum vitas græco sermone descripsit, ab Hebræis preces adhibitas ad Ezechielis tumulum ex eo intelligimus: quippe hæc, interprete Petavio, enarrat. *Jacet Vir Sanctus in Syrorum regione, ac multi ejus ad sepulcrum orationis causa confluere solebant*. Quod autem de Judæis hæc eloquatur, statim edocet, miraculum describens, cui concursus Judæorum ad Ezechielis tumulum convenientium occasionem præbuit. Atqui si *orationis causa* ad Ezechielis tumulum confluebant, vel propterea id faciebant, quod preces suas Ezechieli deferebant, vel Deo quidem deferebant, sed Ezechieli, ut ita loquar, commendatas, concreditasque. Id autem vel ipsissima est invocatio, vel aliquid ita invocationi affine, & conterminum, ut ab ea sejungi nequeat.

III. Minus tamen opinio hæc arridet quibusdam gravi-

vibus, & litteratissimis Viris. Hi nos ex eo potissimum impetunt, quod nullum extet hujusce invocationis probabile argumentum. Tam & si enim (inquiunt) fateamur, persuasos fuisse de Sanctorum mortuorum apud Deum interventu, & precibus fusis Hebræos, non ex eo eruitur, invocatos fuisse eosdem Sanctos, præsertim quia in sinu Abrahami veluti in carcere quodam detinebantur, illorumque notitiæ res nostræ prorsus subductæ erant. Ea vero argumenta, quæ attulimus, tantas non habent vires, ut eam opinionem probabilem reddant. Sane ea displicuit Bellarmino, cujus vestigia recentiores plerique persequuntur. En quæ ille adversus eandem opinionem profert: (a) ,, Notandum est, quia ante Christi adventum Sancti, qui moriebantur, non intrabant in Cælum, nec Deum videbant, nec cognoscere poterant ordinarie preces supplicantium: ideo non fuisse consuetum in Testamento veteri, ut diceretur: *Sancte Abraham, ora pro me*: sed solum orabant ejus temporis homines Deum, & allegabant merita Sanctorum, qui jam obierant, ut illis ipsorum orationes juvarent.

IV. At memineritis volo, non contemnenda argumenta fuisse a me appellata ea, quibus opinio, de qua disserimus, innititur; minime vero fuisse a me dicta inenodabilia, aut certam fidem efficientia. Quis porro ea contemnat, quæ protulimus præeunte Augustino, subsequentibus Rabbi Moyse, & Steuco, cujus quidem Commentaria in Jobum laudatissima sunt, & præstantissima? Eam autem verisimilitudinem, quam huic sententiæ allata argumenta conciliant, minime infirmat notitia rerum mundanarum dempta animabus in sinu Abrahæ degentibus: quid enim prohibebat, ne ea, quæ naturæ vi nosse non poterant, Angelico nuncio, aut Deo revelante nossent? Et sane, Hebræos in ea fuisse sententia, quæ censet, res nostras a Sanctis mortuis nosci, apertissime conjicis ex eorum Talmud, ad quem quidem librum te allego. (b) Ii vero, qui res nostras noscunt, nobisque ferre subsidium possunt, cur invocari non poterunt? Ad hæc: jam pridem ostendi, (c) & deinceps etiam ostendam, minime necesse esse, ut nostra noscant ii, qui invocantur. Hic porro postulare id merito possumus, quod haud indiligenter post hac etiam edisseram.

(a) Lib. 1. de Sanctor. beatitudine cap. 19. in ipso fere capitis exordio.

(b) Vide Talmud editum Francofurti anno, ad Æram Hebræorum, 5481. pag. 18. capite 3. Berachot.

(c) Vide differt. 3. cap. 27. num. 2. & cap. 38. n. 6.

CAP. V.

De antiquitate hujusce consuetudinis apud Christianos. Probabilibus monumentis ostendimus, non modo a recentioribus, verum etiam ab antiquissimis Christianis, Angelos fuisse invocatos. Post allegata notissima Acta S. Cæciliæ, primo Origenis testimonium proferimus, tum quæ ad illud eludendum ab hæreticis adducuntur, exponimus.

I. ANtiquitatem hujusce consuetudinis ut ostendant, confugiunt nonnulli ad eam S. Cæciliæ vitam, quam plerique putant a Simeone Metaphraste fuisse editam, in cujus fere initio hæc extant: (*) *Orans Cæcilia se ipsam commendabat Domino, precibus Angelos Domini invocabat, lacrymis precabatur Apostolos.* At quoniam non admodum gravem fidem obtinuit hæc Metaphrastis narratio, ad certiora me verto.

(*) Extat in collect. Surii tom. 6. pag. 547.

II. Origenis itaque homiliam primam in Ezechielem affero. Etenim S. Hieronymo interprete hæc eloquitur Origenes. (*) *Omnia Angelis plena sunt. Veni, Angele, suscipe conversum ab errore pristino, a doctrina dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, & suscipiens eum quasi medicus bonus confove, atque institue: parvulus est, hodie nascitur, senex repuerascens, & suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem.* Sane hic Origenes Angelos expressissime invocat, eorumque opem alteri, converso nempe ab errore pristino, exposcit. An ad antiquitatem ejusdem invocationis apud Christianos comprobandam apertior fingi poterat locus?

(*) pag. 889. t. 5. novæ edit. S. Hieronymi.

III. At age sis, quoniam antiquitatem Catholici moris ex manifesto Origenis testimonio evicimus, ea refellamus, quæ ad illud eludendum tum adversarii reliqui, tum præsertim Bochartus congerit. (1) En statim illa, ad certa quædam probationum capita deducta: ex his

(1) Epistola, seu Dissertatione prima in eo opere, quod ad hunc modum inscribitur: *Dissertations sur differens sujets composées par Mr. Huet.*

his nonnulla homiliam integram, alia testimonium nuper allegatum tantum modo impetunt. Sic porro differunt qui homiliam ipsam oppugnant. Unde compertum habes, ab Origene compositam fuisse illam homiliam, quam Græcam non habemus? An quia Origenis nomen habet in fronte? Sed quot libris veterum Patrum nomen præfigitur, & tamen ab iis editi non sunt? Consuevere scilicet veteres librarii, ut existimationem libris a se scriptis conciliarent, magnorum virorum eos nomine decorare, iisque supponere auctoribus, a quibus postea Criticorum diligentia abjudicavit. An quia novimus quasdam in Ezechielem ab Origene compositas homilias, ab Hieronymo fuisse in latinum conversas? At unde scis, eas ipsas esse, quas nunc habemus? Multa sane ab Augustino, a Hieronymo, & ab aliis etiam probatissimis Doctoribus exarata fuere volumina, quibus nunc caremus, & eorum loco evulgata sunt a scitulis quædam Opera, eodem tamen præposito titulo, quo fucum indoctis facerent. Porro hujus generis eas esse homilias in Ezechielem, quæ Origeni auctori, & Hieronymo interpreti tribuuntur, variis rationum momentis conjici potest. *Zabuli* vocabulo in eadem prima homilia barbarus interpres utitur. (2) *Quando auferantur de Zabuli manu, quando regenerentur a Christo &c.* quod informe vocabulum licet veteres nonnulli adhibeant, ab eo tamen Hieronymus solertissime cavet. Vox quoque *Sacratim*, & *Sacrate* in ea occurrunt, (3) quas sane illaudabiles voces Hieronymus constanter evitat. Etiam ineptissimæ Hebraicorum nominum interpretationes perspicue ostendunt, neque Origenem, neque Hieronymum harum homiliarum esse auctorem. Vox *Ezechiel* eo judice significat *imperium Dei*. (4) Vocabulo *Chobar gravitudinem* (idest gravitatem) significari ait: (5)

(2) Pag. 889. tom. v. Rursus pag. 893. *Qui eradicet hæreticorum semina, & doctrinam ex Zabuli fonte manantem:* & pag. 895. *Zabulus, qui est vere durissimus ventus*; & pag. 880. *auferantur de Zabuli manu*.

(3) *Audi voces tormenta patientium, quomodo sacratim, & in cruciatibus suis clementiam Dei eloquantur*. pag. 879. *Gravis autem hujusce sæculi fluvius, sicut et alibi, sacrate dicitur* pag. 887.

(4) *Interpretatur quippe* Ezechiel *imperium Dei*. pag. 885.

(5) *Et ego eram .... juxta fluvium Chobar, quod interpretatur gravitudo*, pag. 887. Et mox; *Secus flumen istud gravissimum sæculi*.

quæ tamen interpretationes, uti diximus, ineptissimæ sunt.

IV. Atque ut in eadem homilia prima, de qua præsertim agere nobis positum est, consistamus: quis hisce Patribus tribuat verba illa sub finem homiliæ posita: *Aquilo violentissimus ventus, quem alio nomine dextrum vocamus*? (pag. 895.) Hebræi sane, quorum Geographiam hic sequi cogitur Origenes, aquilonem sinistrum, austrum vero e regione flantem dextrum habent, appellantque. Idem etiam auctor de Jesu Christo hæc pronunciat, pag. 885. *Præsertim cum nativitas illius non ex semine viri, & mulieris somno convenienti esse credatur, sed juxta prophetiæ eloquium dicentis: Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Quem, boni superi, sensum habent verba illa *mulieris somno convenienti*? Prorsus nullum: ideoque indigna sunt, quæ vel Origeni, vel Hieronymo accuratissimis scriptoribus adscribantur. Quid quod se ineptissimum esse prodit scriptor iste, quisquis is est, ideoque alium prorsus ab Origene, & Hieronymo, dum hæc tradit? (*) *Novus annus imminet jam Judæis, & primus mensis apud eos a novi anni numeratur exordio. Agitur autem Pascha de numero novi anni. Principium mensium iste vobis erit in mensibus anni. Ab hoc anno numera mihi quartum mensem, & intellige baptizatum Jesum in quarto mense novi anni: eo enim mense, qui apud Romanos Januarius nuncupatur, baptismum Domini factum esse cognoscimus, qui est mensis quartus ab anno novo juxta supputationem Hebræorum*. Quibus quidem verbis quædam monita comprehenduntur, e quibus alia tam levia, & putida sunt, ut ad Origenem referri nequeant, alia vero ex parte obscura, & implexa sunt, ex parte etiam falsa. Enimvero, si ea verba ita interpreteris, (quæ facilior, planiorque explicatio est) ut a primo mense annum inciperent Judæi, leve est, & putidulum monitum illud. Secus ne fieri id poterat, & annus est aliquis, qui non a primo mense exordiatur? Sed adhuc leve est, & putidulum, si ea verba accipias, ut ajunt Grammatici, *ad litteram*, & mensis exordium ab anni exordio desumas: quamquam etiam obscurum illud est, atque implexum: consuevit enim annus incipere a novo, seu primo mense, non primus mensis ab anno novo. Sed procul dubio obscurum, implexumque id est, quod his verbis de Paschate enunciatur: *Agitur autem Pascha de numero novi anni*. Ubinam gentium hic loquendi modus usitatus est, quidve ex-

(*) pag. 886.

exprimit? Falsum est autem, quod de modo inveniendi mensem, in quo Christus baptizatus est, ait: numerandos nempe esse quatuor menses post primum, & eo computo inveniri Januarium, quo quidem mense baptizatus est Jesus. *Ab hoc anno numera mihi quartum mensem &c.* nam certe quartus post Nisan, is mensis est, quem Junium, aut Julium dicimus, minime vero is, quem Romanorum morem secuti, Januarium appellamus.

V. Quod si loqui Origenem dicas non de anno Ecclesiastico, qui Vere, & a mense Nisan incipiebat, sed de civili, cui Autumnus præbebat initium: tum verum id est, quod hic traditur, scilicet a mense Tisri, quo hic annus exorditur, ad Januarium usque quatuor menses fluere; nam a Septembri, qui fere respondet mensi Tisri, ad Januarium usque quatuor menses fluunt. At tum in alium offendis scopulum, & adhuc falsitatis redargueris. Quis enim anni exordium desumens ab autumno, collocet Pascha in parte novi anni, adeo ut appellari possit Pascha *de numero novi anni*? Sex fere prætereunt menses ab autumno, quo civilem annum incipere diximus, ad Pascha, quod tum propterea ad novum annum pertinere non potest. Falsum est etiam, consuevisse Hebræos ab autumno annum incipere: *ab anno novo juxta supputationem Hebræorum:* nam procul dubio postea quam Moyses ab Vere annum eos exordiri jussit, veterem supputationem, & vetustum anni exordium dereliquerunt, & a Vere ejusdem anni primordia desumpserunt.

VI. His robur addite ex eo, quod iste scriptor, se manifesto mendacem prodit, dum homilia prima indicat, quod homilia quarta expressissime docet, Britanniam nimirum, & Mauritaniam, immo omnes Mundi provincias, falsorum numinum superstitione relicta, unius Dei cultrices, ideoque Christianas fuisse effectas. (6) Quis porro adeo desipiet, ut Origenis tempore non modo eas, quas diximus, scilicet Britanniam, & Mauritaniam, verum omnes omnino Mundi provincias Christi fidem amplexas fuisse arbitretur? Hactenus argumenta, quæ homiliam integram impetunt.

CAP.

(6) *Ut juxta nos aliquod ponamus exemplum, collectiones istę non solum in Ælia, non tantum Romę, non in Alexandria, sed in omni semel Orbe similitudinem referunt sagenæ, quę ex omni genere piscium capit.* homilia 1. pag. 891. Quando

CAP. VI.

Eadem argumenta dissolvere incipimus. Illius, quam allegavimus, homiliæ, earumque decem & octo in Ezechielem, quas latinitate donatas etiam nunc habemus, auctorem Origenem, interpretem vero Hieronymum tum ipsius Hieronymi, & Rufini testimonio, tum probabilibus aliis & argumentis, & conjecturis evincimus.

I. PErquiris, unde compertum habeo, eam, de qua differimus, homiliam ab Origene fuisse compositam, & a Hieronymo in latinum conversam. Ego contra requiram, unde compertum habeas tu, diversum ab Origene auctorem, & interpretem Hieronymo multo deteriorem habere hanc homiliam; quandoquidem si auctoritatem attendas, hæc perinde Origenem auctorem, ac Hieronymum harum omnium homiliarum interpretem esse declarat. Etenim si Dallæum, & Bochartum excipias, aliosque fortasse paucissimos, reliqui omnes opus ipsum Origeni, interpretationem vero Hieronymo tribuunt. Eminent inter hos Erasmus, & Huetius, quos procul dubio Dallæo, & Bocharto prætulerim. Ad alia quoque argumenta quod attinet, his ipsis quoque moveor, ut Origeni homilias, interpretationem vero Hieronymo adscribam. En quibus moveor. Nomen Origenis veluti auctoris, Hieronymi vero veluti interpretis habent hæ homiliæ viginti & octo omnino, e quibus quatuordecim selecta quædam Jeremiæ loca, reliquæ quatuordecim selecta pariter quædam Ezechielis loca illustrant, explicantque. Nemo vero ex veteribus alterius Scriptoris nomen huic Operi præfixit. Manent itaque, ut ita loquar, in antiqua illius possessione Origenes, & Hieronymus, primus scilicet veluti auctor, alter vero veluti interpres, & in ea constanter manebunt, donec firmissimis, atque inenodabilibus argumen-

do enim terra Britanniæ ante adventum Christi, unius Dei consensit religionem? Quando Terra Maurorum? quando totus semel Orbis? nunc vero propter Ecclesias, quę Mundi limites tenent, universa terra cum lętitia clamat ad Dominum Israel, & capax est bonorum secundum fines suos. homil. 4. pag. 917.

mentis non eviceris, ab ea possessione eos esse exturbandos: consensere enim viri docti, demi non posse librum scriptori illi, cui codices omnes tum typis editi, tum manu exarati tribuunt, nisi si validissimis momentis innotescat, ab eo Scriptore eum librum esse abjudicandum.

II. Quid quod Hieronymus ipse haud leve momentum ad eandem persuasionem comprobandam subministrat, dum de Scriptoribus Ecclesiasticis sermonem habens, viginti & octo Origenis homilias super Jeremiam, & Ezechielem a se latinitate donatas fuisse testatur? (7) Porro hic numerus respondet omnino numero illi homiliarum, quas habemus: quatuordecim scilicet in Jeremiam, totidem quoque in Ezechielem habemus. Idem repetit in præfatione præposita iisdem homiliis, quæ præfatio ad Vincentium presbyterum directa est (8).

III. Quod vero illæ ipsæ homiliæ sint, de quibus nunc agimus, & ea momenta, quæ nuper attuli, evincunt, & id discimus etiam ex Rufino: quippe numero, seu capite XIII. libri secundi invectivarum, non modo expresse earum meminit, verum etiam locum allegat ex præfatione præposita iisdem homiliis, & procul dubio cum iis conjuncta: quem quidem locum ipsissimo nunc modo legimus, atque a Rufino allegatur.

IV. Accedit ad hæc ea locutionis ratio, quam in his homiliis vertendis se servasse Hieronymus ait, & quam procul dubio in hac interpretatione conspicimus: ab eo quippe scriptore factam esse constat, (*) *qui magnopere curet, ut idioma supradicti viri a simplicitate sermonis, quæ sola Ecclesiis prodest, etiam translatio conservet, omni Rhetoricæ artis splendore contempto.*

(*) In Prologo ad Homilias Origenis in Jeremiam. & Ezechielem a se versas pag. 741. tomi 5. novæ edit. S. Hieronymi.

V. Et hæc quidem comprobant, Origenem has exarasse homilias; eas vero latinitate donatas fuisse ab Hieronymo: at aliunde etiam dignoscis, quis quis earum interpres extiterit, qui procul dubio valde laudabilis fuit, eas ab Origene prodiisse. Sane nemo citatur ex eis, qui æta-

(7) In libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 135. idest postremo, hæc verba extant. *Hæc scripsi . . . . . . in Jeremiam, et Ezechielem homilias Origenis viginti octo, quas de græco in latinum verti.*

(8) *Itaque post quatuordecim homilias in Jeremiam, quas jampridem confuso ordine interpretatus sum, et has quatuordecim in Ezechielem per intervalla dictavi.*

ætate subsecuti sunt Origenem: neque tam & si in hæreses sæpissime declamet, easque reprehendat, & damnet; ullam ex iis exagitat, quæ post Origenis tempora Ecclesiam vexarunt. Hoc modo homilia prima in Jeremiam Cerdonianos, Basilidianos, Valentinianos, Marcionitas, aliosque horum similes corripit, & redarguit. (a) Rursus id agit homilia nona ejusdem tituli, (b) & homilia prima in Ezechielem, ubi Docitas, seu ut alii appellant, Docetas etiam redarguit. (c) Deinceps quoque adversus hujus generis hæreticos verba facit homilia tertia in Ezechielem; & fortasse etiam alibi: at neque in Arianos, neque in alios quoslibet posteriores hæreticos exacuit stylum, id facile, facturus, si hos novisset.

(a) pag. 757.
(b) pag. 826.
(c) pag. 882. & rursus pag. 885. & rursus etiam 893.

Iisdem etiam, quibus reliqui Origenis libri, opinionibus, & explicationibus hæ homiliæ respersæ sunt. Capite primo libri primi de principiis Deum ignem urentem facit, sed qui non ligna, & materiam corporalem, sed peccata exurat, & pravas affectiones: quod repetit homilia secunda in Canticum Canticorum, (*) si tamen Origenis ea est. (9) Atqui id ipsum occurrit homilia prima in Ezechielem. (d) „ Deus noster (inquit ille) ignis consumens „ est. Quid consumit ignis iste? Non ligna, quæ cernimus, „ non sensibile fœnum, non stipulam, quæ videtur, sed si „ superædificaveris fundamento Jesu Christi opera peccati „ ligna, opera peccati fœnum, opera peccati inferiora, sti„ pulam; venit ignis, & universa ista examinat.

(*) Ante medium pag. 580. editionis Basiliensis Frobenii 1557.
(d) pag. 882.

VI. Norunt quoque omnes, quantum libertatis humanæ vires, potestatemque celebrarit, commendaritque Origenes, adeo ut eam ob causam plerosque offenderit, perinde quasi dum plus æquo humanum arbitrium extollit, vires gratiæ, necessitatemque deprimat. In his porro homiliis humani arbitrii potestatem, & vim extollit, veluti in ipsa prima in Ezechielem homilia, dum hæc ait. (e) „ Liberum arbitrium & homini, & Angelo ad uni„ versa permisit. Hic jam intelligendum est, quo modo „ per arbitrii libertatem alii ad bonorum conscenderint „ summitatem, alii corruerint in malitiæ profundum. Tu „ ve-

(e) pag. 884.

(9) Tamen Erasmus, aliique haud ignobiles Critici quatuor homilias in Canticum Canticorum dementes Origeni, hanc ipsam illi demunt, quæ, uti diximus, in harum numero secunda est.

„ vero, homo, quare non vis arbitrio te tuo derelictum?
„ Quare? Ægre fers niti, laborare, contendere, & per
„ bona opera te ipsum causam tuæ fieri salutis?

VII. Nonne etiam Origenes Viris probis displicuit; quod pœnas damnatorum æternas esse negaverit? Tamen in his ipsis homiliis propendet in hanc sententiam, si non eam etiam edocet, & expresse tradit. Propendet sane in hanc sententiam homilia quarta in Ezechielem sub finem, & rursus homilia x. ejusdem tituli (10).

Putatur etiam eandem edocuisse sententiam homilia XII. (*) in Jeremiam, dum hæc ait. „ Repromissiones legimus, & post prospera repente tristia prædicantur. Et „ *retribuam*, inquit, *illis primum duplices injustitias eorum*: necessario appositum est primum: primum quippe propter „ injustitias tormenta perpetimur, *deinde propter justitiam* „ *coronamur &c.* Sed quidquid alii putent, eam sententiam hoc in loco expresse tradi non puto: possunt quippe Origenis dicta vel referri ad pœnas temporales, quas subire coguntur pœnitentes, ut per has expiati beatitudinem consequantur, vel ad pœnas eas, quas post mortem subeunt in purgatorio justi, peccatorum reliquiis polluti: quam etiam explicationem tribuo quibusdam verbis Origenis in homilia quinta & trigesima in Lucam positis.

(*) pag. 862.

VIII. Merito etiam in reprehensionem doctorum incidit idem Origenes, quod non modo animata, verum etiam meriti haud expertia fecerit elementa, & stellas. Vide quæ tradit Huetius libro secundo Origenian. quæst. 8. & 10. Aperte tamen hanc sententiam mihi videre videor homilia quarta in Ezechielem (11).

(10) *Ajunt Hebræi, Sodomam in eumdem statum restituendam, in quo & antea constitit, ut rursum paradiso Dei, et terra Ægypti comparetur. Si hoc ita se habet, et sive futurum est, sive non: quærentur enim istius modi res apud eos, qui doctissimi sunt; ut autem fiat, quod dicitur, complebuntur mihi annorum tria millia, & tunc restituetur excruciata tribus millibus annorum Sodoma, id est anima mea Sodoma, meis pœna peccatis. Grande intervallum temporis inter restitutionem, & ruinam positum est. Etiam si restituaris ita, ut antiquitus eras, vide quanta exhauries mala, quantis primum calamitatibus opprimaris. pag. 974.*

(11) Hæc effatur Origenes. *Futurum est, ut in die Judicii non solum homo, sed etiam universa conditio judicetur; omnis quip-*

IX. Accusatus est item Origenes, quod Angelos peccatis adhuc obnoxios, & viatores faceret. Vide quæ docet Huetius libro secundo Origenian. quæst. 5. num. 14. 21. & sequentibus. Porro id in hac ipsa homilia expresse legitur. Etenim post periodum illam, quam nuper allegavi, desinitque his verbis: *Sicut & Angelus prævaricator*, hæc extant: *Angelos enim non custodientes principatum suum, sed deserentes proprium habitaculum suum, in judicio magnæ diei vinculis sempiternis sub tenebris servabit. Quando ergo Angeli prævaricantur, & alii sunt, qui Dei præcepta custodiunt, & judicium præstolantur non solum hominum, verum etiam Dei, ut frequenter diximus, tam de his, quæ in Apocalypsim* (12) *conscripta sunt, quàm & ex aliis innumerabilibus*.

X. Non leve etiam ad dijudicandum de auctore libri alicujus argumentum esse putamus, quod sicut nullum, qui

---

quippe creatura congemiscit, & condolet ... est autem creaturarum pars terra, & cælum, et cetera quaque, qua sub cælo sunt, & qua super calos, et liberabitur omnis creatura a servitute corruptionis in libertatem gloria filiorum Dei; quis scit et de terra, an secundum naturam suam in aliquo peccato teneatur obnoxia? Si enim animal est, si rationabilis est, si indiget auditione sermonis prophetici dicentis: Attende calum, et loquar: et audiat terra verba oris mei. Et audi calum, et auribus percipe terra: cur non dicamus, ut inter homines est homo audiens, et faciens verba, qua jussus est facere, et alius est, qui audit, et non implet, quod pracipitur, sicut et Angelus pravaricator? ..... Si autem non putas huic disputationi consentiendum, per quam asserimus, omnem creaturam judicandam, audi et aliud testimonium de terra. Interrogat Deus Cain, qui occiderit Abel fratrem suum, et post multos sermones, quos in Genesi legimus, ad extremum de terra dicit. Maledicta terra, qua aperuit os suum ad excipiendum sanguinem fratris tui, de manu tua. Ego nec illud pratereo: Maledicta terra in operibus tuis. Et e contrario si quando benedicitur. Legimus et maledictam, et benedictam Dei vocibus terram. Vides ergo quia merito dicitur: congemiscit omnis creatura. Et ut ad pracedens revertar exemplum, offenditur terra in insidentibus sibi. Puto quia terra nos ut mater sustinens et letetur super bonis filiis, et doleat super peccatoribus etc. pag. 916.

(12) Forte *Apocalypsi*: respicere enim videtur ad illa Apocalypsis loca, in quibus Angeli Ecclesiarum redarguuntur; Vi-

qui se subsecutus ætate fuerit, citat; ita eos citet qui cum laude se præcesserunt. Porro librum Pastoris, sicut alibi, (*) in his quoque homiliis citat. Sic homilia decima tertia in Ezechielem hæc ait: *In libro Pastoris, in quo Angelus pœnitentiam docet, duodecim Virgines habent nomina sua, fides, continentia, & cetera, potestis quippe legere, si vultis.* (a)

(*) citat hunc librū libro 1. princip. cap. 3. n. 3. rursus lib. 3. cap. 2. n. 4. & alibi etiam.

(a) pag. 1000.

XI. Sed quis dictis meis deneget fidem, si etiam noverit, has, de quibus differimus, homilias, jam pridem Origeni tributas, & præposito ejus nomine fuisse citatas? Sane in ea catena græca in Jeremiam, quam Ghisilerius adornavit, ea de Perdice, veluti ex Origene desumpta, tradit, quæ in initio homiliæ quartæ in Jeremiam occurrunt. Ea hic describere non juvat, quoniam ea satis viris doctis nota sunt, & facile quisque inspicere per se potest. Quod si homiliæ in Jeremiam Origenis sunt, homilias etiam in Ezechielem eidem attribuas oportet; conjunctæ enim fuere a Hieronymo earum interprete, & apto, ut ita appellem, unius præfationis vinculo colligatæ. Vide obsecro præfationem ipsam, quam hic describere brevitas, quam nobis ipsi proposuimus, minime sinit.

XII. Quid quod expressissime Rabanus Maurus, vetustus sane scriptor, (b) quatuordecim Origenis homilias in latinum conversas se invenisse testatur, multaque ex iis in rem suam traduxisse? hæc vero procul dubio extant in his, de quibus agimus, homiliis, ex quibus multa eundem Rabanum exscripsisse, & ex illius testimoniis, & ex comparatione commentariorum ab illo editorum cum his homiliis comperimus.

(b) in præfatione præposita expositioni in Jeremiam.

XIII. Tribuunt etiam easdem homilias Hieronymo vir in veterum scriptis dignoscendis peritissimus Tillemont (c) de Hieronymo differens, Huetius, aliique litteratissimi Viri, qui sibi fucum fieri non fuissent passi, neque Hieronymo tribuissent, nisi certis argumentis id exploratum esse novissent.

(c) Tom. XII. hist. Eccl. sub titulo Origenes. art. 21. pag. 54.

XIV. Origenem itaque indubitatum harum homilia-

visus est porro putasse Origenes, veros Angelos ibi reprehendi, cum communis consensio doceat, Episcopos Angelorum nomine ibi indicari. Sed forte etiam retinenda est vox *in Apocalypsim*: amandare quippe potuit suos auditores ad ea Commentaria, quæ in Apocalypsim ediderat.

rum auctorem habemus, ideoque illius ipsius etiam, ex qua testimonium ad Angelorum invocationem comprobandam protulimus: neque enim peculiarem rationem habemus, cur reliquis admissis hanc excludamus. Quamquam ergo carere nos græcis Origenis in Ezechielem homiliis ultro fateor: non propterea quidquam auctoritatis, & virium iisdem homiliis latinitate donatis demptum volo. Novimus scilicet, peritissimum fuisse Hieronymum in vertendis e græca in latinam linguam libris: in his vero homiliis latinitate donandis *magnopere curasse, ut idioma supradicti viri Origenis . . . . . etiam translatio conservaret.* Et ob id fortasse periit græcarum ipsarum homiliarum non levis pars: duodecim enim tantummodo habemus græcas ex iis, quas *in Jeremiam* composuit; nullas omnino ex iis, quas edidit in Ezechielem: Latini enim, in servandis codicibus fortasse Græcis diligentiores, eas sibi sufficere crediderunt, quas a Hieronymo summo viro latinitate donatas habuerant.

XV. Ne quis vero putet, me temere rursus dicere, has homilias a Hieronymo fuisse in latinum versas, rationum momentis antea prolatis alia adjungo, quibus efficacius persuadearis, harum homiliarum interpretationem a Hieronymo fuisse profectam. En statim illa. Breve illud in Isaiam Commentarium, quod Veronenses editores evulgarunt, (*) non modica ex parte ex Hieronymi libris confectum est, compactumque, & si loqui ita sinis, consarcinatum, adeo ut ipsa Hieronymi verba, & sententias non raro exprimat. Porro ea verba, quibus illa (uti appellant) abbreviatio incipit, adeo affinia sunt quibusdam verbis undecimæ homiliæ Origenis in Jeremiam, (*) ut ex illa desumpta videantur. His etiam addi volo conjecturam sane non levem in eo sitam, quod in his homiliis, Hieronymi locutionem, & phrases inveniamus: quo sane argumento compertum fit, ab eo scriptore fuisse exaratas, qui in aliis scriptis ita loqui consuevit. Id quoniam deinceps in objectionum solutione ostendetur, hic prætermitto. Quod si Commentaria illa in Psalmos, quæ *breviarium in psalmos* nonnulli appellant, aut a Hieronymo ipso exarata, aut ex ejus operibus, quorum non levem partem desideramus, confecta esse vis, expressissimum habes locum plane similem unius ex iis, quos tu exagitas. Etenim in psalmum 106. ad verba illa; *A solis ortu, & occasu: ab aquilone, & ma-*

(*) in appendice tomi 4.

(*) pag. 840.

ri; hæc ait: *Aquilo duriſſimus ventus eſt: nomine autem dexter vocatur*.

XVI. Sed jam diſputationi huic finem imponamus, & quoniam ſatis eviciſſe me arbitror, quod mihi propoſueram, Origenem nempe auctorem, Hieronymum vero habere interpretem has homilias, eas peculiares objectiones, propter quas & Origeni, & Hieronymo nonnulli demunt, continuo diſſolvere aggrediamur.

CAP. VII.

Vocem Zabulus *fortaſſe ab amanuenſibus fuiſſe profectam: eam tamen neque informem eſſe, nec barbaram, & eam ſane adhibitam fuiſſe a Hieronymo non ſine priorum, illiuſque æqualium Patrum exemplo. Id fere dicimus de voce* Sacrate, *&* Sacratim.

I. AIs nempe, informem atque inelegantem eſse vocem hanc *Zabulus*, ideoque merito ab ea conſtanter caviſſe Hieronymum, a quo propterea abjudicari debet hæc homilia, quoniam in ea ſæpius repetitur ea vox. Hanc tuam objectionem ego quidem facile diluam, ſi dicam, non Hieronymo, ſed amanuenſibus id eſſe tribuendum. Ii quippe, qui dictandis codicibus præſunt, male pronunciantes vocem *Diabolus*, errori dederunt occaſionem, effeceruntque ut ſcriberetur *Zabulus*, quum in codice *diabolus*, ſeu *diabulus* ſcriptum foret. Hanc autem ſolutionem facile comprobabo, ſi velim, auctoritate illorum præclariſſimorum virorum, qui paucis ab hinc annis Cypriani, Hilarii, Ambroſii, & Auguſtini opera typis edentes, ſubſtituerunt vocem *Diabolus* voci *Zabulus*, quæ in codicibus ſane non paucis vel manu ſcriptis, vel typis editis legebatur. Noverant ſcilicet, quantum ad pervertenda nomina conferre poſſet dictantium pronunciatio, & quam facile hoc modo errores in codicibus multiplicarentur. Si enim dictans errat, errant quotquot ex dictantis voce codices exſcribunt. Hi autem interdum plurimi erant, & ego ſane paucos ante dies in noſtra Bibliotheca Vitruvium reperi, in cujus extrema pagina hæc leguntur: *Liber Joannis Tinti in maxima frequentia ſcri-*

scriptus Florentiæ. Porro tanto facilius difficultatem hanc tuam solvam, quanto difficilius tu veteres codices proferes, in quibus hæ Origenis in Ezechielem homiliæ habeantur: rarissimi enim sunt, & in Italia fortasse nulli, & si qui sunt, ab unius forte dictantis voce profluxerunt.

II. At age, retinere si vis vocem *Zabulus*, obsequor libens. Quid si probem, neque inelegantem, inconcinnamque eam esse, & ea sæpius usum fuisse Hieronymum? Tum sane fateri cogeris; demi non posse Hieronymo eam homiliam, propterea quia in ea haud semel occurrit vox hæc *Zabulus*. Barbaram tamen eam minime esse, tum rationibus, tum exemplis, quæ ex probabilibus scriptoribus desumpsit, evicit Huetius, ad quem te amando. Ex eo porro disces, (*a*) vocem hanc *Zabulus*, si veluti latinam sumas, concinniorem esse voce ipsa *diabolus*, quam tamen alteri præfers. Latina nempe lingua affinis Æolicæ est, immo propior Æolicæ, quàm Atticæ; nam ab Æolica originem habens, illius ingenium, ut ita loquar, & mores, atque analogiam retinet. Porro Æolici propositionem διὰ vertunt in ζα, ajuntque *zeta* pro *dieta*, *azabenicus*, pro *adiabenicus*, *Zaconus* pro *Diaconus*, & *Zarrhytus*, pro *diarrythus*, & id genus alia. (*b*) Hæc fere Huetius: cui etiam concedas oportet, (si quidquam habent virium ea, quæ nuper ex eo retulimus) si veluti græcam sumas vocem *zabulus*, deteriorem omnino non esse voce *diabolus*: etenim æolicam dialectum sequitur; communem vero vox *diabolus*. Affinia ante Huetium tradiderat Rosvveydus, cujus verba mox allegabo.

(*a*) diss. 1. pag. 94. & 95. edit. Floren.

(*b*) Vide pag. 94.

III. Verum fac etiam barbaram eam esse. An statim Hieronymum ab ea jugiter cavisse affirmas? Itane ab omnibus barbaris vocibus Hieronymus abhorruit, ut nullam prorsus adhibuerit? Id si putas, valde enimvero erras, ipseque Hieronymus te revincet: testatur quippe, se propterea flagellis cæsum, quod in Ciceronis studium nimis incumberet, prorsus ab eo legendo deinceps abstinuisse, (*) nitoremque latinæ linguæ, præsertim postea quam summam Orientalibus linguis operam daret, contempsisse: nec sane difficile perquirenti erit, voces aliquas incomptas fortasse, atque asperas in posterioribus illius lucubrationibus invenire. Profecto in præfatione præposita harum homiliarum interpretationi, expressissime ait, se in iis vertendis sermonis elegantiam minime tuisse prosecutum. *Omni Rhetoricæ artis splendore contempto: res quippe volumus, non ver-*

(*) Epist. ad Rusticum olim 4. nunc 125. n. 12. Epist. olim & nunc 22. n. 30. ad Eustochium. Præfatione in Danielis Librum a se versum, olim Epist. 120. Epist. olim 127. nunc 88. ad Fabiolam de 42. Mansionibus §. 13. & in Epist. olim 146. nunc 21. n. 13. ad Damasum.

verba laudari. Quod si eas homilias in Isaiam in latinum versas, quæ Origenis nomen præferunt, Hieronymo interpreti adscribis, Hieronymum ab eo vocabulo minime cavisse dices: quippe manifesto videbis, sæpius nomen hoc *Zabulus* ab eo scriptore fuisse adhibitum. At certe adhibitum illud ab Hieronymo fuit in ea homiliarum Origenis in Jeremiam interpretatione, quæ cum interpretatione homiliarum in Ezechielem colligata est, ut sæpe diximus. Etenim in ipsa prima homilia, quamquam etiam utitur voce *Diabolus*, (13) tamen brevi paucarum periodorum spatio sexies usurpat eam ipsam vocem *Zabulus*, a qua maxime eum abhorruisse dicis. (Vide pag. 755. & subsequentem) Sæpius etiam eandem vocem adhibet homilia tertia ejusdem tituli. Rursus homilia sexta, & nona creberrime dæmonem appellat zabulum, quam etiam consuetudinem in undecima servat. (Vide pag. 771. & subsequentes, & pag. 807.) Quod mirum non est, nam diserti tum vetustiores, tum Hieronymi æquales Patres promiscue Zabulum, ac diabolum dixere, veluti Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & Paulinus, ad cujus epistolam primam Rosvveidus egregius scriptor adnotationem hoc super argumento dignissimam quæ legatur, apposuit. En illam: „ Insultante *Zabulo*, id est *Diabolo*. Ita fere semper Paulinus, antiquiores se Patres secutus, qui ita extulere. Cyprianus ad Demetrianum cap. 6. *Quid in ruinam Zabuli per ipsum, & cum ipso cadis?* Ita ibi vetustissimi libri: quæ scriptio & aliis locis apud Cyprianum in veteribus editionibus fuit, ubi nunc *Diabolus* obtinet. Apud eundem, auctor libri *de aleatoribus* cap. 3. *Deorbati Zabuli caligine invicem sibi manum inserunt*: & aliquoties eodem libro. Hilarius in Matthæi caput 24. canone 26. *Furem enim esse ostendit Zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem*. Idem in cap. 12. Matth. can. 12. *Confusam a se in tentatione prima omnem zabuli indicat potestatem*. Ambrosius lib. 5. cap. 1. de Fide ad Gratianum: *Feralem illum cætum, Zabulum scilicet, ultimis temporibus venerabili sui corporis passione prostratum perculit*. Hymnus Ecclesiasticus de S. Michaele.

„ Michaelem in virtute conterentem Zabulum.

„ Glossæ Claromarescanæ MSS. *Zabulus, Diabolus*. Glossæ

Acqui-

(13) *Apparet enim quia Salvator eradicaverit regna Diaboli*. pag. 748. Et mox, nempe pag. 755. *Quam Diabolus continuare possit, assumi valeant*.

„ Acquicinctinæ Mss. *Zubulus*, *Satanas contrarius*; . . . .
„ Verissima est Zabuli originatio, quam viri docti jam sug-
„ gessere a διαβάλλω, Æolice ζαβάλλω; & ut inde Diabo-
„ lus, ita hinc Zabolus.

IV. Secundæ objectioni facile occurrimus, monemusque adversarios, quasdam voces in his quidem homiliis inveniri, quas in aliis Hieronymi libris, quos nunc habemus, non invenimus, (quum tamen compertum nobis non sit, num interdum eas alibi adhibuerit, an non: perierunt enim, quod sæpe diximus, quidam Hieronymi libri, in quibus eæ forte extiterunt) nec propterea demi posse has homilias Hieronymo: quot enim voces in postremis libris suis elegantissimi etiam scriptores adhibent, quas antea non adhibuerant? Ceterum falso etiam dicitur, a vocibus *sacrate*, & *sacratim* constanter abstinuisse Hieronymum. Alibi forte eas voces adhibuit ille, sed procul dubio vox *sacrate*, quæ affinis est voci *sacratim*, occurrit in homilia 23. Origenis in Lucam, quæ indubitate cum reliquis ejusdem scriptoris in Lucam latine a Hieronymo reddita est. (14) Videtur autem ea vox sumi pro *mystice*, item ut secretum non raro accipitur ad significandum mysterium. (15)

CAP.

(14) *Illud quoque, quod in Apostolo legimus: Reddite omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem . . . . sacrate intelligendum est.*

(15) In hac sane significatione videtur sumere idem Hieronymus iis verbis interpretationis homiliæ XII. Origenis in Lucam. *Et hæc quidem sunt dicta simplicius. Ceterum si ad sacratiorem oportet ascendere intelligentiam &c.* Et rursus in homilia XIV. ejusdem tituli. *Omne, inquit, masculinum, quod aperit vulvam, sacratum quippiam sonat.*

CAP. VIII.

Perperam demi eam, de qua agimus, homiliam Hieronymo, quòd vocem Ezechiel *interpretatus fuerit* imperium Dei, *&* *vocem* Chobar *verterit* gravitudo: *quod Aquilonem appellarit dextrum, aut quod dixerit, Christum non ex semine viri, nec ex mulieris somno convenienti fuisse conceptum.*

I. Imbecillas eas esse rationes, quas ad allegatam homiliam Origeni demendam usque adhuc attulere, conspeximus. Sed ne illæ quidem, quæ dissolvendæ restant, aliquid proficiunt. Perverse, inquis, interpretatus est, qui latinas fecit has Origenis homilias, nomina Hebraica, ideoque is Hieronymus non fuit, quando quidem Hieronymus in hebraica lingua valde versatus, atque etymologiarum haud ignarus, tam perverse non expressisset voces *Ezechiel*, & *Chobar*. Propter has vero etymologias pessime derivatas, ut ais, & putidas, non modo Hieronymo, verum & Origeni hanc homiliam demis. At sane ignorat nemo, in hebraicæ linguæ vi, atque etymologiis dignoscendis non æque doctum, peritumque fuisse Origenem, atque erat in Græcæ linguæ nitore, atque ubertate. (16) Hieronymi vero si scripta reliqua diligenter observes, manifesto comperies, eas etymologias, quas tu quidem reprehendis, alibi ab eo fuisse traditas. Nonne in libro, quem *de nominibus Hebraicis* inscribit, ubi agit de voce *Jezechiel*, ab ea ait significari *fortitudinem Dei?* *(a)* Porro affinia sunt adeo *fortitudo*, *&* *imperium*, ut conjicere merito possimus, eum, qui aliquando vertit *imperium*, potuisse alibi vertere *fortitudo*. Radix autem hebraica utramque excipit significationem: etenim pın *Chazak* æque commode reddi potest *fortis fuit*, ac vertatur *prævaluit*, seu *dominatum exercuit*. In eodem, quem nuper allegavimus, libro, *Chobar* vertitur *gravitudo*, *(b)* adeo ut inde etiam aptissimum sumere possimus argumentum ad con-

(a) tom. 3. col. 85.

(b) Ibid. col. 84.

(16) Consulas volo ea, quæ ad librum Hieronymi de *nominibus*, *&* *locis Hebraicis* animadverterunt viri Eruditi: quorum tamen reprehensiones non levi ex parte repulsas habes tomo 3. Operum S. Hieronymi a præclarissimo Vallarsio editorum, ad quem te amando.

concludendum, ab uno eodemque ſcriptore utrumque librum fuiſſe compoſitum. Etiam in ſuo in Aggæum commentario (c) graviſſimum appellat fluvium Chobar, reſpiciens ſcilicet ad eam, de qua diſputamus, ſignificationem. Prodit itaque ſe ſe vel ex hoc ipſo argumento Hieronymi interpretatio. Quorum quidem nominum explicationes rectæ ne ſint, an non, hic minime diſputo: ſatis mihi eſt oſtendiſſe, immerito ab Hieronymo homiliam hanc abjudicari, quod has exhibeat etymologias.

(c) ad verſic. 1. capitis 1. pag. 741.

II. Suſcipienda nunc eſt defenſio ſubſequentis loci, id eſt illius, in quo Aquilo vocatur dexter. Secutum nempe ais Origenem Hebræos, qui dextrum auſtrum, aquilonem vero ſiniſtrum faciebant, appellabantque. At dic amabo, unde ſcis, Hebræorum conſuetudinem hic ſecutum fuiſſe Origenem? immo patrium morem ſecutum fuiſſe eum, multo ſimilius veri eſt. Quod ſi patrium morem ſecutus eſt Origenes, aquilonem dextrum procul dubio appellavit; etenim Ægyptii, quod ex Plutarco diſcimus, (17) ideoque Alexandrini in dimetiendis, denominandiſque cæli plagis averſos Orienti tenebant humeros, Occidentemque aſpiciebant. Tum vero dexter fit Aquilo, ſiniſter Auſter. Qui ſane mos non peculiaris Ægyptiis fuit, ſed ab aliis etiam uſurpatus: quod manifeſto innoteſcet, ſi oſtendam, conſueviſſe Aſtronomos ita Mundi plagas dimetiri, denominareque, uti dimenſas, & denominatas diximus ab Ægyptiis, idque etiam ſervaſſe latinos poetas, nec ab ea conſuetudine abhorruiſſe Scripturam, & Patres.

III. Porro id ſtatim exſequor. Theon in Scholiis ad Arati phænomena hæc eloquitur. *Dextri nomine Boreale ſignificatur: etenim nobis Univerſi motum ſequentibus boreales res dextræ ſunt, ſiniſtræ auſtrales.*

In eamdem ſententiam hæc edocet Cleomedes. *Dextera in Mundo ſunt, quæ ad ſeptentrionem poſita ſunt, ſiniſtra vero, quæ ad meridiem.*

His jungo Manilium egregium Aſtronomum, & poetam. Seligo duo ex pluribus Manilii locis. En illa. Verſu 105. libri 5. hæc ait

Qua

(17) *Nam Ægyptii ſtatuunt mundi partes ad ortum ſolis ſitas, eſſe faciem, dextra quę ad ſeptentrionem, ſiniſtra, quę ad meridiem vergunt.* Plutarcus de Iſide, & Oſiride pag. 209. editionis Venetæ Hieronymi Scoti 1572. Xylandro interprete.

Qua dexter Boreas spirat.

& mox, id est versu 131.

E gelido stellata polo, qua dextera pars est.

Etiam Lucanus, quum hæc versu 247. libri tertii ait:

Ignotum vobis, Arabes, venistis in Orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras:

nonne septentrionem dextrum facit, meridiem vero sinistrum? Vide quæ hoc de argumento disserit Cælius Rhodiginus capite decimo libri primi lectionum antiquarum.

Propterea vero dixi, Scripturam non abhorrere ab hac consuetudine, quod versiculo 16. capitis 27. Proverbiorum juxta LXX. interpretum versionem hæc leguntur. *Boreas asper ventus: nomine autem dexter vocatur.* Et hanc quidem interpretationem secutum fuisse Syrum, & Arabem Scripturarum interpretem discimus ex Huetio. (*) (*) diss. 1. pag. 100.

IV. Quid porro expressius inveniri poterat, ut ostenderetur, dextrum dici consuevisse Aquilonem, sinistrum vero Austrum? Enim vero ad locum hunc respiciens seu Hieronymus, seu potius Beda (*) in commentariis in caput sextum & vicesimum libri Job hæc ait: *Aliquando in Scriptura ventus diabolum significat: de quo & Salomon ait: Aquilo durus ventus; nomine alio dexter vocatur.* Etiam Hieronymus ipse, si eum vis auctorem esse commentariorum in psalmum 106. hæc scribit. *Aquilo durissimus ventus est, nomine autem dexter vocatur.* Ex quibus quidem verbis, quisquis horum commentariorum auctor fuerit, eruere recte possumus, etiam Patres eam consuetudinem, quam in dimetiendis mundi plagis Origenes exhibet, fuisse secutos. (*) lib. 2. cap. 9.

V. Miror vero, cur dixerit Bochartus, se minime intelligere, quid significent verba ista: *Cum nativitas* (Jesu Christi) *non ex semine Viri, & mulieris somno conveniente esse credatur.* Nonne verba hæc adeo affinia sunt verbis illis libri Sapientiæ: (*) *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conveniente*, ut eandem prorsus significationem habere dignoscas? Honestissimo nempe verbo concubitus utroque in loco exprimitur, quo etiam modo exprimitur v. 7. capitis 39. (18) Genesis, & v. 6. capitis 4. ejusdem libri Sapientiæ, (19) Quam quidem dicendi formulam etiam latini scriptores (*) cap. 7. v. 2.

(18) *Post multos itaque dies injecit domina sua oculos in Joseph, et ait: Dormi mecum.*

(19) *Ex iniquis enim somnis filii, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes.*

(*) v. 122. res imitati sunt, veluti Claudianus in Fescenninis (*) hæc elocutus:

Alternum rapiat somnus anhelitum.

Docet itaque iis verbis Origenes, non communi reliquis hominibus modo, neque ex concubitu conceptum, natumque fuisse Dominum Jesum, sed ex impolluta, & virum nesciente Virgine: subsequuntur enim hæc verba: *Sed juxta prophetæ eloquium dicentis: Ecce Virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

CAP. IX.

Aggredimur ea Origenis verba, quæ potissimum redarguunt adversarii, idest illa: Novus annus imminet jam Judæis &c. *Priorem horum partem facile explicamus, illustramusque; posteriorem corruptam esse, & detruncatam tum validis argumentis, tum conjecturis haud levibus evincimus. Dum novum anni genus, adeoque exordium instituit Moyses, vetustum non sustulit.*

I. MUlto difficiliorem habet solutionem objectio, quam ab iis verbis sumunt: *Novus annus imminet jam Judæis.* Sic tamen priorem verborum illorum partem explico. Annus renasci, novusque fieri Vere dicitur. *Arborum flos* (inquit Plinius) (a) *est pleni veris indicium, & anni renascentis*: renascentibus scilicet herbis, & floribus, novoque decore se se induente natura.

(a) cap. 25. lib. 16.

. . . . . Tunc est nova temporis ætas
* * * * * * * * *
Hæc anni novitas jure vocanda fuit (b)

(b) Ovid. 1. Fasto. v. 151. & 160.

at pauci erant, qui ab hoc naturali, ut ita appellem, anni exordio, & novitate numerare menses inciperent, primumque appellarent mensem illum, qui Veri responderet. Jussit itaque Moyses, ut Hebræi, qui ab autumno annum incipiebant, inciperent a verno tempore, fieretque pri-

primus mensis (Ecclesiastici scilicet anni) idem ille mensis, a quo Ver, ideoque annus, ut nuper diximus, incipiebat. En sensus verborum illorum Moysis: *Mensis hic vobis initium mensium, primus est in mensibus anni*. Verba porro illa: *Agitur autem Pascha de numero novi anni*, hunc facile sensum excipiunt. Pascha vero agitur in initio fere novi anni, adeo ut omnino pertineat ad novum annum, seu sit in numero, sive de numero novi anni. Hinc eo mense celebrabitur, a quo annus exordium sumit, & re vera luna quartadecima mensis Nisan, ideoque primi, Pascha celebratur. Imitatur Origenem Ambrosius (20) si is est auctor libelli, seu sermonis, qui *De mysterio Paschæ inscribitur*, dum hæc ait cap. 2. *Est enim Pascha vere anni principium, primi mensis exordium, novella germinum reparatio, ac terræ hyemis nocte discussa, primi veris restituta jucunditas*.

II. At restat potior difficultas ex eo desumpta, quod hic scriptor, quisquis is est, Ecclesiasticum Judæorum annum cum civili eorundem Judæorum anno confundit. Etenim postquam de novo anno a vere incipiente, ideoque de Ecclesiastico sermonem instituit, in cujus quidem primos dies Paschalis solemnitas ex Domini præcepto incidit, ea de tempore, quo baptizatus est Dominus, statim tradit, quæ palam evincunt, exordium aliud, seu potius alterius anni, civilis scilicet incipientis a Septembri, indicare voluisse: nam in mensium serie quartus a Septembri Januarius habetur: decimus autem efficitur Januarius, si a mense Nisan numerare menses incipias.

III. Ad nodum hunc dissolvendum varia proponi audivi. Non defuere, qui expeditissime illum dissolverent, monentes, mirum non esse, si hic, sive Origenes, sive Hieronymus, in computo erraverint, quando quidem in aliis etiam computis erraverunt. Sane Origenis hoc etiam in genere errores detexit, reprehenditque Huetius; Hieronymum autem interdum verbis castigat Scaliger de ejusdem Hieronymi Chronico disserens. At adeo turpis, & ad agnoscendum facilis est error hic, ut in eum incidisse minime putem sive Origenem, sive Hieronymum. Sequor itaque Huetium, qui corruptum arbitratur locum hunc; de-

(20) Patres Benedictini, qui in sermonum serie quinto & trigesimo loco tractatum hunc collocant, eum Ambrosio demunt; is tamen Ambrosio in veteribus editionibus tribuebatur.

desunt quippe quædam Originis verba a Hieronymo in latinum conversa: quibus sane, quæ de anno Ecclesiastico Origenes dixerat, eum deinceps explicasse, tum ad præcipuum suum scopum dicta sua traduxisse, denique ab iis transitum fecisse ad differendum de civili anno, simillimum veri arbitror. Cujus quidem suspicionis, opinionisque hæc fundamenta extant. Proposuerat sibi Origenes illustranda duo hæc loca, primum scilicet desumptum ex Ezechiele: *Ideo factum est in trigesimo anno, in quarto mense, in quinta mensis, & ego eram in medio captivitatis secus flumen Chobar, & aperti sunt cæli*: & alterum ex Evangelio depromptum: (*) *Et Dominus Jesus Christus incipiens erat quasi triginta annorum secus fluvium Jordanem, & aperti sunt cæli.* & horum locorum convenientiam, & affinitatem ostendere aggressus fuerat. Porro ubi fusius, accuratiusque hujus loci: *In quarto mense, quinta mensis* tractationem aggreditur, hæc addens: *Juxta possibilitatem meam investigans precor a Deo, ut id ipsum possim intelligere, quod Scripturarum ejus congruit voluntati*, de novo Judæorum anno hæc statim ait: *Novus annus imminet jam Judæis*, & reliqua, quæ cum sæpe allata sint, hic repetere non est necesse. Solet autem Origenes, dum aliquem Scripturæ locum illustrat, plurima colligere, quæ ad illud argumentum spectant, tum ad rem suam applicare. Itaque credibile est, tum etiam collegisse, quidquid ad annum pertinebat: & re vera ab Ecclesiastici anni Vere incipientis exordio explicationem incipit suam, quam puto deduxisse ad tractationem alterius anni, civilis scilicet incipientis a mense Tisri, fere respondente septembri, a quo qui numerare incipit, quarto loco Januarium ponit, quo baptizatus est Jesus. Porro librarii omiserunt verba illa interposita, sive negligentia quadam iis haud infrequenti, sive casu aliquo nobis minime noto. Tanto lubentius autem ad id dicendum adducor, quanto certius novi, haud raro contigisse, ut quum repetita extant sive in codice, sive in marmore exscribenda eadem verba, omitterentur ea, quæ interposita sunt inter easdem voces repetitas. Quippe amanuensis vocum similitudine, & homonymia deceptus, errorem minime advertit, putansque se exscribere ea, quæ proxime sequuntur vocem primo positam, ea exscribit, quæ eidem voci deinceps repetitæ proxima sunt, & sic incaute omittit ea, quæ interjecta vocem inter primum occurrentem, & eam-

(*) Lucæ 3. v. 23.

eamdem vocem rurſus poſitam aliquo intervallo a ſe mutuo diſtant. Enim vero vir egregius Auguſtinus Calmet in id refert, cur omiſſa fuerint in codicibus fortaſſe non paucis verba illa Capitis quinti epiſtolæ primæ D. Joannis. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant &c.* (21) ad quæ etiam verba vir litteratiſſimus Scipio Maffejus (22) affinia edocet, cui addas volo Iſaacum Voſſium ſimillima tradentem. (23) Indiligentes porro fuiſſe librarios in exſcribendis hiſce homiliis, tum alia fortaſſe oſtendunt, tum certe apertiſſime ex eo noſcis, quod niſi Huetii diligentia in conferendis harum exemplaribus tum Græcis, tum Latinis, ſive typis antea editis, ſive manu exaratis codicibus, quos Regia Pariſienſis Bibliotheca ſervat, & Dominici Vallarſii, cui Veronenſem Hieronymi editionem debemus, cura in comparandis his homiliis cum Rabani in Jeremiam commentariis, ad eas emendandas operam non levem adhibuiſſent, plurima adhuc extarent in iiſdem homiliis loca, quæ intelligi omnino non poſſent. At non ita eas reſtituit horum virorum ſumma laude dignorum induſtria ac ſolertia, ut errores, & intercapedines ubique ſublatæ ſint, præſertim cum græcas ipſas Origenis homilias ubique conſulere non potuerint; nam quod

(21) Vide diſſertationem ſuper illis Joannis verbis editam ab hoc laudatiſſimo Viro.

(22) ,, Cur autem (inquit ille in annotationibus ad Complexiones Caſſiodorii pag. 253.) in multis ex vetuſtioribus ,, hodie latinis codicibus ea perioche minime appareat . . . ,, in promptu ratio eſt . . . . Oſtendam ſcilicet, ubi ,, de vetuſtis agam lapidibus, eorum exſcriptores ſolidum ,, verſum, duos etiam non infrequenter prætcriiſſe, ,, cum eædem dictiones exiguo forte intervallo iterantur: ,, facillime enim accidit, ut prioribus exſcriptis, cum ,, oculos ad lapidem referunt, incidant in poſteriores, & ,, quæ conſequuntur, arripiant. Idem prorſus cuidam li- ,, brario contigit Sancti Joannis epiſtolam tranſcribenti: ,, cum enim ea verba: *Et hi tres unum ſunt* bis ibidem ,, haberentur interjecta oculo aberrante tranſiliit. Exem- ,, plar autem unum innumera procreat, & unius error in- ,, finite diffunditur.

(23) Iſaacus Voſſius pag. 241. Commentarii in Catullum hæc generaliter tradit. *Verum hoc eſſe norunt omnes illi, qui tractant libros, et antiqua cum antiquis committunt exemplaria. Paſſim, et in omnibus etiam ſacris id obſervare licet ſcriptoribus, et ubi ſimilia, aut eadem occurrant vocabula, omittantur a librariis ea, quæ in medio ſunt.*

quod alibi dixi, duodecim tantum Origenis in Jeremiam homilias græcas habemus: omnino vero non habemus eas, quas græca lingua in Ezechielem ille composuit. Et sane in his in Ezechielem homiliis non leves amanuensium errores detexit is, quem nuper laudavi, Dominicus Vallarsius, & procul dubio intercapedo aliqua, aut verborum perversitas extat in his verbis illius ipsius, de qua agimus, primæ in Ezechielem homiliæ: *Margarita vera est, sed si perverse discrimen ejus est, quod dicit pedibus eorum. Et ut juxta nos aliquod ponamus exemplum, collectiones istæ non solum in Ælia, non tantum Romæ, non in Alexandria, sed in omni semel Orbe, similitudinem referunt sagenæ, quæ ex omni genere piscium capit.* Quis enim sejuncta non videt priora illa verba: *Margarita vera est, sed si perverse discrimen ejus est, quod dicit pedibus eorum?*

IV. Porro quamquam anni, Ecclesiastici scilicet, ex quo festa mobilia dirigerentur, genus aliud, si loqui ita sinis, ideoque exordium aliud instituit Moyses, vetustum tamen minime sustulit. Hinc sicut duo annorum genera Hebræi habebant, ecclesiasticorum nempe, & civilium, ita duo etiam anni exordia duodecim mensium spatio habebant, incipiente a mense Nisan ecclesiastico, mense autem Tisri civili anno: quo de argumento cum plurimi disseruerint, hic agere ab re nostra est.



CAP.

CAP. X.

Origenis tempore, immo diu ante Origenem, non modicam Orbis partem Christianos ritus excepisse, laudatissimis monumentis evincimus.

I. AT ut ad Origenem revertar, ea verba, quæ nuper attuli, id est ea, quæ incipiunt ad hunc modum: *Margarita vera est*, tam & si conjuncta cum superioribus non sint (ex qua re conjicio, aliquam homiliæ illius partem nescio quo infortunio fuisse resectam) non tamen falsa arbitror. Nonne Trajano imperante, ideoque multo ante Origenem, a Plinio ad eumdem Trajanum hæc fuerant scripta? *Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam, atque agros superstitionis istius contagio pervagata est . . . . . . Certe satis constat, prope jam desolata templa &c.* (a) Nonne Justinus, qui Antoninorum tempore vixit, in Dialogo cum Tryphone hæc scripsit? *Ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum, sive Græcorum, sive etiam aliorum omnium, quocumque nomine appellentur, ne eorum quidem, qui pro domibus plaustris utuntur, ac tentoriis agentes vitam pastoriciam, inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes, & gratiarum actiones patri, & fabricatori rerum omnium non fiant.* (24)

(a) lib. 10. epistola 97. alias 103.

II. Nonne etiam Tertullianus, qui Origenis æqualis ferme fuit, capite ipso primo apologetici hæc ait? *Ex his fiunt Christiani, utique de comperto, & incipiunt odisse quod fuerant, & profiteri quod oderant, & sunt tanti, quanti & denotamur. Obsessam vociferantur civitatem; in agris, in castellis, in insulis Christianos: omnem sexum, ætatem,*

(24) Hæc protuli, veterem secutus interpretem: quæ profert recens Londinensis editio, hæc sunt: (*) ,, Atqui ne unum quidem est genus mortalium, sive barbarorum, sive Græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentoriis viventium (Scenitarum) & pecoribus vitam tolerantium, inter quos per nomen crucifixi Jesu supplicationes, & gratiarum actiones patri, & fabricatori rerum omnium non fiant.

(*) Dialogi par. 2. pag. 388.

tem, conditionem, & jam dignitatem transgredi ad hoc nomen, quasi detrimento mœrent. Quibus quidem Tertulliani verbis ea adjungas volo, quæ capite 37. ejusdem Apologetici, & rursus capite septimo libri adversus Judæos scripti (25) tradit.

III. Haud ita multo post Origenem floruit Eusebius, qui octavum historiæ suæ librum, Valesio interprete, sic exorditur. *Qualem, quantamque gloriam simul, ac libertatem doctrina veræ erga supremum Deum pietatis a Christo, primum hominibus annunciata, apud omnes Græcos pariter, & Barbaros ante persecutionem nostra memoria excitatam consecuta sit, nos certe pro merito explicare non possumus. Argumento esse possit Imperatorum benignitas erga nostros; quibus regendas etiam provincias committebant . . . . Quid opus est dicere de iis, qui in Imperatorum palatiis versabantur? quid de Imperatoribus ipsis, qui domesticis suis, eorumque uxoribus, liberis, ac servis ea, quæ religionis suæ erant, tam verbis, quàm factis libere exsequendi coram semetipsis potestatem dederunt?*

IV. Ex his, aliisque similibus Patrum, & historicorum monitis, veluti iis, quæ Serapion Antiochenus libro 5. cap. 19. & Bardesanes eodem referente Eusebio cap. octavo, alias 10. libri 6. de præparatione Evangelica (*) hoc de argumento nos docent, facile colligimus, verissima fuisse tradita ab Origene, cum verba illa protulit, quæ tu reprehendis. Quod vero peculiariter attinet ad Mauritaniam, antiqui Martyres, quorum natalitia Africa celebrat, propensio quoque tum Mammeæ, tum Alexandri in Christianos, e quibus Tertullianum, & Victorem Romanum Pontificem protulit Africa, perspicue evincunt, haud temere hæc ab Origene fuisse pronunciata. At non modo in Mauritania, verum etiam in Britannia, aliisque orbis partibus Christianam fidem suos habuisse Origenis tempore consectatores, mihi conjicere videor ex illis ejusdem Origenis verbis: (*) *Virtus Domini Salvatoris & cum his est, qui ab Orbe nostro in Britannia dividuntur, & cum his, qui in Mauritania, & cum universis, qui sub sole in nomine ejus cre-*

(*) pag. 279. & 280.

(*) homilia sexta in Lucam, Hieronymo interprete.

(25) *In quem enim alium universæ gentes crediderunt, nisi in Christum, qui jam venit? Cui enim et aliæ gentes crediderunt,*

crediderunt. Vide ergo magnitudinem Salvatoris, quomodo in toto Orbe diffusa sit.

Quod porro ad Britanniam spectat, non modicam fortasse illius partem ante Origenem ad Christum fuisse conversam, Viri doctissimi arbitrantur: quo de argumento vide, quæ Cardinalis Baronius, (*b*) & litteratissimus Franciscus Blanchinus (*) tradunt.

(*b*) in annotat. ad *Martyrologium Romanum* ad diem 26. Maji littera A, & ad diem Decembris tertiam littera I.

(*) tom. 2. Anastas. in notis ad Eleutherii vitam.

CAP. XI.

Afferuntur ea argumenta, quæ peculiariter adducunt adversus eum Origenis locum, quem ad asserendam Angelorum invocationem attulimus.

I. HActenus eæ nos objectiones detinuerunt, quæ adversus integram homiliam factæ sunt. Ad testimonium illud, quod nos allegavimus, enervandum ista spectant. Adversatur locus ille doctrinę Apostoli Pauli, (*a*) Joannis item Apostoli (*b*): Irenæo quoque, Tertulliano, Concilio Laodiceno, Theodoreto, adeoque Origeni ipsi, qui sæpissime, præsertim vero in libris adversus Celsum scriptis, vetat, ne colantur, aut invocentur Angeli: quæ quidem loca hic referrentur, nisi aptius judicaremus ea seorsim recensere. Hinc si reliqua etiam momenta contemnas, vel ex hoc ipso argumento Origeni supposita verba illa intelliges.

(*a*) Coloss. 18.
(*b*) Apocal. 19. 10. & rursus 22. 9.

II. Ad hæc: eadem verba sejuncta sunt prorsus, & maxime disparata. Audi, num vera eloquar. De Christi nativitate differens hæc eloquitur (*c*). *Multitudo militiæ cælestis erat laudantium, & glorificantium Deum, quando natus est Christus. Omnia Angelis plena sunt.* Tum continuo adjunguntur hæc verba. *Veni Angele, suscipe sermone conversum ab errore pristino, a doctrina Dæmoniorum, ab iniquitate in altum loquente, & suscipiens eum quasi medicus* bo-

(*c*) pag. 889.

runt, Parthi, Medi, Elamitæ, et qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, et incolentes Pontum, et Asiam, et Pamphyliam, immorantes Ægyptum, et regionem Africæ, quæ est trans Cyrenem, inhabitantes, Romani et incolæ? Tunc et in Hierusalem Judæi, et cæteræ gentes, ut jam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversæ nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero Deo subdita.

bonus confove, atque institue: parvulus est: hodie nascitur senex repuerascens, & suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem. Si probe hæc expendes, statim apertissime tibi innotescet, verba illa: *Omnia Angelis plena sunt*, referri ad Angelos, qui turmatim, ut ita loquar, confluxerunt ad glorificandum, celebrandumque Christi adventum: quippe tum terras sua multitudine impleverunt. Cui quidem Christi adventui si adfuisset Origenes, præsentem Angelum advocare utique potuisset, sed cum tanto temporis intervallo ab eo adventu distaret, ineptissime inducitur Angelum invocans, poscensque talem ab eo opem, operamque, qualem certe, ut mox dicemus, Angelus præbere non potest.

III. At age: hæc interea omittamus. In his verbis: *Suscipe sermone conversum ab errore pristino &c.* de se, an de alio, scriptor iste loquitur? Si de se loqui respondeas; tum ab Origene verba hæc abjudicas, quippe Origenes Leonida Sanctissimo viro genitus est, & continuo in Ecclesiam per baptismum ascitus, & in ea ab infantia ipsa pie educatus, & Christianæ fidei documentis instructus, adeo ut illi minime conveniant verba illa: *Suscipe sermone conversum ab errore pristino ..... ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem.* Atqui de alio pronunciari ista nequeunt. Etenim si de alio enunciasset, dixisset utique *hunc suscipe*, quod tamen non ait, sed tantum *suscipe sermone conversum &c.* Profecto articuli, seu particulæ *hic*, *hæc*, & affines aliæ omitti omnino non possunt: quamquam facile omittuntur articuli, seu particulæ *Ego*, *mei*, *me*, & similes: supplet enim has Oratoris vox, & præsentia, quæ minime supplere potest particulas, seu articulos alios. Cujus quidem rei proferri exempla si vis, statim proferam. Versu 9. & 10. Eglogæ primæ Virgilius hæc ait:

. . . . Et ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.

substitue *me*. Ad eumdem modum v. 41. libri tertii Æneidum Polydorus Æneam his verbis alloquitur:

Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto;

id est *me miserum: mihi sepulto*; nam mox hæc sequuntur.

Nam Polydorus ego, hic confixum ferrea texit
Telorum seges, & jaculis increvit acutis.

Etiam

Etiam versu 265. ejusdem libri, Anchises, ut præveniat mala, quæ Celæno Trojanis minitata fuerat, sic Diis supplicat:

. . . . . . Dii talem avertite casum,
Et placidi servate pios.

supple *nos*. At quum de alio agitur, particulæ *hic*, *hi*, & derivatæ aliæ exprimi omnino debent. Sic versu v. 500. libri primi Georg. Virgilius has pro Augusto ad Deos preces fundit.

Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo
Ne prohibete.

Similiter v. 483. libri v. Æneidum Entellus pugno taurum occidens, & his Erycem dictis compellans describitur:

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo.

Neque aliter idem Virgilius inducit Venerem has pro Ascanio ad Jovem preces effundentem.

Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ. (*e*)

Ad eumdem modum Metabus Dianæ sacrat his vocibus Camillam filiam.

Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia Virgo,
Ipse pater famulam voveo. (*f*)

(*e*) lib. x. Ænei. v. 50.

(*f*) v. 557. lib. xi.

IV. Et hæc quidem tam valida sunt, ac robusta, ut superari utique nequeant. Quod si hæc ipsa arte aliqua eludas, quanam eludere id poteris, quod subsequentia verba subministrant? (*) *Suscipiens eum quasi medicus bonus, confove, atque instituе: parvulus est: hodie nascitur senex repuerascens, & suscipe tribuens ei baptismum secundæ regenerationis, & advoca tibi alios socios ministerii tui, ut cuncti pariter eos, qui aliquando decepti sunt, erudiatis ad fidem.* An credibile est, ab Origene fuisse adhibitas ad Angelum preces, ut accitis ministerii sui Angelis aliis, Cathecumenum baptizaret, & erudiret? Tamen id in allegatis nuper verbis expressissime traditur. At non sola hæc inest in iis verbis difficultas. Quid obsecro *secundæ regenerationis baptismo* intelligis? quando quidem sicut semel nascimur, ita semel baptizamur, ideoque secunda generatio, & regeneratio dici quidem baptismus potest, at non secunda regeneratio. Baptismus itaque intelligi eo nomine omnino non potest; Origenes ipse (si Origenem eum esse vis, qui hæc scripsit) baptismum regenerationem, &

(*) pag. 889.

& ſecundam generationem appellare quidem ſolet, (26) at nunquam ſecundam regenerationem vocat.

V. Quod ſi pœnitentiam iis vocabulis deſignari reſpondeas, (27) ſic tua reſponſio refellitur. Origenes Angelum invocat, ut eos, qui aliquando decepti ſunt, *erudiat ad fidem*. Porro ii tantum erudiuntur ad fidem, qui baptiſma recipiunt, minime vero ii, qui pœnitentiam agunt; nam ii pridem ad fidem inſtituti fuerunt. Et ſane de baptiſmo in ea ipſa, quæ nuper allegata eſt, homilia ſexta in Ezechielem, Origenem loqui ex eo conjicimus, quod de iis ſermonem habeat, qui modo fuerant Cathecumeni, eumque ſtatum, quem illi ſuſcepto ſacro lavacro aſſecuti ſunt, Cathecumenorum ſtatui opponit, eoſque reprehendit, propterea quia tam & ſi *lavati lavacro, non facerent fructus dignos pœnitentiæ* (cum tamen pœnitentiam potiſſimum exquiſiviſſet a baptizandis Apoſtolus Petrus (28).

VI. At iis verbis quod libet, intellige: & per me quidem licet, ut baptiſmum eſſe dicas *lavacrum ſecundæ regenerationis*: per pleonaſmum ſcilicet, tropum Oratoribus non infrequentem; vel potius quia legendum eſt *ſecundæ generationis*: minime vero *ſecundæ regenerationis*: vel ſi vis, *regenerationis* dempta voce illa *ſecundæ*, quæ per amanuenſium errorem, atque oſcitantiam forte irrepſit. Quin etiam ſi pœnitentiæ Sacramentum iis verbis indicari vis, interea connivebo; at noveris, te in majores difficultates offendere, dum priores illas effugere ſtudes. Nonne tum compelleris largitorem gratiæ, quam in baptiſmo, & in pœnitentia conferri ais, Angelum facere? Aut ſaltem

(26) *Jam non es Cathecumenus, conſecutus es lavacrum ſecundæ generationis* pag. 040. & alibi ſæpe.

(27) Pœnitentiam, ſecundæ regenerationis nomine deſignari cenſuit Huetius, hoc homiliæ ſextæ ejuſdem Origenis in Ezechielem loco fretus :- *Si poſt regenerationem lavacri, ſi poſt ſermonem Dei, rurſum peccaverimus, in die, qua naſcimur, projicimur. Tales ſapiſſime reperiuntur lavati lavacro ſecundæ regenerationis, et non facientes dignos fructus pœnitentiæ, neque exhilarantes myſterium baptiſmi timore majore ab eo, quem dum Cathecumeni eſſent, habuerunt, et caritate ampliori ab ea, quam exercuerunt, dum auditores ſermonis eſſent, et ſanctioribus geſtis, quàm ante geſſerunt*, pag. 040.

(28) *Pœnitentiam agite, et baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*. Act. 2. 38.

tem compelleris vocem, ſpiritualem medicinam, inſpirationemque tribuere Angelo, longe aliter, ac Religio Catholica, experientia, rectaque ratio nos doceat. Hæc ſi expendantur, eritne aliquis, qui teſtimonio tam infirmo ſe credat, velitque ſuper eo opinionem ſuam ſtabilire?

CAP. XII.

Diluimus argumenta ſuperiori capite propoſita. Colligatum eſſe in allegato Origenis loco, conjunctumque ſermonem pronunciamus, comprobamuſque.

I. ERit enim vero aliquis, qui haud temere huic teſtimonio fidat, affirmetque, vires plurimas in eo ineſſe, ad Sanctorum invocationem comprobandam. Non hic vetuſtatem Origenis, illiuſque præclara in Eccleſiam merita commendo: neque quanti æſtimandus ſit homiliarum Origenis in Ezechielem interpres Hieronymus, expono. Eo de argumento aptius alibi differetur. Hoc itaque tantum ago, ut ab objectionibus allegatum teſtimonium vindicem. Quid de Angelorum invocatione, ac cultu Canonici Scriptores, Irenæus quoque, & reliqui Patres objecti, adeoque ipſe Origenes ſentiant, alibi fuſe expoſui, exponamque etiam deinceps, quum Scripturarum, & Patrum objecta loca illuſtrabo: neque opportunum hic eſt, eo de argumento pluribus diſputare. His itaque omiſſis, ea explananda ſuſcipio, quæ locum hunc expreſſe impugnant. Colligata negas inter ſe eſſe ea verba. *Multitudo militiæ cæleſtis erat laudantium, & glorificantium Deum, quando natus eſt Chriſtus. Omnia Angelis plena ſunt: Veni Angele &c.* Ego vero aſſeveranter ajo, conjuncta illa eſſe. Quis enim non junctum videat, colligatumque hunc ſermonem? Angeli (de quibus hæc antea pronunciarat Origenes: *Quando viderunt principem militiæ cæleſtis in terreſtribus locis commorari, tunc per apertam viam ingreſſi ſunt, ſequentes dominum ſuum, & parentes voluntati ejus, qui diſtribuit eos cuſtodes credentium nomini ſuo*) Angeli, inquam, numero non pauci, qui nuper e cælo deſcenderant, & Chriſto aderant, canebant Dei laudes. Ab eo tempore cuncta Angelis plena ſunt, undique illis circumdamur, & cingimur. *Veni itaque Angele &c.* Mihi ſane apta omnia, & colligata eſſe videntur, unumque deduci, & ve-

veluti fluere ex alio. Tu quidem inquis, verba illa: *Cuncta Angelis plena sunt*, referri ad determinatum illud tempus, quo Christus humanam carnem assumpsit. Ego vero id pernego, ea etiam ratione commotus, quod si sensum hunc intendisset, dicere debuisset Origenes: Omnia Angelis plena tum erant: minime vero (quod tamen dicit) *Omnia Angelis plena sunt*: ideoque ajo, absolutum, & indeterminatum, nullisque aliis temporis circumstantiis affixum sensum habere illa, nisi quod connotent tempus, quod Christi incarnationem subsecutum est: id enim mihi videre videor in iis Origenis verbis paulo ante positis. (*) *Qui distribuit eos custodes credentium nomini suo. Tu heri sub dæmonio eras, bodie sub Angelo . . . . Obsequuntur saluti tuæ Angeli, concessi sunt ad ministerium filii Dei, & dicunt inter se: Si ille descendit, & descendit in corpus; si mortali indutus est carne, & sustinuit Crucem, & pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eja omnes Angeli descendamus de cælo. Ideo & multitudo militiæ cælestis erat laudantium, & glorificantium Deum, quando natus est Christus. Omnia Angelis plena sunt. Veni Angele, suscipe &c.* quæ quidem invocatio aptissima est. Si enim Angelis plena sunt omnia, habemusque hic præsentes datos credentibus custodes, exemploque Christi commotos, & incitatos, studiosissimos ferendæ nobis opis, & subsidii, rectissime ad eos confugimus, poscimusque ab illis, ut nobis adsint, & nostra curent, eaque invocatione ostendimus, quantam in eorum ope, ac subsidio fiduciam, ac spem collocemus. Cui quidem solutioni, si vis, robur iis adde, quæ de intercessione Angelorum disputantes, ex Origene ipso protulimus, quæque hic repeterem, nisi lector facillime illa perspicere per se posset.

(*) pag. 888.

II. Quamquam posterioribus iis verbis ex homilia in Ezechielem nuper depromptis, quibus Angeli se se mutuo alloquuntur, & veluti invitant, ut descendant, & nobis opitulentur, penitiorem sensum delitere innuit Huetius. Etenim cum putarit Origenes, aliquos Angelos fuisse incarnatos; docuerit quoque, non modo Ecclesiis, & hominibus, verum etiam rebus rationis, mentisque expertibus custodiendis fuisse præpositos, utramque opinionem his verbis aut expressisse, aut saltem indicasse videtur. Sed ad hunc sensum iisdem verbis tribuendum, minime, ut puto, cogimur, & sane simillima his occurrunt in aliorum Patrum scriptis, quos tamen Patres ab Origenis erroribus remotissimos fuisse novimus.

CAP.

CAP. XIII.

Cum Angelum invocat, ut ad Christianam religionem conversum adjuvet, foveatque, Origenem non de se loqui, sed de Cathecumeno, seu si vis, de Cathecumenis & pœnitentibus, quos Oratorum more singulari nomine appellat: articulum hic, *& similes omitti facile posse, præsertim si præsens is est, quem indicamus. Gratiæ largitorem non effici objectis verbis ab Origene Angelum. Afferimus denique alium Origenis locum, quo manifeste favisse Sanctorum invocationi Origenem constet.*

I. AT reliqua persequamur. Ajo vero Origenem non de se, sed de Cathecumenis, & Neophitis, seu si vis, de pœnitentibus sermoni illi præsentibus loqui. Quum hæc ait: *Suscipe sermone conversum*, Oratorum more, qui singularem numerum sæpe adhibent pro plurali, eos veluti digito monstrat, ideoque opus non habet, ut addat articulum seu particulam *hunc*, seu *hos conversos*: nam eo quidem digiti indicio suppletur articulus, & particula demonstrativa. Nonne a Quintiliano (a) discimus, *manus in demonstrandis locis, atque personis, adverbiorum, atque pronominum obtinere vicem?* Quibus porrò verbis monitum tuum refellitur, quo nempe ais, articulos, seu particulas *ego, me*, & similes suppleri quidem posse; at suppleri non posse articulos *hic, hunc*, & affines alios. Non ita effatur Quintilianus, qui ut ex adductis verbis liquido constat, generatim docet, manus adverbiorum, atque pronominum obtinere vicem, ideoque suppleri per earum indicium posse articulos eos ipsos, quos tu negas suppleri posse. Sed ut efficacius objectio tua revincatur, exempla affero, quibus plane innotescat, etiam quum digitus ad aliquem non intenditur, suppleri tamen interdum posse, atque intelligi veluti delitentes has particulas, seu articulos: & quoniam Virgilio maxime fidis, hujus auctoritate, atque exemplis controversiam hanc dirimo. Enim vero Virgilius v. 65. libri quarti Æneidum hæc ait.

Heu vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juvant?

Silentio premens articulum *hanc*, seu *eam*. Rursus v. 127. ejusdem libri hæc de Venere narrans

* * * * * * non adversata petenti

(a) Libro xi. instit. cap. 3. id est postremo.

Adnuit.

subintelligit *huic*: id est Junoni. Et deinceps de Iarba v. 219.

Talibus orantem dictis, arasque tenentem.

Substitui vult articulum *hunc*. Deinceps etiam, nempe v. 362. quum hæc de Didone effatur

Talia dicentem jam dudum aversa tuetur.

nonne *Æneam*, seu articulum *hunc* delitere iis verbis indicat? quod & occurrit versu 373. & sequenti:

Nusquam tuta fides, ejectum littore egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi.

quippe articulus *hunc* tam et si non exprimatur, intelligi debet, & tamen tunc fingitur Dido præsentem Æneam alloquens. Simillima alia in eodem libro exempla occurrunt, velut illud:

Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem.
Dicere (*b*)

(*b*) v. 390.

substituendus est enim articulus *hanc*. Neque multum abest illud

* * * * en dextra, fidesque,
Quem secum patrios ajunt portare Penates (*c*).

(*c*) v. 597.

Ut enim rectum habeat sensum, addenda est vox *hujus*

Quem secum &c.

& rursus illud, quod de Anna pronuntiat v. 674.

Per medios ruit, ac morientem nomine clamat.

hanc: Didonem scilicet morientem nomine clamat.

II. Porro tam multa ex uno Virgilii libro exempla deprompsi, ut intelligas, quoniam ad Virgilium appellas, non impeti nos, sed defensionem subsidiumque habere ex Virgilio. Nisi vero modus aliquis adhibendus esset, exempla plurima congererem, quibus Bocharti animositas repelleretur. Si quis tamen alia ab aliis auctoribus desumpta addere cuperet, ea facile præbebit Huetius, (*d*) ad quem te amando, dum nos ad se difficultates reliquæ advocant. Jam reliqua persequor.

(*d*) pag. 107.

III. Non ita accipi volo ea Origenis verba: *Suscipe sermone conversum ab errore pristino* . . . . . *& suscipiens eum quasi medicus bonus confove, atque institue*, & reliqua jam allegata, ut Angelum aliquem, vel Sacramenti ministrum, vel gratiæ, quæ in Sacramento conferatur, largitorem Origenes faciat. Apage tam invenustam, & a vero alienissimam interpretationem. Tantum modo ita-

que

que ab Angelo, quem invocavit, popofcit Origenes, ut Sacramento, quod converfus ab errore priftino aut proxime poft recepturus erat, aut nuper receperat, peculiariter cooperaretur Angelus, vel impetrando fcilicet majora a Deo auxilia, & gratiam uberiorem, vel alia ratione converfum virum adjuvando, excitandoque ad pietatem. An novum eft, eum alicujus rei, feu effectus vocari, aut certe indicari auctorem, qui auctor illius non eft, fed tantum cooperator, & adjutor? Sane dicitur aliquis reo vitam donaffe, quam revera non illi donavit, fed precibus, atque obfequiis impetravit a Principe? Verum hoc de argumento plura hic dicere fuperfedeo, quoniam uberrime de eo antea difputavi.

IV. Num de baptifmo tantum modo, an vero etiam de pœnitentia in allegato loco loquatur Origenes, gravis extitit Bochartum inter, & Huetium controverfia, quam dirimere præfentis non eft inftituti. Forte legendum eft *fecundæ generationis*, aut fi vis, *regenerationis* dempta voce *fecundæ*: neque enim errorum omnium expertem afferere audeo eam homiliam, quam nuper dixi amanuenfium negligentia fuiffe aliqua ex parte mutilatam, corruptamque. Ceterum mihi fatis eft ftabilire, neque miniftrum Sacramenti, neque largitorem gratiç Sacramentalis iis verbis defcribi Angelum: quod cum fuperiori animadverfione me oftendiffe arbitrer, ab ea difputatione hic abftineo. Vos fi partis utriufque argumenta noffe cupitis, confulite Epiftolam Bocharti ad Huetium, & fubfequentem Huetii ad eumdem Bochartum pag. 108. & fubfequentibus.

V. Ut ad potiffimam, eamque, quam primo fufcepimus, controverfiam revertar, num fcilicet Angelorum invocationi faverit, an non Origenes, ad augendam fidem eorum, quæ antea diximus, evincendumque, revera ab Origene Angelorum invocationem fuiffe approbatam, juverit celebratiffimum afferre teftimonium defumptum ex numero trigefimo exhortationis ad martyrium ab eodem Origene editæ. (e) En illud: *Ut enim, qui fecundum Moyfis legem affiftebant altari per fanguinem taurorum, & hircorum, remiffionem miniftrare peccatorum videbantur, fic eorum animæ, qui propter teftimonium Jefu fecuri percufsi funt, cælefti altari non adftant fruftra, fed precantibus remiffionem peccatorum miniftrant.* Quid enim eft aliud *remiffionem peccatorum precantibus miniftrare* Sanctos, qui cælefti altari non adftant fruftra, nifi eofdem Sanctos obtinere a Deo iis,

(e) pag. 293. tom. 1. editionis P. de la Rue.

iis, qui se eorum suffragationi commendant, ideoque eos invocant, peccatorum remissionem? Quod si Sanctorum suffragationi commendare, Origene auctore, nos possumus, eosdemque Sanctos invocare, cur Angelorum interventum exposcere, eosque invocare prohibebimur? Et de Origine dicta sint satis.

CAP. XIV.

Ad eandem consuetudinem comprobandam Ambrosium, aliosque laudatissimos Patres afferimus.

I. EXpenso, vindicatoque ab objectionibus, (quod superioribus capitibus præstitimus) celebratissimo Origenis testimonio, promovenda est disputatio nostra, ostendendumque, aliorum etiam laudatissimorum Patrum præsidio eam se tueri consuetudinem, quæ Angelos invocat. Profero primum Ambrosium vetustum sane, & præclarum Doctorem: *Obsecrandi sunt* (inquit ille) *Angeli* (a) *pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: Martyres obsecrandi.*

(a) in lib. de Viduis cap. 9. n. 55.

II. Augustinus (b) exaudiri eos qui ad Angelos interventus causa confugiunt, haud obscure indicat hæc elocutus. *Nam cum exaudiunt Angeli ejus, ipse in eis exaudit, tanquam in vero, nec manufacto templo suo, sicut in hominibus sanctis suis.* Si ii a Deo exaudiuntur, qui Angelos invocant, quis Angelos non invocabit?

(b) lib. x. de Civitate cap. 22.

III. Sane Angelos expresse invocavit Victor Vitensis (c) his verbis. „ Angeli Dei mei, qui nunquam deestis
„ constituti in ministerio vestro propter eos, qui hæredi-
„ tatem capessuri sunt æternæ salutis, & videte Africam
„ totam, dudum tantarum Ecclesiarum cuneis fultam,
„ nunc ab omnibus desolatam: tantis ordinibus Sacerdo-
„ tum ornatam, modo sedentem viduam, & abjectam.
„ Sacerdotes ejus, & Seniores in desertis locis, & in-
„ sulis defecerunt.

(c) lib. v. de persecutione Vandalica num. 19. edit. Ruinart.

IV. Haud ita multo post vixisse putatur homo ille, cujus meminit Gregorius Turonicus. (d) Rem integram ipsissimis Gregorii verbis describere conveniens foret; quippe quæ manifesto etiam ostendunt, quantum Dominus hujus modi approbet invocationem. Sed quoniam ea multa sunt, ad hunc Gregorii Turonici locum vos allego.

(d) de glor. Confess. cap. 1.

V. San-

V. Sanctus Sophronius Hierosolymitanus, (e) in oratione illa, quæ *Encomium sanctorum Angelorum* inscribitur, præclarissima, perspicuaque in rem nostram tradit. Pauca seligo ex plurimis. (f) „ O vos Cherubim oculis plena, „ & quadriformia .... Divini Verbi cognitione me ex- „ polite .... & e terra in sublime potenter evehite ... „ O Throni .... me ab omni fraude, & execrando o- „ pere liberate, Deique gloria, & majestate dignum „ efficite. O venerandæ Dominationes .... donate mi- „ hi, ut animi perturbationibus, quæ mentem corrum- „ punt, imperare, dæmonisque insidiis, quæ animum „ graviter lædunt, usque ad ultimum vitæ spiritum domi- „ nari queam. O Potestates .... impertimini mihi po- „ testatem contra aspectabiles, & inaspectabiles hostes, „ qui contra animam meam insurgunt, mentemque meam „ in captivitatem redigere contendunt .... O immotæ, „ masculæque Virtutes .... me debilem, ac infirmum „ divino robore, ac fortitudine circumcingite, & quo „ spiritales illos angues, & scorpios viriliter propulsem, „ protéramque, idoneum reddite. O flecti, moverique „ nescii Principatus .... quique tertio Angelorum choro „ prælati estis, fidi adeste, & quo de infestissimis hosti- „ bus triumphem, iisdemque ad finem usque imperterri- „ te, & sine vulnere resistam, sedulam operam navate. „ O ter sanctissime.... sacræ militiæ Princeps Michael, „ Angelorum Coriphæe, omni cultu, omnique laude, & „ celebratione dignissime .... Obsecro te, fidus causæ „ meæ patronus adesse ne graveris.

(e) Vide Dupin in Sophronium tomo 6. pag. 17.

(f) Tom. 2. Bibli. Parif. pag. 239.

VI. His addendus est Ildephonsus Toletanus (g) sic Angelum deprecans. „ Unde oro te, Sancte Angele, per in- „ dissecabilem hæreditatem fidei nostræ, per tuæ æterni- „ tatis statum .... ut des mihi hoc tantumdem nosse de „ Virgine Matre Domini mei, quod ipse nosti; hoc cre- „ dere, quod ipse sapis; hoc diligere, quod ipse dili- „ gis.

(g) de Virginitat. Dei Genitric. cap. xi. in fine.

VII. Porro Beda cap. quarto & vicesimo libri quarti in Cantica (h) ea docuit, quæ cum mirifice ad rem pertineant, non possum facere, quin hoc loco describam. „ Sed & cavernam maceriæ (*inquit ille*) cito volatu „ petamus; id est sanctorum vel Angelorum, vel ho- „ minum crebras pro nobis intercessiones apud miseri- „ cordiam pii Conditoris quæramus.

(h) ad verba illa *quæ lacte sunt lota, et resident juxta fluenta plenissima*.

VIII. Ejusdem consuetudinis testis locuples est etiam

Al-

(i) de usu Psalmorum pag. 138. edit. Paris. 1617.

(k) actione 6. in fine pag. 1191. to. 8.

(l) de laudibus Sanctæ Crucis lib. 2. cap. 3.

(m) n. 6. sermonis XII. in psalmum *Qui habitat*.

Alcuinus, (i) „ Rogo (*inquiens*) Sanctam, & Beatissimam
„ Matrem Mariam: rogo viginti quatuor seniores, omnes
„ sanctos Angelos deprecor, omnibus sanctis Patriarchis,
„ & Prophetis supplico.

IX. Idem fere tradit septima Synodus generalis hæc pronuncians. (k) „ Ergo cum timore Dei omnia faciamus, expetentes etiam intercessiones intemeratæ dominæ nostræ, & natura Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, atque sanctorum Angelorum.

X. Similiter Rabanus Maurus: (l) „ Qua propter (*inquit*) vos quoque præclari Angelorum exercitus supplices obsecramus, ut dignas grates Salvatori nostro incessanter agatis, & Sanctum nomen ejus in sæculum benedicatis.

XI. Sed quis omiserit Sanctum Bernardum in sermone duodecimo in Psalmum *Qui habitat*, multa in rem hanc, sed præsertim numero nono hæc tradentem? „ Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adjutorem tuum, in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, & dic. Domine salva nos, perimus.

XII. Porro cum nullus ex Catholicis Doctoribus horum monitis obstiterit, in eadem, atque hos, sententia fuisse dicendum erit, ideoque universam Ecclesiam Angelorum invocationi favisse, præsertim quum & interventum, præsidium, auxilium, opemque ab iis sæpissime fuisse allatam noverint omnes. De eorum vero præsentia dubitare utique non possumus, si quid probabilitatis habent ea, quæ de eorum agilitate Theologi tradunt: quam quidem Angelorum præsentiam non obscure indicavere, Origenes tum in nuper laudata homilia in Ezechielem, tum in iis locis, quæ de intercessione agens citavi, & Bernardus: (m) quorum quidem vestigiis, nemine præsertim dissentiente, insistere, laudatissimum esse reor.

CAP.

C A P. XV.

Expenditur, & vindicatur ab illaudabili interpretatione celebratissimus Irenæi locus.

I. POstquam traditionem Ecclesiæ circa Angelorum invocationem, precesque iis delatas recensuimus, reliquum foret, ut cuncta quibus invocationem Catholicis usitatam impetunt, adversariorum argumenta dilueremus. At quoniam non levis pars oppositionum subsequentes etiam assertiores impetit, hic ea tantum modo afferemus, quibus peculiariter oppugnantur, quæ superioribus capitibus de Angelorum invocatione proposuimus. Sic vero disputant. Irenæus multis in locis vetat, ne Angeli invocentur. Quis ergo invocet? Satis erit, si unicum, sed manifestum illius testimonium allegemus. En illud: (a) ,, Quemadmodum enim gratis accepit a Deo, gratis & ministrat, nec invocationibus Angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec reliqua prava curiositate, sed munde & pure, & manifeste orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini Jesu Christi invocans, virtutes ad utilitates hominum, sed non ad seductionem perficit. Cujus quidem rei causam hanc affert Irenæus., Quia nomen Domini nostri Jesu Christi beneficia præstat, & curat firmissime, & vere omnes ubique credentes in eum. Porro unius Irenæi, ut potevetustissimi, & doctissimi Viri, auctoritatem præferimus (inquiunt) auctoritati eorum Patrum, quorum a Pontificiis testimonia allata sunt: quippe hi a puritate veterum sæculorum discesserunt.

(a) Libro secundo contra hæreses, olim cap. 57. in nova editione 32. n. 4. & 5.

II. At adversariorum impetus sic retundite. Irenæus in objecto testimonio omnino non reprehendit invocationem proborum Angelorum, sed malorum; vel si forte bonorum Angelorum invocationem reprehendit, improbam, superstitiosamque invocationem reprehendit. Utrumque nos quoque reprehendimus, & merito reprehendimus. Eam esse Irenæi sententiam, quam dixi, manifesto ostendunt illius verba, quæ integra opto legas. Enim vero eas invocationes reprehendit, quæ *incantationibus, & prava curiositate peraguntur; & in quibus non munde, & pure, & manifeste orationes diriguntur ad Dominum, qui omnia fecit, neque invocatur nomen Domini nostri Jesu Christi ad utilitatem hominum, sed virtutes* (id est raras quasdam

atque

atque inusitatas sanationes, aut fortasse species quasdam & mirabiles apparitiones) *non ad utilitatem hominum, sed ad seductionem perficit*. Eas invocationes reprehendit, quæ ab iis fiunt, qui si quid faciunt, *Magica operati fraudulenter nituntur seducere insensatos*, (b) *fructum quidem, & utilitatem nullam præstantes, in quos virtutes perficere se dicunt, adducentes autem pueros investes, & oculos deludentes, & phantasmata ostendentes statim cessantia, & ne quidem stillicidio temporis perseverantia, non Jesu Domino nostro, sed Simoni Mago similes ostenduntur*. Eas invocationes reprehendit, quæ ab iis fiunt, *qui sunt a Simone, & Carpocrate, & quæ ab iis, qui virtutes operari dicuntur, non in virtute, neque in veritate, neque ut beneficia hominibus facientibus ea, quæ faciunt, sed perniciem, & errorem per magicas elusiones, & universa fraude plus lædentes, quàm utilitatem præstantes illis, qui credunt eis in eo quod seducunt; nec enim possunt cæcis donare visum, neque surdis auditum, neque Dæmones effugare; præter eos, qui ab ipsis committuntur, si tamen & hoc faciunt, eædemque quæ ab iis fiunt, quorum divinam conversationis operationem si quis observabit, operationem inveniunt unam, & eandem esse eis cum Dæmoniis conversationem*. Porro hujusmodi invocationem, & cultum improbum esse, nemo, ut reor, vertet in dubium. Sed quid hæc cum invocatione, quam nos tuemur, & sanctissimo illo, purissimo, atque a Divino remotissimo cultu, quem nos probis Angelis adhibemus, commune habent? Reliqua in objectione attacta, cum copiosissime alibi dissolverimus, & rursus deinceps simus dissoluturi, in præsenti omittimus.

(b) vide n. 3. capitis 32.



CAP.

CAP. XVI.

Consuevisse Christianos a primis usque sæculis Sanctos mortuos invocare. Post indicatos quosdam, ut ita appellemus, hujusce consuetudinis fontes, expressa ipsa Sanctorum Patrum verba adducimus, ex quibus id constet; ideoque allegamus Gregorium Nazianzenum, & Gregorium Neocæsariensem, si is est, cui tribuimus homiliam in Annunciationem Beatæ Virginis, inter Gregorii Neocæsariensis Opera editam.

I. NOvi equidem, solere multos hic recensere, quæ de Sanctorum interventu pro peculiaribus etiam nostris indigentiis alibi tradidimus; describere quoque, quæ de eorumdem Sanctorum præsentia, quæ de scientia, & notitia rerum nostrarum, quam ipsi Sancti habent, non indiligenter alibi edocuimus. Sed quamquam his innituntur, aut saltem inniti possunt invocatio, precesque Sanctis delatæ, hæc tamen hic consulto prætermitto, ut consistam in iis expressioribus testimoniis, quibus manifesto constet nostra persuasio. Quam ut probarem, possem hic ea quoque proferre, quæ nuper de precibus ad Angelos delatis disserui: quippe, uti vidimus, Angeli a Christianis procul dubio invocati fuerunt: quæ res probationem non contemnendam subministrat, ut Sanctos quoque invocatos fuisse dicamus; cur enim si Angelos invocamus, Sanctos non invocabimus, cum validioribus momentis urgeamur ad adhibendas Sanctis, quàm ad adhibendas Angelis preces? qua de re vide quæ alibi in rem hanc diximus (*a*): hæc tamen ipsa etiam omitto, ut in iis hæream argumentis, quibus expresse innotescat, a Christianis fuisse jam pridem Sanctos invocatos. Neque illa produco, quæ ex libro 2. Commentariorum in librum Job, quæ diu Origeni tributa sunt, desumuntur; neque ea quoque, quæ ex *lamento*, quod sub ejusdem Origenis nomine vulgatum est, interdum citata audies: quippe hæc tam & si perspicua sint, & Sanctorum invocationi mire faventia, tamen a diligentioribus Theologis aut Origeni demuntur, aut saltem inter dubia Origenis Opuscula recensentur. Cupio autem, quo ad fieri potest, certa proferre, ideoque hic repeto, quæ ex ejusdem Origenis exhortatione ad martyrium paulo ante produxi (*b*).

(*a*) differ. 3. cap. 9.

(*b*) num. postremo capitis 13.

II. Porro indubitata res est, virum sanctissimum, & doctissimum Gregorium Nazianzenum haud obscure adtestari, tertio Ecclesiæ sæculo Christianos consuevisse Sanctos deprecari: quippe ab eo inducitur Justina (quæ, judice Baronio, (c) Diocletiano imperante cum Cypriano Nicomediæ Martyrium subiit) Virginem Mariam obsecrans, ut in eo discrimine, ad quod Cypriani tum magi veneficia, & cantiones adducere poterant, sibi præsentissimam opem ferret. *Hæc, atque his plura commemorans, Virginemque Mariam supplex obsecrans, ut periclitanti Virgini suppetias ferret &c.* (d).

(c) in adnotationibus in Martyrologium 26. Septem. litt. A.

(d) in Oratione 18. quæ inscribitur *in laudem S. Cypriani Martyris*.

III. Me non latet, monere adversarios, descripsisse Nazianzenum rem aliter, atque evenit, moremque potius sui sæculi, quàm priorum expressisse. Sane haud diligentem in hac historia enarranda fuisse illum, liquido noscis (inquiunt) ex eo, quod de Cypriano Carthaginiensi Episcopo in eadem oratione tradit, maleficiis scilicet illum olim pertentasse Justinam Virginem ad perditi cujusdam adolescentis amorem deducere. De ea tamen re silucre, qui solertissime Cypriani Carthaginensis Episcopi vitam conscripserunt. Ex quo errore merito viri docti conjiciunt, aut confinxisse illum fabulam totam, aut si vis, ab aliis confictam litteris consignasse, aut saltem ex duobus Cyprianis, Carthaginiensi, & Nicomediensi, unum effecisse: aut denique eam, quam narrat historiam, vel pervertisse, vel quam corruptam invenit, evulgasse.

IV. At his sic occurrite. Sanctitas, probitasque Nazianzeni vetat, ne suspicemur, historiam istam aut confictam fuisse ab eo, aut corruptam. Cur enim id fecisse vis? Num Cyprianus Carthaginiensis magiæ aliquando, antequàm scilicet Christianus fieret, dederit operam, dubitari forte potest. Plerique sentiunt, ab ea, etiam antequam baptisma susciperet, fuisse alienissimum: ideoque errasse probatissimos etiam viros, dum Carthaginiensi Episcopo id tribuerunt, quod Nicomediensis Cyprianus olim agere pertentarat. Vide quæ hanc in rem tradit egregius Vir Tillemont (c).

(c) Tom. v. hist. Eccl. pag. 719.

V. Nonnulli tamen dicere non dubitarunt, Carthaginiensium ipsum Episcopum Cyprianum olim magicis artibus indulsisse, ideoque haud immerito ad eum confugisse perditum illum adolescentem, qui castissimam Christianam Virginem enixissime diligens, nulla eam poterat

ra-

ratione ad improbandum amorem allicere. Id multorum quidem judicio visus est sensisse haud illaudabilis Scriptor Nicetas in Scholiis ad allegatam Nazianzeni orationem. Sed tam & si facile dederim, in eo errasse Nazianzenum, quòd ex duobus Cyprianis unum effecerit, non continuo id improbo, quod de Justina ad Virginem Mariam opis exposcendæ causa confugiente enarrat; sive enim Nicomediæ, sive Carthagine id factum sit, sive ad id impulerint Carthaginiensis, sive Nicomediensis malefici artes; factum esse sane arbitramur, tibique incumbit, ut probes, prorsus confictam esse illam narrationem; confictam vero minime probas ex eo, quod duos viros, eorumque gesta diligentissime non sejunxerit Nazianzenus, & uni tribuerit, quod alteri tribuendum erat. Sed jam properemus ad alia.

VI. Gregorius Neocæsariensis (si tamen is auctor est homiliarum illarum, quæ præposito sanctissimi Doctoris nomine prodiere) in homilia, seu Oratione secunda in Annunciationem Beatæ Virginis Mariæ in fine, interprete Gerardo Vossio: (*f*) *Per te*, (inquit) *o gratia plena, Trinitas Sancta, & consubstantialis in Mundo cognoscitur. Tecum & nos dignare participes efficere perfectæ tuæ gratiæ in Christo Jesu Domino nostro.*

[f] tom. 3. Bibl. Pat. pag. 310. edit. Lugdu.



CAP. XVII.

Gregorium Turonicum, Athanasium (seu alium quemlibet auctorem Orationis in Annunciationem, Athanasii nomine evulgatæ) Basilium, Gregorios duos, Nazianzenum, & Nissenum, Ephrem Syrum, denique Ambrosium ad eandem consuetudinem comprobandam afferimus.

I. His forte temporibus, quibus Gregorius Neocæsariensis vixit, aut certe haud valde remotis id evenit, quod Gregorius Turonicus describit. (a) Rem libet iisdem verbis enarrare, quibus Gregorius enarrat. „ Bartholo-„ mæum Apostolum apud Asiam passum agonis ipsius „ narrat historia. Post multorum vero annorum spatia „ de passione ejus cum iterum Christianis persecutio ad-„ venisset, & viderent Gentiles, omnem populum ad „ ejus sepulcrum concurrere, eique deprecationes assi-„ due, & incensa deferre, invidia inlecti, abstulerunt „ corpus ejus, & ponentes in sarcophagum plumbeum pro-„ jecerunt illud in mare.... a loco illo aquis subvehentibus „ sublevatum, delatum est ad insulam vocabulo Liparis. Re-„ velatumque est Christianis, ut eum colligerent: colle-„ ctumque, ac sepultum ædificaverunt super eum templum „ magnum. In quo nunc invocatus, prodesse populis mul-„ tis virtutibus, ac beneficiis manifestat.

(a) lib. 1. de glor. Martyr. cap. 33.

II. Allegatum audivi in rem nostram Athanasium in Oratione de Annunciatione num. 14. sed cum Athanasii non sit ea oratio, vobis auctor sum, ne sub Athanasii nomine proferatis. Antiqua tamen ea est.

III. Basilius numero 8. homiliæ in quadraginta Martyres, communem suis temporibus Sanctos invocandi consuetudinem sic exhibet. *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugit ; qui rursus lætatur, ad hos recurrit ; hic ut a malis liberetur, ille ut duret in rebus lætis. Hic mulier orans pro filiis auditur : peregrinanti viro reditum incolumem, ægrotanti vero salutem implorat.* Quem morem ipse non reprobat, immo palam approbare videtur hæc elocutus*: Cum his ergo Martyribus nostras effundamus preces .... O sanctum chorum &c.*

IV. Gregorius Nazianzenus tum alibi sæpe, tum certe in Oratione in S. Cyprianum in fine ipso orationis sic

cum

eum deprecatur. „ Tu vero nos benignus e cœlo aſpice, „ atque orationem noſtram, ac vitam guberna, ſacrumque hunc gregem paſcentem adjuva cum in ceteris rebus, tum pravos lupos ſyllabarum, & verborum captatores amoliens, Sanctæque Trinitatis, cui nunc adſiſtis, pleniorem, clarioremque ſplendorem nobis impertiens &c. Etiam in oratione in S Baſilium, ſic ad eum in cœlis degentem in orationis fine ſupplices preces dirigit. „ Tu vero ſacrum, & divinum caput, ex alto „ nos reſpice, & carnis ſtimulum ad inſtructionem noſtram a Deo nobis datum aut tuis ſiſte precibus, aut fortiter me ferre perſuade, totamque vitam nobis in melius permuta; quum vero emigrabimus, nos ibi tuis excipe tabernaculis; quo ſimul viventes Trinitatem Sanctam, & Beatam pariter aſpiciamus purius, & perfectius &c. Vide ejuſdem Nazianzeni Orationem in S. Athanaſium in fine.

V. Id ipſum præſtat Niſſenus: quippe n. 2. Orationis in S. Theodorum ſic ſui temporis conſuetudinem venerandi, & deprecandi Sanctos deſcribit. „ Quaſi corpus enim per „ ſe vivens, & florens qui intuentur, amplectuntur, oculis, ori, auribus, omnibus ſenſuum inſtrumentis adhibentes; deinde officii, & affectionis lacrymas martyri, quaſi integer eſſet, & appareret, ſuperfundentes, ut pro ipſis deprecator intercedat, ſupplices preces offerunt, tanquam ſatellitem Dei orantes, quaſi accipientem dona, cum velit, invocantes. Quem certe morem ipſe commendat hæc elocutus. „ Ex his omnibus, o popule pie, diſcite, quod pretioſa, ac honorata coram Domino ſit mors Sanctorum ejus &c. ... „ Cui Regum talis honor habetur? quis ex iis, qui ſupra modum inter homines excellere viſi ſunt, tali memoria celebratur? Et clarius n. 7. „ Tu vero jam ades „ ad nos, ubicumque tandem fueris, ut diei feſto præſis. Vocantem enim te contra vocamus: ac ſive in ſublimi æthere habitas, ſive per cæleſtem aliquem circulum verſaris; aut in Choros Angelorum cooptatus Domino adſiſtis, aut cum Virtutibus, & Poteſtatibus, ut ſervus fidelis, adorationis officio fungeris: parumper ab iis officiis vacationem deprecatus, veni ad hos, qui te honorant, inviſibilis amicus: cognoſce ac viſe ferias, quæ celebrantur.

VI. Ephrem Syrus Mariam Virginem & mire commen-

mendat, & deprecatur atque invocat in duabus illis Orationibus, quas de ea scripsit: in ea quoque, quam interprete Vossio inscripsit *Lamentationes Virginis*. (b) Sanctos quoque deprecatur in Oratione secunda *de laudibus sanctorum Christi Martyrum* (c) In Oratione in *Sanctos 40. Martyres*, (d) & in Oratione in *Patres, qui temporibus suis consummati sunt* (e). Hæc loca opto ut videas. Tam & si vero non ausim asserere, certo constare, eas omnes, quas nuper allegavi orationes, a vetere illo laudatissimo Ephremo Syro fuisse exaratas, non propterea sentio, fuisse omnes temere illi tributas: mihi vero satis est, ut unum habeam, quod ex illo allegem, testimonium: Porro inter tot allegatas Orationes indubitate crediderim aliquam veteri Ephremo tribui debere. Vide, si vis, quæ alibi de hoc ipso Ephremo dixi. At si his fidem forte non adhibes, adhibeas saltem oportebit iis, quæ tradit ille in sermone alio, quem quidem constat indubitate fuisse ab Ephremo compositum. Is est sermo, qui his verbis incipit: *Labor & dolor &c.* (f) Sic porro Dominum deprecatur: *Recordare quoque lacrymarum mearum, quas coram sanctis Martyribus tuis effudi*. Quid enim est effundere coram Martyribus lacrymas, nisi eos (fortasse eorum reliquias, aut imagines innuit, ante quas prostratus oraret) deprecari eorumque opem, atque intercessionem expolcere?

(b) pag. 697. editionis omnium operum Coloniæ Agrippinæ an. 1675.
(c) pag. 744.
(d) pag. 727.
(e) pag. 766.
(f) inter asceticos serm. p. 40. par. 1. tom. 1. edit. Rom. at hoc testimonium respondet pag. 69.

VII. Quid vero de Ambrosio sanctissimo, doctissimoque Antistite eloquar? quando quidem constat, eum apertissime Sanctorum invocationi favisse. Commemoro hoc loco unum, at indubitatum illud & certum; nempe caput nonum, alias numerum 54. & 55. libri *de Viduis*, ex quo cum alibi verba ad rem nostram comprobandam aptissima allegaverim, hic ea non repeto, sed illuc amando lectorem.

CAP.

CAP. XVIII.

Alios proferimus Patres pro eadem consuetudine stantes, quorum enumerationem in hoc capite ad Asterium usque perducimus.

I. NUnc quibus modis eam, de qua agimus, consuetudinem & proponant, & probent alii Patres, paucis expediam, a Chrysostomo Viro sanctissimo, & doctissimo exordiens. Itaque Joannes Chrysostomus in homilia de Sanctis *Bernice*, *Prosdoce*, & *Domnina*, ut eas deprecarentur, atque implorarent auditores, hisce verbis, quibus homiliam concludit, hortatur. (*a*) „ Eas obsecremus, obtestemur, ut patronæ sint nostræ; „ multam enim fiduciam obtinent non viventes modo, „ sed & mortuæ, multoque magis cum sunt mortuæ. „ Jam enim stigmata ferunt Christi; cum autem stigmata hæc ostendunt, omnia Regi possunt persuadere. „ Quando igitur tanta illæ virtute pollent, tantaque apud eum amicitia, cum continua velut obsessione, ac „ perpetua illarum visitatione in familiaritatem nos illarum insinuaverimus, ipsarum opera, Dei misericordiam impetremus. Homiliæ quoque in Sanctum Meletium hunc finem imponit. (*b*) „ Oremus itaque omnes simul, tam Magistratus quàm privati, tam mulieres quàm viri, tam senes quàm juvenes, tam servi quàm liberi, beatum ipsum Meletium harum precum socium accipientes: Est enim ei nunc major fiducia, & amor in nos ferventior, ut hæc nobis augeatur caritas, & nos omnes id consequamur, ut quomodo „ hic prope arcam istam adstamus, ita illic quoque prope beatum, & æternum ejus tabernaculum esse, & bona æterna nobis reposita consequi possimus.

(*a*) to. 2. pag. 645.

(*b*) tom. 2. pag. 523.

II. Haud ita post vixit Martinus Turonicus Episcopus Miraculorum, & Sanctitatis gloria clarissimus. Preces porro ab eo Sanctis fusas fuisse indicat idem Gregorius Turonicus capitibus quarto, & quinto libri illius, quem *De gloria Confessorum* inscripsit.

III. Theodosium Imperatorem tum bellica laude, tum maxime pietate, & plurimis erga Catholicam Ecclesiam meritis insignem ad Sanctos preces fudisse, novimus ex Rufino, qui in libro posteriore ex iis, quos Eusebii hi-

sto-

storiæ addidit, cap. 33. hæc de Theodosio ait. „ Circui-
„ bat cum Sacerdotibus, & populo omnia orationum lo-
„ ca, ante Martyrum, & Apostolorum thecas jacebat
„ cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum inter-
„ cessione poscebat.

(c) cap. 24. libri 7. histor. Eccles. tum antiquæ, tum recentioris editionis Valesii.

IV. Id ipsum discimus ex Sozomeno: quippe (c) hæc scribit, Valesio interprete. „ Cum autem egressus Con-
„ stantinopoli ad septimum milliare pervenisset, Deum
„ illic orasse dicitur in Ecclesia, quam in honorem Joan-
„ nis Baptistæ construxerat: utque faustus ac felix sibi,
„ & exercitui, & Romanis omnibus belli exitus contin-
„ geret, postulasse, & Baptistam sibi auxiliatorem in-
„ vocasse. Hæc precatus, in Italiam iter fecit.

(d) in Epist. olim 27. in Veronensi edit. 108. n. 33.

V. Insignis est etiam Hieronymi locus. (d) En illum. *Vale, o Paula, & cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva: fides, & opera tua Christo te sociant; præsens facilius, quod postulas, impetrabis.*

VI. Visus est porro Deus novam fortasse, aptissimamque materiam nostris probationibus addidisse, dum in ea, in qua nos Romæ Ecclesiastica officia Deo persolvimus, D. Agnetis æde, detegi voluit vetustum marmor, in quo nonnulli Damasi versus insculpti sunt, quos libentissime refero, propterea quod eorum descriptione facile emendatur epigramma illud, quod Damaso quidem adscriptum, sed duobus prioribus versiculis valde corruptum pag. 844. tomi octavi Bibliothecæ Patrum legitur.

Fama refert, Sanctos dudum retulisse parentes,
Agnen, cum lugubres cantus tuba concrepuisset,
Nutricis gremium subito liquisse puellam;
Sponte trucis calcasse minas, rabiemque tyranni;
Urere cum flammis voluisset nobile corpus,
Viribus immensum parvis superasse timorem:
Nudaque profusum crinem per membra dedisse,
Ne Domini templum facies peritura videret.
O veneranda mihi, sanctum decus, alma pudoris,
Ut Damasi precibus faveas, precor, inclyta Martyr.

(e) Vide quæ alibi de hoc Scriptore diximus.
(f) pag. 203. tom. 1. Bibliot. PP.

VII. Philo Carpathius (e) in Commentariis in Canticum Canticorum, ad verba illa capitis 5. vers. 8. (f) quæ hoc modo legit: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per vires potestatesque agri, ut si inveneritis fratrem meum, denuncietis ei, quod ego vulnerata sum caritate:* in eandem sententiam hæc eloquitur. „ Clamat ad Apostolos, Prophe-
„ tas, & Martyres, (quibus se mater Ecclesia commen-

„ da-

„ dare non cessat) ut quos post Christum habuit suæ fi-
„ dei, & salutis auctores, eosdem habeat defensores,
„ tutoresque perpetuos, & perfectores suæ spei apud
„ eundem cælestem Sponsum. Cui quidem nunc custodes
„ illi beati Spiritus in cælesti illa Jerusalem felicissime as-
„ sistunt, ac supplicant pro sponsa hac militante, mor-
„ tali carne adhuc velata, studiosa tamen divini sui Spon-
„ si, planeque percupida illius assequendi. Ob idque
„ caritate ardens non modo rogat Apostolos ipsos, ac
„ ceteros fidelissimos patronos suos se se Deo commenda-
„ ri, verum etiam quasi adjurando cogit &c.

VIII. At Augustinum jam profero, fulgentissimum Ecclesiæ lumen. Hic (g) Paulum, & Stephanum sic alloquitur: „ Ambo ibi (cum Christo degentes) nos videtis.
„ Ambo modo sermonem nostrum auditis; ambo pro no-
„ bis orate. Ambo vos exaudiet, qui vos coronavit,
„ unum prius, alterum postea: unum qui persecutionem
„ passus est, alterum qui persecutus est. Et alibi. (h)
„ Ideoque habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles no-
„ verunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei,
„ ubi non pro ipsis oretur: pro ceteris autem commemo-
„ ratis defunctis oratur. Injuria est enim pro martyre
„ orare, cujus nos debemus orationibus commendari.
In sermone etiam olim primo inter editos ex majoris Cartusiæ MSS. nunc 284. num. 5. „ Non est ergo mirum, (inquit) fratres mei: scitis quo loco martyres recitentur?
„ Non pro illis orat Ecclesia. Nam merito pro aliis de-
„ functis dormientibus orat Ecclesia: pro martyribus non
„ orat, sed eorum potius orationibus se commendat.
Simillima tradit in sermone olim 107. de diversis, nunc 297. n. 3.

(g) in sermone olim 94. *de diversis*, nunc in serie 316. cap. & n. 5.

(h) in sermone olim 17. *de verbis Apostoli*, in nova edit. 159. n. 1.

IX. Quanti Paulinus Nolanus preces ad Sanctos fusas æstimaret, suo exemplo demonstravit: sæpissime enim deprecatur ipse, & alios ut deprecentur, hortatur. In panegyrico Celsi pueri v. 593.

Sed tamen & nobis poterit tua gratia longum
Vivere, si nostri sis memor ad Dominum.

Et mox, versu scilicet 611.

Celse, juva fratrem socia pietate laborans,
Ut vestra nobis sit locus in requie.

In primo Natali Sancti Felicis Nolani v. 11.

O Pater, o Domine, indignis licet, annue servis,
Ut tandem, hanc fragili trahimus dum corpore vitam,

Sedibus optatis, & qua requiefcis in aula,
Hunc liceat celebrare diem &c.

In fecundo Natali v. 11.

* * * Nam te mihi femper ubique propinquum
Inter dura viæ, vitæque incerta vocavi.

Sed in immenfum oratio crefceret, fi cuncta vellem recenfere loca, in quibus Paulinus Nolanus Sanctorum invocationi favet. Tria tantum apertiffima indicabo, nempe verficulum 26. & fubfequentes ejufdem Natalis fecundi, verficulum quoque 120. & fubfequentes Natalis III. & verf. 198. & fubfequentes Natalis IX.

X. S. Afterius in Oratione in Sanctos Martyres, confuetudinem deprecandi martyres hifce verbis defcribit. „ Qui humanæ vitæ adverfis cafibus, ac calamitatibus vexantur, velut ad afylum quoddam, ac perfugium ad ter beatorum requiem, ac folatia, feftine accedunt. Precum illos ac orationum interceffores adhibemus propter excellentem, qua pollent, fiduciam. His præfidiis levantur paupertatis incommoda: curantur morbi, ac Principum minæ fedantur: omniumque feculi turbinum, ac tempeftatum tranquilli portus, facra Martyrum delubra exiftunt. In hunc modum pater, feu parens altera infirmam prolem tollens, atque in ulnas fufcipiens, complectenfque, medicas quidem officinas, ac medicos tranfcurrit: ad auxilium vero artis expers confugit: atque ad unum aliquem martyrum adiens, per eum Domino orationem offert, verbis ejufcemodi compellans eum, quem mediatorem adfcifcit. Qui propter Chriftum &c. Et mox. „ Nec vero mercede vacuum in eos exhibemus ftudium, fed eorum apud Deum patrocinio fruimur. Quia enim non valent noftræ preces Deum inflectere, ac impetrare neceffitatis tempore, ac molefta calamitate: quippe cum noftra oratio, non obfecratio fit, fed delictorum commemoratio, idcirco ad confervos confugimus Domino cariffimos, ut pro quibus egregie, ac ex virtute egerunt, noftris illi delictis medeantur. Quodnam ergo iftud crimen, ut martyribus honorem habentes, ipfi quoque placere Deo ftudeamus? Concludit vero Orationem hoc modo: „ Itaque precemur Deum: fed & martyres obfecremus, ut a communi Domino impetrent, dari fpiritum compunctionis iis, qui hæretico errore aguntur: & ut foluta omni dubitatione, tamquam pariete, ac ma-

„ ce-

„ ceria, fraterna omnes unitate conveniamus in Christo Je-
„ su Domino nostro, quem decet gloria in sæcula. Amen.

CAP. XIX.

Susceptam enumerationem persequimur, & reliquos recensemus Patres, qui eundem morem expresserunt, atque approbaverunt. Ii sunt Prudentius, Maximus Taurinensis, aliique, quorum numerum Bernardus terminat.

I. PRudentius Asterii, ut alibi monui, æqualis non minus clara, nec minus frequentia præbuit precum Sanctis fusarum argumenta. In hymno secundo libri Peri stephanon, id est de coronis, tum communem morem confugiendi ad Sanctos, & recepta per eos beneficia haud obscure indicat, tum denique communem morem sequitur ipse, & Sanctum Laurentium, cujus Martyrium in eo hymno describit, deprecatur & invocat. En Prudentii verba (a) (a) v. 561.

Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere,
Poscunt, litantur, indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos urbicos,
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi, & poetam rusticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.

In Hymno 5. ejusdem tituli (b) sic Vincentium Martyrem deprecatur. (b) v. 546.

Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.

Et mox (c) (c) v. scilicet 566.

Paulisper huc tu illabere,
Christi favorem deferens,

Senſu gravati ut ſentiant
Levamen indulgentiæ

In hymno 8. ejuſdem tituli fideles hortatur, ut ad Caſſianum obtinendorum beneficiorum cauſa confugiant.

Rurſus in hymno 13. ejuſdem pariter tituli v. 121. Agnetem Virginem perſpicue invocat. Hæc loca conſulas opto.

II. Eandem Agnetem Virginem deprecatur ſive Maximus Taurinenſis, ſive alius, quiſquis tandem is ſit, cui tribuamus ſermonem de S. Agnete inter Maximi Taurinenſis ſermones editum. (d) Etenim ſic ſermonem claudit. „ Itaque, o ſplendida Chriſto, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis, & Archangelis grata, ut noſtri meminiſſe digneris, quibus poſſumus, precibus exoramus, „ ut nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam, qui regnat &c. Sed indubitate, & apertiſſime Sanctorum invocationi faviſſe putandus eſt Maximus Taurinenſis, dum ſæpiſſime ad colendos Martyres, eorumque feſta celebranda Auditores hortatur ſuos. Vide ſermones ejuſdem Sancti Maximi jam dudum editos, quibus adde eos, quos vir Clariſſimus Muratorius in lucem protulit, Tom. 4. anecdotorum.

(d) Vide Tillemont tom. v. hiſt. Eccleſ. pag. 345. & 723.

III. Theodoretus in ſermone 8. inter eos, qui *De curandis Græcorum affectionibus* inſcribi conſuevere, communem iis temporibus conſuetudinem confugiendi ad Sanctos, beneficiorum obtinendorum cauſa, Zenobio Acciajolo interprete, his verbis exprimit. „ Neque vero huc per annum ſemel, aut bis, aut quinquies adventamus, ſed in eis ſæpenumero dies feſtos „ peragimus, ſæpe diebus ſingulis eorum Martyrum Domino laudes, hymnoſque cantamus. Quique homines „ proſpera ſunt valetudine, conſervari eam ſibi a Martyribus petunt; qui vero ægritudinem aliquam patiuntur, „ ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri, & mulieres dari ſibi filios petunt; qui vero parentes ſunt, „ integra ſibi & propria cuſtodiri, quæ conſequuti ſunt, „ dona. Item qui peregre aliquò proficiſcuntur, petunt „ Martyres ſibi comites eſſe in via, vel potius itineris „ duces: qui vero jam ſoſpites redierunt, gratias agunt, „ acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos „ accedere arbitrentur, ſed qui orent Dei Martyres tanquam Divinos homines, interceſſoreſque ſibi eos apud

„ Deum

,, Deum advocent, ac precentur.

IV. Basilius Seleuciensis, in Oratione in Annunciationem, Virginem Deiparam sic deprecatur (e) ,, O Sanctissima Virgo, de qua quisquis præclara omnia, & illustria dicit, ut a veritate non aberrat, sic infra dignitatem prædicat, e cælo propitia nos respiciens, nunc quidem pacifice nos producito: postea vero ad judicialem thronum securos, ac nullo confusos pudore sistens, stationis ad dextram participes effice.

(e) Petavio interprete 14. de Incarnatione ca. 9. n. 12.

V. Memorabile est monitum illud, quod præbet Valerianus (f) hæc inquiens. ,, Oportet itaque primo loco, ut nos huic patrono frequentibus insinuemus officiis, quatenus pro nobis apud Dominum peculiaris intercessor invigilet, & vitam nostram dignationis suæ favore commendet. Nihil autem est, quod non possit homo, in qualibet necessitate positus, obtinere, si amicis summi Imperatoris non desinat supplicare.

(f) homil. 17. in serie earum quas edidit Sirmondus.

VI. Ad Sanctorum invocationem comprobandam si quis testimonium Concilii Calchedonensis, quod alibi jam attulimus, afferat, non temere afferet: quippe preces ad Flavianum fusas manifesto ostendunt verba illa: *Flavianus post mortem vivit. Martyr pro nobis oret.*

VII. Victor Vitensis (g) sic Sanctos invocat. ,, Deprecamini, Sanctissimi Patriarchæ, de quorum stirpe generis nata est, quæ nunc laborat in terris. Orate, Sancti Prophetæ, cognoscentes afflictam, quam antea vaticinante præconio cecinistis. Estote, Apostoli, suffragatores ejus, quam ut aggregaretis, universum orbem ascendente in vobis Domino, ut equi, velocissime cursitastis. Præcipue tu Beate Petre, quare siles pro ovibus, & agnis, a communi magno Domino magna tibi cautela, & sollicitudine commendatis? Tu Sancte Paule, gentium magister, qui ab Jerusalem usque ad Illyricum prædicasti Evangelium Dei: cognosce quid Vandali faciunt, & Ariani: & filii tui gemunt lugendo captivi. Tu Petri germane &c.

(g) in 5. libro historiæ persecutionis Vandalicæ n. 10.

VIII. Ea forte ætate, qua Victor Vitensis floruit, id evenit, quod de S. Sigismundo Rege (h) narrat Gregorius Turonicus. Rem verbis iisdem ipsis Gregorii recito. *Hic etenim* (Sigismundus) *post interemptum per iniquæ consilium conjugis filium, compunctus corde, Agaunum dirigit, ibique prostratus coram Sepulcris beatissimorum Martyrum Legionis Felicis, pœnitentiam egit, deprecans, ut quæcunque deli-*

(h) lib. 1. miracul. seu de gloria martyrum cap. 75.

que-

querat, in hoc ei seculo ultio divina retribueret, ut scilicet habeatur in judicio absolutus. Cur porro sepulcra Martyrum Legionis Felicis potius, quam alium quempiam poenitentiae, & precum locum elegit, ut in eo preces funderet, nisi quia Martyribus easdem preces interventus, & suffragii causa commendatas voluit? Et hanc ipsam ob caussam coram sepulcris beatissimorum Martyrum prostratus poenitentiam egit, deprecans &c. (*)

(*) in epist. ad Arcadium tom. 8. Bibliot. pag. 665. Lugduni 1677.

IX. Antoninus Episcopus Constantiniensis inter cetera argumenta, quibus ad tolerantiam hortatur Arcadium propter Fidem Catholicam a Genserico damnatum exilio, illud etiam recenset, quod habiturus est denique *amicos Petrum, & Paulum, quos solebat rogare ut patronos.*

(i) lib. 1. Epistolarum, Epist. v.

(k) tom. 1. Operum Sirmondi pag. 474.

X. Affinia sunt illa Sidonii Apollinaris, (*i*) dum preces a se Apostolorum (*k*) Principibus fusas, & receptam eorum beneficio sanitatem hisce verbis describit: „ Inter haec patuit & Roma conspectui, cujus mihi non „ solum formas, verum etiam Naumachias videbar epo„ taturus, (ob ardentem scilicet febrem, qua urebatur) „ Ubi priusquam vel pomaeria contingerem, triumpha„ libus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus „ sensi membris male fortibus explosum esse languorem. „ Post quae caelestis experimenta patrocinii &c.

XI. Ennodius crebra dat precum ad Sanctos fusarum, & spei in eorum intercessione argumenta, quae singula referre si vellem, nimio plus oratio excresceret. Aliquot seligo, sed perspicua. (*l*) Florum, & Decoratum deprecatur, ut pro se Sanctos orent (*) *Domine mi*, (fortasse scribendum est *Domini mei*) *salutationem plenissimam dicens, rogo ut primum pro me Sanctos orare dignemini.* Rursus (*) *Domine mi, salutationis reverentiam solvens posco, ut pro me omnes Dei Sanctos supplicare non desinas, quatenus vitae redditus de visione vestra gaudeam.* Et Epistola 25. libri 9. *Ergo Domina mi, salutationis gratiam, bonorificentiamque persolvens, rogo, ut pro me amico, & parente tuo Apostolorum liminibus non desinas supplicare, ut merear servare, quod praedico, & quod in aliis extollo, ipse non negligam.* Vide iterum Opusculum V. quod *Eucharisticum* inscripsit Sirmondus, qui illud edidit cum aliis Ennodii operibus.

(l) lib. 7. epist. 10. tom. 1. Operum Sirmondi pag. 908.
(*) lib. 7. Epistolarum, epist. x.
(*) in lib. 8. Epistola 43.

XII. At copiosissime, & saepissime Gregorius Turonicus tum saepe alibi, tum certe cap. 107. lib. 1. miraculorum seu *de gloria martyrum* mirum in modum Sanctorum invocationi favet. Ad eum locum vos allego.

XIII. Re-

XIII. Referre etiam libet ea verba, quibus Venantius Fortunatus Gregorii Turonici æqualis cap. 7. libri 1. opusculorum eandem consuetudinem approbat. En illa:

Sic, Martine, tuus honor amplus ubique meretur,
Ut loca nulla negent, quod tibi festa sonant.
Talibus officiis pacatus, opime Sacerdos,
Quorum vota vides, redde benigne vicem.

& rursus in fine vitæ Sancti Martini, sic eum invocat.

Intercede precor veniam, vir adepte coronam;
Eripe pastor ovem, ne clauda, vel extera restet:
Porrige celse manum, rege gressum, dirige sensum,

XIV. Similiter Gregorius Magnus homilia 32. in Evangelia recitata in Basilica Sanctorum Procelli, & Martiniani n. 8. „ Hos ergo, fratres carissimi, (inquit) in causa „ vestri examinis, quam cum districto Judice habebitis, „ patronos facite. Hos in die tanti terroris illius defen- „ sores adhibete. Certe si apud quendam magnum judi- „ cem causa qualibet vestra esset die crastino ventilanda, „ totus hodiernus dies in cogitatione duceretur, patronum „ vestra fraternitas quæreret, magnis precibus ageret, ut „ apud tantum judicem sibi defensor veniret. Ecce distri- „ ctus judex Jesus venturus est, tanti illius Angelorum, „ Archangelorumque concilii terror adhibetur. In illo con- „ ventu causa nostra discutitur, & tamen nos patronos „ modo non requirimus, quos tunc defensores habeamus. „ Adsunt defensores nostri Sancti Martyres, rogari vo- „ lunt, atque, ut ita dixerim, quærunt ut quærantur. „ Hos ergo adjutores vestræ orationis quærite.

XV. Verba Bedæ desumpta ex homilia recitata in Dominica II. Quadragesimæ alibi citavimus. Perspicua sane sunt illa, & digna quæ legantur.

XVI. Insignis est etiam Theophanis Ceramæi locus in homilia LXII. alibi laudata. Sic enim Virginem Mariam deprecatur. *Intercede pro nobis indignis servis. Deprecare unigenitum tuum filium, ut peccata nostra tollat.*

XVII. Theodorus Studites lib. 2. Epistolarum, Epistola 113. his verbis Præpositam sanctitate celebrem nuper defunctam deprecatur. *Tu vero, o beata anima, (ad hanc enim oratio convertenda) ne a nobis poscas, ut Deus tibi per nos sit propitius; sed tu illum nobis concilia deprecationibus: hoc enim te posse confidimus &c.* In Epistola vero 42. libri 1., quæque scripta est, ad *Annam Monacham*, Sirmondo interprete, eam hortatur ut Mariam

in

in primis, tum reliquos Sanctos invocet. „ His actis in-
„ voca Sanctam Deiparam, ut tui misereatur: sanctos
„ Angelos, & quem vitæ tuæ custodem habes Angelum,
„ ut te custodiat, & protegat. Præcursorem, Apostolos,
„ Sanctos omnes, & quos præcipue invocare consuevisti,
„ & illum, cujus memoria eo die agitur.

XVIII. Gofridus Abbas Vindocinensis, cujus Epistolas, sermones, & tractatum de Ordinatione edidit Sirmondus (*) (lib. 1. Epistolarum, Epistola 7.) hoc de precibus ad Sanctos fusis, earumque efficacia testimonium præbet. „ Talibus patronis terra lætatur, cælum exultat: &
„ quia felix eorum vita mortem meruit gloriosam; hinc
„ sancta eorum solemnia plebs Christiana celebrando
„ frequentat, & per supplicabiles ipsorum preces se tota
„ devotione suo Creatori commendat. Horum itaque so-
„ lemnia celebrare est utile, & religiosum: se piis eorum
„ precibus commendare, utile pariter, & necessarium.
Videas etiam obsecro ea verba, quibus sermonem *III.* concludit, & sermonem octavum, qui inscribitur *In omni festivitate Beatæ Mariæ Matris Domini*: quippe mire commendat Mariam, & precum illius efficaciam describit, narrata Theophili post Christum negatum ad Mariam confugientis, & veniam obtinentis historia. In fine vero sermonis ad deprecandum Petrum, & Latronem in cruce ad Christum conversum fideles hortatur.

[*] tom. 3. Sirmon. pag. 411.

XIX. His adde quæ S. Bernardus hac de re sæpissime tradit, veluti in Officio S. Victoris ab eo edito, & ea, quæ docet n. 5. sermonis 2. in natali ejusdem Sancti Victoris.

XX. Et de his quidem hactenus: Etenim subsequentibus temporibus omnium fidelium animos occupatos ab ea persuasione, qua credimus, utilissimum esse Sanctos deprecari, invocareque, consuevisse quoque Christianos iisdem Sanctis preces adhibere, ipsimet adversarii fatentur.

CAP. XX.

Pauca quædam attingimus argumenta, quibus ejus, de qua in superioribus capitibus egimus, moris Sanctos invocandi probitas, atque utilitas stabilitur.

SEd quoniam non desunt inter adversarios, qui & antiquissimam, & perpetuo in Ecclesia retentam aiunt esse eam, de qua agimus, consuetudinem, at non continuo laudabilem esse fatentur, quippe aut improba eorum quidem judicio ea est, aut saltem ab utilitate alienissima: adversus hos paucis præscribimus, & probum esse, atque utilem eum morem, quem Catholici servant, invocandi in sui subsidium, atque opem Sanctos, ostendimus.

II. Cur enim non probum esse fatebimur eum morem, quem Viri sanctissimi, quorum jam testimonia retulimus, commendant adeo, & inculcant, quem ab antiquis acceptum jugiter retinuit, & nunc etiam servat Ecclesia? quem qui adhibent, humilitatem, & reliquas virtutes exercent, quarum etiam causa ad invocandos Sanctos nos hortantur veteres Doctores? Id sane mihi videntur ii tradere Patres, quorum verba cum vel jam retulerim, vel deinceps sim relaturus, necesse hic non est ea repetere.

III. Utilitatem vero quis demet eidem mori, quum utilissimum id sit, quod probum est? At utilem etiam ostendunt tum Patrum monita nuper allata; adeo interdum expressa, ut dicere non vereantur *utile, & necessarium esse se piis Sanctorum precibus commendare*; (*) tum ea beneficia, quæ Sanctorum invocatorum interventu recipimus nec levia sane, nec pauca. Juverit etiam ad ea animum intendere, quæ de probitate, atque utilitate cultus adhibiti Sanctis fusius alibi disserui: facile enim huc deduci ea possunt, præsertim quum inter seu genera, seu argumenta cultus Sanctis adhibiti nullum fortasse præstantius sit ea, de qua agimus, invocatione.

(*) Gofridus nuper allegatus.

CAP. XXI.

Ea recensemus argumenta, quibus inducti sunt Protestantes, ut putent improbam esse consuetudinem deprecandi, invocandique Sanctos.

I. HIs itaque positis restant illa examinanda argumenta, ob quæ ejusmodi morem nonnulli aversantur: ac primo quidem illa recensenda sunt, dissolvendaque, quibus improbam Sanctorum invocationem stabilire student: tum ad illa animum adjiciemus, quibus nos persuadere nituntur, periculorum plenam eamdem invocationem esse: utilitatem denique ejusdem moris tuebimur, & ab objectionibus vindicamus.

II. Quæ ex primo objectionum capite adversarii petunt, hæc sunt. Invocatio Sanctorum id Deo demit, quod ille sibi reservavit. Nempe præcepit, ut solus invocaretur. Hoc modo 1 Paral. 16. v. 8. *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus*. In Psalmo 104. v. 1. *Confitemini Domino, & invocate nomen ejus*. Nomen ergo suum tantum modo invocari voluit Dominus, sicut sibi soli confessionem fieri, omnipotentiæ scilicet, & miserationis suæ maximæ: *Confitemini Domino*. Porro Paulus hujusce rei egregiam causam adducit, nos monens, illum tantummodo invocari posse, ad quem suprema fides nostra fertur, & in quo illa desinit. *Quomodo invocabunt*, (inquit Paulus (*a*)) *in quem non crediderunt?* Quis vero in dubium revocet, eum, ad quem suprema fides nostra fertur, & in quo veluti desinit, Deum tantummodo esse? Improba erit ergo invocatio alterius cujusque; qui Deus non sit.

(*a*) Rom. 10. v. 14.

III. Ad hoc caput spectant crebra Patrum monita, quibus docemur, Deum tantum modo invocandum esse. Hoc modo Arnobius, cujus verba notissima sunt, (*b*) solum Deum invocari sinit. Similiter Ambrosius: (*c*) *Sed tamen* (inquit) *tu solus, Domine, es invocandus, tu rogandus, ut eum* (Theodosium) *in filiis repræsentes*. Istud vero Ambrosii testimonium tanto pluris æstimandum est, quanto certius novimus, ab eo jam pridem Episcopo, & sene hanc Orationem recitatam esse; quo quidem unico testimonio ea, quæ alibi,

(*b*) ea verba allata sunt differt. 4. cap. 5. n. 3. & 4.

(*c*) in Oratione funebri Theodosii. num. 36.

alibi, veluti in libro de Viduis, inconfultius fcripferat, manifefto emendat. Huc etiam fpectant ea Patrum monita, in quibus edocemur, Deum folum orandum effe. Hoc modo præter Ambrofium nuper memoratum hæc eloquitur Clemens Alexandrinus libro feptimo ftromaton. *Merito* (inquit) *cum unus fit bonus Deus, ab ipfo folo bonorum alia dari, alia confervari orantes petimus, tam nos quàm Angeli*.

IV. Similia proponit Tertullianus (*d*) his verbis. *Hæc ab alio orare non poffum, quàm a quo fcio me confecuturum: quoniam ipfe eft, qui folus præftat*. Et Origenes libro 8. contra Celfum num. 26. *Quippe folus eft orandus fupremus Deus*. Huc pariter ea fpectant, in quibus monemur, orationem effe elationem mentis ad Deum. Nempe fi Sanctos invocare poffumus, tertium quoddam efficitur orationis genus, in quo non ad Deum, fed ad Sanctos extollitur mens: Ea denique omnia, in quibus certiores efficimur, virtutem religionis, & latriæ cultum aut palam in Oratione extare, aut certe ab ea avelli non poffe: qua in re non modo Patres, verum Scholaftici omnes confentiunt. Porro Patres, & Scholaftici, dum hæc tradunt, & ratione Theologica nuper indicata innituntur, & Chrifti exempla, & præcepta confectantur. Scilicet nos juffit Chriftus Deum tantum orare. *Sic orabitis: Pater nofter, qui es in cælis*. Quod quidem præceptum omnino exequi nos voluit Carthaginienfe Concilium III. (*e*) dum ad Patrem tantum modo ferri præcepit noftras preces. *Ut in altari femper ad Patrem dirigatur oratio.* Quid mirum itaque eft, fi Cyprianus, & alii Patres, qui Dominicam orationem expofuerunt, omnino non meminere precum fufarum ad Sanctos? Quid mirum eft, fi Spiritus Sancti divinitatem Patres comprobaturi, preces ad eum fufas in medium proferant, veluti certum divinitatis argumentum? At non Deo tantum, fed Chrifto etiam injuriofa eft Sanctorum invocatio, & fufa iis, aut commendata oratio. An non Chriftus, utpote unicus *mediator nofter* ad Patrem, is eft, per quem noftræ preces innotefcere debent Patri, & qui fecus agit, citra Chrifti injuriam, id non agit? Id etiam comproba, fi vis, Origenis auctoritate. Etenim numero fexto & vicefimo libri 8. contra Celfum hæc ait. ,, Quippe folus eft orandus fupremus Deus: fed & ,, orandus Unigenitus ejus, ac primogenitus omnis crea- ,, turæ, hoc eft Verbum Dei, & poftulandus, ut ipfe

(*d*) cap. 30. Apologetici.

(*e*) cap. 23. tom. 2. Concil. Labbei pag. 1405.

 ,, tam-

„ tamquam Pontifex orationem nostram, quæ ad ipsum „ pervenerit, ad Deum suum, Deumque nostrum perferre velit (29).

CAP. XXII.

Dissolvuntur ea, quæ repetunt ex injuria, quam Deo proventuram metuunt, si forte invocentur Sancti, & orentur. Duplex tum invocationis, tum orationis genus recensetur, explicaturque.

I. AT hæc argumenta non est difficile refutare. Illud, quod est principio positum, sic refellitur. Duplicis generis invocatio est. Primum genus illud est, in quo invocatio divinitatem exposcit, & supremam potestatem in eo, qui invocatur; quippe ita illum invocamus, ut ab eo veluti a Domino, & supremo largitore beneficia quæramus. Aliud invocationis genus est, in quo auxilium tantum modo, præsidium, aut aliud his conterminum exposcitur. Itaque primum genus illud ipsum est, quod innuerunt adversarii; & hoc genus invocationis dumtaxat Deo, eique ita tribuimus, ut impium fateremur esse, qui creaturæ tribueret. Alterum genus illud est, quod adeo commune efficimus creaturis, ut non Sanctis tantum, verum & aliis tribuamus. Nonne Principem imploramus, invocamusque, ut nobis aliqua indulgeat, misereatur, & nos muneribus augeat, & id genus alia, quæ optamus, nobis impertiat? Nonne amicum invocamus, illius opem exposcentes sive apud Principem, sive apud Judicem? quod infinitis propemodum exemplis, si vis, comprobare tu potes; & ne discedamus a precibus, & invocatione Sanctorum, Sanctos viventes invocamus, eorumque preces apud Deum exposcimus nobis præsidio futuras. Et sane quoniam propter eam invocationem adeo nos adversarii nostri condemnant, dicant obsecro, quanam prohibeamur lege, ne alios quoque invocemus, si aliorum ope indigea-

(29) Hæc proposui ex vetusta interpretatione. In editione P. de la Rue sic vertuntur Origenis verba. *Soli summo Deo preces ferre oportet, & unigenito, & primogenito omnis creaturæ Verbo Dei, & ab hoc postulandum, ut postquam ad eum preces nostræ pervenerint, illas ipse tamquam summus Sacerdos perferat ad Deum suum, & Deum nostrum.*

geamus? quando agnoscimus, quidquid boni recipimus per creaturas Dei ministras, nos recipere a Deo; & homines, Angelosque non veluti receptorum beneficiorum auctores, sed veluti servos, qui in supremi Principis familiaritatem, amicitiamque adsciti sint, (30) & si loqui ita liceat, *dispensatores magni Patris familias* esse profitemur. Si aliquam allegent legem, ex Scripturis, aut ex Patribus petitam, quæ id fieri vetet, illi statim parebimus atque obsequemur; quod si id minus facere possint, desinant rogo nos maledictis incessere, eosque inanibus strophis suis nos describere qui Deum relinquimus, ut ad Sanctos confugiamus. Sane quod crebro dixi, quum Sanctos invocamus, eos veluti intercessores, & adjutores nostros invocamus, ideoque si probe expenderis, non aliud erit nostra invocatio, nisi confessio nostræ indigentiæ, & petitio opis ab iis, per quos opem recipere nos voluit, immo optasse visus est Dominus. (31)

II. Cave vero putes, vocabulum *invocatio* ita sanctificatum fuisse, (si hoc liceat modo loqui) ut primum tantum genus invocationis significet. Multo aliter edocebimur, si sacras Scripturas consulamus. Hoc modo Jacob morti proximus hæc protulit. (*) *Invocetur super eos* (Ephraim, & Manasse filios Joseph) *nomen meum, nomina quoque patrum meorum:* id est recenseantur inter filios meos, & filiis Patrum meorum, adeo ut protectionem divinam experiantur, qualem experturi sunt filii mei, & filii patrum meorum; ideoque tam & si ex matre extera, in regione remota a terra promissa, meque inscio nati, adhuc tamen parem cum filiis meis sortem, felicitatemque habeant, tribum peculiarem constituant, obtineantque possessionem peculiarem in terra Canaam mihi, & Patribus meis promissa. Et hujus quidem moris, nostræque sententiæ testis locuples est Augustinus, cujus verba ad rem præsentem mire facientia audiatis volo. (a) *Jacob benedicens nepotes suos, filios Joseph, ait inter cetera. Et invocabitur in his nomen meum, & nomen patrum meorum: unde notandum est, non solum exauditionem, sed etiam invocationem dici aliquando, quæ non Dei,* *sed*

(*) Genes. 48. v. 16.

(a) lib. 1. locutionum de Genesi circa finem n. 199.

(30) *Quando honorem martyribus exhibemus, Christi amicos honoramus &c.* August. in Sermone olim 28. Ex Sirmondianis nunc 332. in Natali Martyrum n. 1. & alibi sæpe, quod jam pridem animadvertimus.

(31) Vide tractatum de Sanctorum cultu, quem edidit Episcopus Castoriensis tractatu, seu libro 3. §. 46.

sed hominum sit. Quid quod vocem hanc *invocatio*, & affines alias non modo in ea, qua Pontificii sumunt, verum etiam in latiori quadam, ampliorique significatione usurpatam videbitis in multis veterum documentis? In latiori sane sumit Augustinus, dum n. 8. enarrationis in psalm. 85. hæc ait. *Invocas quidquid amas, invocas quidquid in te vocas, invocas quidquid vis, ut veniat ad te*. In ea vero ipsa significatione, in qua sumunt Pontificii, adhibet idem Augustinus (*b*) in verba illa capitis 5. libri Job v. 1. dum hæc ait. *Voca si est, qui respondeat*, sic locum illum explicans. *Invoca autem si quis tibi respondeat. . . . . . Non cogitat usque adeo se immundum non esse coram Deo, ut invocanti non Angeli respondere . . . . . dignati sint*. Adhibet vetustus sane, & laudatissimus scriptor Evodius, seu alius, quem Evodium appellari mos est, quique duos libros de miraculis S. Stephani conscripsit, hæc inquiens: (*) *Ecce repente in conspectu plangentium funeri circumstantium, & nomen venerandi Martyris invocantium, vir ejus, in quo jacebat loco &c.* Id ipsum crebra D. Gregorii Turonici testimonia comprobant. Nam c.29. lib. 1. miraculorum (*) enarrat, quomodo S. Paulus hominem, qui se suspendio enecare tentans, eundem tamen S. Paulum invocabat, morte liberaverit. Similiter cap. 34. hæc ait. *In quo nunc invocatus* (S. Bartholomæus Apostolus) *prodesse populis multis virtutibus, ac beneficiis manifestatur*. Quin etiam rursus capite 107. idest postremo, ejusdem libri primi miraculorum, seu de gloria martyr. & cap. 61. libri, quem *de gloria Confessorum* inscribit, eam ipsam eidem voci significationem tribuit, quam illi tribuere Pontificii consueverunt. (32) In hac ipsa significatione alii non pauci sumunt, sed hos attulisse sit satis. Ad reliqua properemus.

(*b*) in lib. annotationum in Job.

(*) lib. 1. cap. 6.

(*) alias de gloria martyrum.

III. De Arnobii sententia quum alibi (*) fuse disseruerim hic eo de argumento agere supersedeo, perquisivi in ea Ambrosii oratione, quam *in obitu Theodosii* inscribi mos est, ea quæ objecerunt verba, eaque inveni n. 36. ejusdem Orationis. Ea repetere hic juvat. En illa: *Sed tamen tu solus, Domine, in-*

(*) diss. 4. cap. 6. n. 12.

(32) *Qui* (Deus) *pro se fideliter dimicantes lapidibus pretiosis coronas in cælo alumnos, cultoresque amicorum suorum, protegere dignetur in sæculo, ac præstet, ut adsistant martyres invocati a suis*. Rursus in libro de gloria Confessorum cap. 61. hæc eloquitur. (*Denique* puerulus diuturna cæcitate gravatus) *ut nomen Sancti invocare cœpit, illico reseratis oculis lumen recepit*.

invocandus es, tu rogandus, ut eum in filiis suis repræsentes: quibus simillima etiam inveni cap. x. libri illius, qui a Gregorio Turonico *Vitæ Patrum* inscribitur, quæque ipsa affero: *Ad unum tamen Dominum per hujus* (Scalæ) *adjutorii opem conscenditur. Id circo semper ille poscendus, ille quærendus, ille invocandus erit, ut quod de bono mens concipitur, adjutorio suo sæpe perficiat, de quo & nobis sine fine oportet dicere: adjutorium nostrum in nomine Domini*. At quid aliud hæc, & affinia alia facilia ad occurrendum Patrum dicta significant, nisi Deo, illiusque patrocinio, atque adjutorio fidendum esse, minime vero hominum promissis, & fallaci voluntati? Arbitror itaque (ut ad Ambrosium revertar) S. Doctorem iis verbis certiores auditores suos facere voluisse non ope humana, sed divina tantum bonitate eventurum fuisse, ut Magni Theodosii filii adhuc pueri gesta, ac fortunam Patris æquarent. Ad Deum itaque convertendas preces, ut id fieret, quod humana ope fieri non poterat. At id minime vetat, ne Sanctis commendentur eædem preces. An non alibi ostendo, dirigi adhuc nostras preces ad Deum, tam & si per Sanctos, quibus eæ commendatæ fuerint, ad eundem Deum deferantur? An non etiam Ambrosii perspicua testimonia protulimus, quibus evincatur, ei, de qua agimus, invocationi mirum in modum illum favisse? Quis etiam ignorat, Gregorii Turonici verba nuper allegata eum minime prohibuisse, ne sæpissime Sanctos invocaret; immo ut alii eos invocarent, suo exemplo, & hortatu sæpissime fuisse auctorem? Num vero discesserit D. Ambrosius, quum senior est factus; ab ea sententia, quam antea retinuerat, cognoscere te volo ex oratione prima, quam in obitu Satyri fratris sui exaravit, ad quam quidem lectorem allego. (c)

IV. Ut vero cœptum opus perficiam, & id exequar, quod promisi, quod ad orationem attinet, eodem, quo de invocatione locuti sumus modo, pro portione de oratione loqui possumus. Duplex nempe orationis genus agnoscimus. Unum, in quo is, qui oratur, primarius, verusque auctor agnoscitur, neque ab alio obtinens, aut impetrans, quod exposcimus. Is tantum Deus est. Alterum, in quo is, qui oratur, propterea oratur, ut impetret, & si obtinuit, conferat quod poscimus, sed ita conferat, ut non veluti auctor primarius, sed potius uti dispensator, & magni patris familias minister conferat. Hujus modi sunt creaturæ, quarum præsidium, & preces

(c) Vide n. 6. 17. 18. 29. & 73.

ad

ad Deum jure, & merito, & utiliter exposcimus, uti manifestum etiam faciunt orationes ad viventes fusæ. Prævenit sane jam pridem Protestantium objectionem S. Thomas, cujus aurea verba mire confirmantia rem nostram exscribere hic volo. (d) „ Oratio porrigitur (inquit il-
„ le) alicui dupliciter. Uno modo quasi per ipsum im-
„ plenda: alio modo sicut per ipsum impetranda. Primo
„ quidem modo, soli Deo orationem porrigimus: quia
„ omnes orationes nostræ ordinari debent ad gratiam, &
„ gloriam consequendam, quæ solus Deus dat, secundum
„ illud Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Sed
„ secundo modo orationem porrigimus sanctis Angelis,
„ & hominibus, non ut per eos Deus nostras petitiones
„ cognoscat, sed ut eorum precibus, & meritis oratio-
„ nes nostræ sortiantur effectum. Et ideo dicitur Apoc.
„ 8. quod *ascendit fumus incensorum de orationibus Sancto-*
„ *rum de manu Angeli coram Deo*. Et hoc etiam patet ex
„ ipso modo, quo Ecclesia utitur in orando. Nam a
„ Sancta Trinitate petimus, ut nostri misereatur: ab a-
„ liis autem Sanctis quibuscunque petimus, ut orent pro
„ nobis. Vide etiam obsecro, quæ tradit Petavius, de Incarnatione disserens, tomo secundo, libro 12., cap. octavo, num. 12.

(d) 2. 2. quæst. 83. art. 4. in corpore, ut ajunt articuli.

V. Neque vero temere, aut S. Thomæ auctoritate tantummodo confisus id dico, sed iis Patrum monitis edoctus, e quibus novi opportunissimum esse, & valde utile, ad Sanctorum preces, & interventum apud Deum confugere: quos quidem Patres cum alibi allegaverim, hic repetere non est necesse. Jam reliqua dissolvimus.

VI. Cur porro Clementem Alexandrinum objiciunt, si manifesto is loquitur de ea petitione, seu oratione, in qua Deum auctorem eorum agnoscimus, quæ petimus? Id quoque de Tertulliano, & Origene dicito. An non hæc effatur (*) Clemens Alexandrinus in eo ipsi libri loco, quem retulere? „ Est autem extrema inscitia ab iis
„ qui non sunt dii, tanquam a diis petere.... Unde
„ merito cum sit unus bonus Deus, ab ipso ex bonis a-
„ lia quidem dari, alia vero permanere precamur nos,
„ & Angeli.

(*) Gentiano Herveto interprete, pag. 242. edit. Floren.

An non Origenes expressissime id declarat, quando proxime ante objecta verba hæc ait? „ Procul etiam sit
„ a nobis istud Celsi Consilium dicentis orandos esse dæ-
„ mones. Huic ne minimum quidem aures præbendæ
„ sunt,

„ ſunt: Tum hæc ſubdit. „ Soli ſummo Deo preces
„ ferre oportet, & unigenito, & primogenito omnis
„ Creaturæ Verbo Dei, & ab hoc poſtulandum, ut poſt-
„ quam ad eum preces noſtræ pervenerunt, illas ipſe tan-
„ quam Summus Sacerdos perferat ad Deum ſuum, &
„ Deum noſtrum &c.

An non Tertullianus id ipſum perſpicue in objectis etiam verbis ſignificat, quibus, ſi vis, claritatem etiam, & robur adde ex iis, quæ paulo ante is ſcripſerat. „ Nos
„ enim pro ſalute imperatorum Deum invocamus æter-
„ num, Deum verum, Deum vivum, quem & ipſi im-
„ peratores proprium ſibi præter ceteros malunt. Sciunt
„ quis illis dederit imperium. Sciunt qua homines, quis
„ & animam. Sentiunt eum eſſe Deum ſolum, in cujus
„ ſolius poteſtate ſunt, a quo ſunt ſecundi, poſt quem
„ primi, ante omnes, & ſuper omnes Deos. . . . . Il-
„ lius enim eſt ipſe (*Imperator*) cujus & cælum eſt,
„ & omnis Creatura, inde eſt imperator, unde & homo
„ antequam imperator: inde poteſtas illi, unde & ſpi-
„ ritus.

VII. Animadvertas autem velim, antiquos Patres, dum monuerunt, orandum Deum unum, & Sanctiſſimum, quem Chriſtiani orabant, colebantque, id monuiſſe, ne ad Idola, aut ad Creaturas alias homines converterentur, ad quas quidem Creaturas precum, & cultus divini adhibendi illis cauſa ſæpiſſime convertebantur Gentes: ceterum nunquam vetuiſſe, aut vetare potuiſſe, ne alternarum precum ſuffragio, atque interventu uteremur. Id profectò manifeſto demonſtrant preces viventium, quas popoſcit Paulus, & reliqui Eccleſiarum Doctores. Sane allata ex Arnobio teſtimonia, & ſi qua ſunt hujus generis alia, haud ægre explicantur de cultu, de ſupplicationibus, precibus, invocatione, & affinibus reliquis uni Deo adhibitis *per excluſionem*, ut cum Scholaſticis loquar, *alterius Dei.* Id nempe conſtat tum ex ſcopo eorum ipſorum Patrum, quos objecerunt, eo ſpectantium, ut refellerent multitudinem falſorum Deorum, tum ex verbis ipſis, quæ allata ſunt, tum ex affinibus aliis.

CAP. XXIII.

Reliquas objectiones capite vigesimo primo propositas repellimus: Solvitur quæstio, num orationes dici eæ possint preces, quas Sanctis deferimus, & objecta Concilii Carthaginiensis tertii, & Cypriani, aliorumque Patrum testimonia explicantur: reliquas quoque difficultates paucis dissolvimus.

I. INvocationem appellari eas etiam posse preces, quas Sanctis porrigimus, satis explicatum arbitror capite superiori. Nunc reliqua, quæ objecerunt, expendamus oportet. Orationem definitam esse *elationem*, seu *elevationem mentis ad Deum*, probe novi. At novi etiam vereri multos, ne ea definitione minime comprehendatur quodlibet orationis genus. Utcunque res sit, plerique monent, satis esse ad eam tuendam definitionem, si vel ad Deum tandem mens erigatur, vel a Dei notitia proveniat: nam procul dubio meditatio Inferorum mentem meam extollit ad Deum, quatenus ducit ad eum cognoscendum ut ultorem, vel ab notitia illius, quatenus ultoris, procedit, & propterea Oratio appellari consuevit. Id si satis est, ut hujus meditationem vocemus *elevationem mentis ad Deum*, satis erit etiam, ut preces Sanctis fusas *elevationem mentis ad Deum* appellemus: quippe eæ ducunt ad eumdem Deum agnoscendum veluti auctorem, largitoremque eorum, quæ per Sanctorum interventum, & advocationem exposcimus; aut certe proveniunt ab ea cognitione, adeo ut sine elatione mentis ad Deum nullæ omnino extent preces Sanctis fusæ. At age, orationem minime appelles eas preces, quas Sanctis fundimus: (cum tamen orationem eas appellet D. Thomas nuper allegatus) per me id licet; neque enim dissidium nominis instituere volo, cum de re decerto; num scilicet liceat Sanctis fundere preces, ut eos intercessores habeamus. *Preces* itaque tantum, *postulationem*, aut *deprecationem*, *obsecrationem*, *aut confugium ad alienam opem*, & *interventum*, easdem preces appelles. Id fortasse eorum exemplo facies, qui preces viventibus fusas, ut Deum pro nobis

bis orent, non orationem, sed preces tantummodo appellari jubent. Notissimum est, quod edocuit D. Thomas, (a) sed tamen illud hic referre operæ pretium reor. *Oratio directe, & proprie fit ad Deum, sicut a quo expectamus quod orando petimus. Sed tamen orantis intentio ad Sanctos convertitur, ut quorum auxilio a Deo impetrat, quod expectat; & ideo dicit Cassianus collatione nona, quod oratio proprie fit ad Deum, sed deprecatio ad Sanctos.* Jam ceteras objectiones expedio.

(a) in 4. distin. 15. quæst. 4. art. 5. ad 1.

II. Virtutem religionis in ea oratione palam agnosco, in qua Deum ut auctorem beneficiorum obsecro. Num agnoscere possim in iis precibus, quas Sanctis fundo, dubitant nonnulli. Sic paucis nodum hunc dissolvo. Religionis imperium mihi in iisdem precibus detegere videor: quippe ideo Sanctos deprecor, quia ex Scripturis divinis, aliisque argumentis novi, id Deo esse acceptissimum. Religionem etiam aliunde mihi inspicere videor in ea re; novi scilicet, ad Deum referri honorem adhibitum Sanctis, quippe *Deum honorat, qui martyrem pro Deo mortuum honorat*. At cum hac de re jam alibi pluribus egerim, ad ea loca vos allego. His certe monitis, Patrum testimoniis satis fit.

III. Tametsi porro ad Patrem nostræ preces dirigi jusserit Christus, non propterea, vel ipsorum adversariorum judicio, vetat, ne Sanctos viventes adhibeamus deprecatores ad Deum, eamque ob causam nostras preces ad illos feramus. Sane Paulus deprecationem aliquam adhibuisse visus est, dum ad Thessalonicenses hæc scripsit: (b) *Orate pro nobis &c.* Itaque quando Patrem Christi jussionem, & exempla secuti rogamus, ita rogamus, ut agnoscamus auctorem eorum quæ exposcimus. *Sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis: Dimitte nobis debita nostra.* Et hoc modo Deum tantum orare possumus. Atque in hoc quidem sensu locutum est Concilium Carthaginiense III. cujus tamen si verba perpendas, non quaslibet preces dirigendas juberis Patri, sed eas tantum, quæ in Altari, seu in Sacrificio effunduntur: ceterum finit, ut ad Filium feratur oratio nostra, at ea conditione, ut personas, & earum nomina non immutemus. *Ut nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet*. Porro in Sacrificio Missæ (in Canone saltem) ex vetusta institutione oratio defertur ad solum Patrem, ad quem fere orationes nostræ

(b) epist. 2. cap. 3. v. 1.

 di-

diriguntur, utpote principium Divinitatis, & ad quem Christus ipse dirigi voluit, hæc elocutus: *Sic orabitis: Pater noster, qui es in cælis &c.* non quo ad se, aut ad Spiritum Sanctum dirigi vetet, sed quod, ut dixi, ad Patrem directæ nostræ preces doceant, eum principium esse divinitatis, & a quo Filius, & Spiritus Sanctus emanant. Neque vero preces Patri adhibitæ gloriam imminuunt Filii, aut Spiritus Sancti. Communem nempe tres personæ obtinent gloriam, sicut communem habent divinitatem. Præit in hac responsione sive Alcuinus, sive sub Alcuini nomine latitans non contemnendus Scriptor, cui tribuendus est liber *de divinis officiis*. (*) „ Ut autem (inquiens) ad solum Patrem dirigatur oratio, cum totius Sanctæ Trinitatis, „ sicut una est divinitas, ita æqualis honor, & glorificatio, id Apostoli, Sancto per eos ordinante Spiritu, „ sanxerunt, ut qui multorum Deorum errores unius Dei „ prædicatione nitebantur evellere, sub Trinitatis Sacramento uni personæ in sacrificiorum ritu esse supplicandum decernerent: ne qui unum Deum prædicabant, in „ pluralem divinitatis numerum incidisse arguerentur, & „ quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus unius denique potestatis existunt, una ex eis persona, propter „ unitatis mysterium retinendum in sacrificio, invocaretur. Nec alia debuit, nisi quæ prima est; in qua duæ „ ceteræ naturaliter manentes existunt. Sed quid hæc cum ea, de qua agimus, controversia? Obiter autem animadvertere volo vos, si rigor, ut ita loquar, verborum objectorum attenderetur, Spiritum Sanctum orari non posse, cum nobis precipiatur, ut solum Patrem oremus in Missæ canone, Filium vero orari quidem sinat Carthaginiense, at de Spiritu Sancto nullam prorsus mentionem faciat. Erit ne vero aliquis ex Protestantibus, qui ut rigorem litterarum servet, Spiritui Sancto deferri vetet invocationem, & preces nostras?

(*) cap. 39.

IV. Facile vero assequi potes, cur Cyprianus, aliique Patres Dominicam Orationem explicantes, invocationis Sanctorum non meminerint. Anne ea de re tunc differendi opportunus locus erat? an non potius ineptissimus futurus fuisset? Alibi id tradunt, quod hic omiserunt. Id ipsum præstant nostri Theologi.

V. Spiritus Sancti divinitas ex oratione ad eum fusa erui commode potest, si de ea oratione loquimur, in qua

is,

is, qui oratur, auctor eorum, quæ exposcimus, agnoscitur. Cum eo de argumento copiose nuper disseruerim, hic de eo rursus eloqui omitto.

VI. Porro Christo non esse injuriosam Sanctorum invocationem, & fuse, & invictissime alibi ostendi. (*) Perperam vero Origenem objiciunt: significat scilicet hic, per Christum solum preces nostras immediate dirigi ferrique ad Patrem, non per Angelos. Id haud invitus fateor, immo peculiares probationes alibi cumulatissime eam in rem adhibui. (*) Et quod ad primum oppositionum caput attinet, satis.

(*) Recole quę disser. 3. cap. 26. hoc de argumento tradidi.

(*) Vide quæ diximus dissert. 3. cap. 29.

C A P. XXIV.

Proponuntur ea argumenta, quæ a periculis improbitatis facile in Sanctorum invocatione hærentis petuntur.

I. EVulsis primis difficultatibus ad reliquas pergimus, atque eas statim aggredimur, quæ a periculis improbitatis, adversariorum quidem judicio, in Sanctorum invocatione facile inhærentis desumuntur. Monent itaque, invocationem Sanctorum, etiamsi fortasse improba ipsa non esset, cavendam esse tamen, propter pericula improbitatis, in quæ incidat is oportet, qui invocationem ipsam non evitat. Sic porro disserunt. An leve improbitatis periculum est, Sanctos auctores facere veniæ peccatorum impertiendæ? in iis spem nostram collocare? denique agnoscere veluti auctores eorum omnium, quæ Deus tantum elargiri potest? Porro in hæc offendunt Pontificii, dum pro Sanctorum invocatione decertant. Quid enim aliud significant preces illæ: *Funda nos in pace*, nisi: Nos deduc ad beatitudinem? quod ipsum significant preces illæ Pontificiis usitatissimæ: *Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*. Quid aliud quoque notissimæ illæ:

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis.
* * * * * *
* * * * * *
Nos culpis solutos
Mites fac, & castos.

& id genus alia, nisi: Nobis veniam tribue delictorum? cum

cum tamen indubitata res sit, a Deo tantum remitti posse peccata: & merito ii, qui Christum merum hominem esse putabant, mirati sint, quod peccata remitteret. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* (*) & ex hoc ipso argumento (uti Patres etiam sæpe animadvertunt) suam divinitatem & manifestavit, & comprobavit Christus. Collocant vero suam spem Pontificii in Virgine Maria, dum eam sic salutant: *Et spes nostra salve*. Denique Sanctos veluti auctores beneficiorum, quæ Deus tantum largiri potest, agnoscunt, dum cuncta, quæ optant, a Sanctis poscunt. Affine his, immo deterius est etiam, tantam fiduciam in Maria collocari, ut Christo præponatur, velimusque, ab ea jussiones accipere Christum: Hinc lepidæ illæ, quid ni impiæ preces originem habuerunt: *Jure matris impera*. At cui? Christo nempe omnium domino, æterno Verbo, & Deo, in cujus quatenus etiam hominis potestate cuncta posuit Pater. At eo tandem devenere, qui Sanctorum invocationem veluti unicas delicias suas amant. At alia etiam improbitatis pericula in Sanctorum invocatione sunt sita. An leve est, verba Evangelica a sua significatione avertere, tranferreque ad significationem alienissimam? id vero peragunt Pontificii, dum verba, quibus usus est Angelus, ut ineffabile Incarnationis mysterium Virgini nunciaret, verba quoque, quibus Mariam ad se venientem allocuta est Elisabetha, convertunt in precem quamdam, seu uti appellant, *salutationem Angelicam* Mariæ adhibendam, & ex duabus hisce portionibus Evangelii unicam nescio quam orationem, seu potius ab oratione remotissimum monstrum coagmentant: addita alia quadam prece, ut tribus hisce dissimillimis partibus veluti poetica chimæra constet. Quid aliud est porro ea, quam Pontificii *Angelicam salutationem*, seu *Ave Maria* vocant? perinde quasi salutationum nostrarum indigeret Virgo Beatissima, aut preces a salutatione inciperent, aut tanta nobis cum præclarissima Dei Matre familiaritas intercederet, ut eam amice salutare possemus, illique veluti egenti, & miseræ fausta precari. *Ave Maria*. Ne quid vero desit hac in re leporis, aut potius facetiarum & risus, non semel aut bis, sed quinquagies; & si opus sit, centies & quinquagies eamdem boni Pontificii repetunt salutationem; quasi vero primùm non audiisset, aut audiens se exorari non sineret Maria, nisi centies & quinquagies salutaretur, & ei fausta boni Pontificii

(*) Lucæ cap. 7. v. 49.

ficii deprecarentur. Satis vero tum evincunt, se oblitos fuisse acutissimi illius & intuitus, & auditus, quibus prædictos Sanctos volunt; immo oblitos etiam monitorum Christi Domini, qui paucis nos orare voluit, nec easdem preces pluries iterare, quod gentes solebant. (a) Ad hoc caput revoca consuetudinem Pontificiorum, qui adeo suas *Ave Maria* diligunt, ut in templis suis Christo recitent, quasi ad eum pertinerent hujusmodi salutationes, aut preces; sed fortasse id agunt, ut vices rependant Virgini Mariæ, cui orationem dominicam sæpe recitant, Rosariis suis, & reliquis precibus, quibus eandem Virginem Mariam honorare se putant, eam precem intermiscentes.

(a) Matth. 6. v. 7.

CAP. XXV.

Superioris capitis argumenta dissolvere incipimus; indicamusque, quanam significatione eorum, quæ poscimus, auctores dicamus Sanctos; explicamus quoque, quonam sensu spem nostram appellemus Mariam, & reliquos Sanctos, & in iis fiduciam & spem nostram collocare testemur. Julii Cæsaris Scaligeri epigrammate, Prudentii etiam, & Philonis Carpathii allegatis, aliisque probatissimorum Scriptorum indicatis testimoniis dicta nostra illustramus, comprobamusque.

I. AT hæc quoque promptissimum est refellere. Enim vero nullum periculum improbitatis inest in invocatione Sanctorum, si eo adhibeatur modo, quo Ecclesia, & Patrum exempla adhiberi præcipiunt. Si aliquid irrepserit, quod a laude absit, emendes oportet, non id evellas, quod sanctissimum est, & utilissimum. Ceterum auctores non facimus Sanctos sive beatitudinis, sive veniæ obtinendæ; sed deprecatores, & intercessores. Ea in re hic non immoror, quod pluribus, de intercessione disputans, de illa egerim. (a) Rem si libet, illustra postremis versibus Epigrammatis Scaligeri, quod mox afferemus. Te monitum tamen volo (quod alibi non omisi) usitatum jam dudum esse, ut vulgo auctores ii vocentur, quos intercessores, & impetratores tantummodo dicere deberemus, si rigorose vellemus loqui. Hoc modo Joseph (b) se omnia Egypti bona fratribus daturum promisit, cum tamen dare ipse non posset, sed tantum a Pharaone exposcere, & impetrare. Et sane

(a) Vide caput 28. diss. 3.

(b) Gen. 45. 18.

ne ecquis sibi inducat in animum, putasse Nazianzenum sua auctoritate, & præstantia Basilium posse permutare in meliorem vitam nostram, & ad cælum morientes deducere? Tamen sic Basilium jam mortuum invocat. (c) „ Tu vero sacrum & divinum caput, e cælo nos quæso „ inspice, carnisque stimulum a Deo nobis ad disciplinam „ datum aut precibus tuis siste, aut certe, ut cum forti „ animo perferamus, persuade: atque omnem nostram „ vitam ad id, quod maxime conducibile est, dirige: „ nosque, postea quam ex hac vita migraverimus, illic „ quoque tabernaculis tuis excipe: ut simul viventes & „ sanctam, & beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam „ speciem, & imaginem accepimus, purius, pleniusque „ cernentes, desideriis nostris finem statuamus, ac bello- „ rum eorum, quæ intulimus, vel pertulimus, hoc præ- „ mium referamus. Venio ad alterum, quod maxime adversarii nostri subsannant.

(c) in fine orationis vicesimæ.

II. Spem suam Mariam appellat quidem Ecclesia; at eo appellat modo, quo appellaret afflictus homo eum Aulicum, cujus patrocinium, atque interventum apud Principem imploraret. Si ita spem nostram Virginem Mariam appellemus, non appellabimus cum Dei, aut Christi injuria, immo non sine exemplo illorum ipsorum, quos adversarii in eorum recensent numero, qui Pontificiorum partibus non admodum fuere addicti. Citat quippe Alanus Copus (d) epigramma Julii Cæsaris Scaligeri sic Virginem alloquentis.

(d) dialogo 3. cap. 8.

O Virgo: o mihi post Dominum spes unica Jesum:
  Qua te Bernardus, hac ego mente colo;
Cui nunquam attonito saturantur lumina visu,
  Usque oculos tua sic pascat imago meos.
Cui nullo tenuis lassatur carmine lingua:
  Illa tuæ laudi tam tibi visa rudis.
Aspice nos, quocunque tegit me nomine cælum,
  Et sordes, nati sanguine, terge meas.

III. Sed quanquam hac in re Scaligeri exemplum multum valet, non illius tamen auctoritate innitimur, cum sive Mariam, sive Sanctos spem nostram appellamus; sed ad eos, quod nuper innui, sic appellandos inducimur, quod vulgatam loquendi rationem secuti ea voce significemus, non levem fiduciam in illorum patrocinio a nobis col-

collocari, sperareque nos fore, ut ab illis foveamur, atque adjuvemur. (33) Quam certe loquendi rationem veterum exempla comprobare videntur. Etenim ab iis discimus, a Sanctis, immo ab eorum monumentis, locisque eorum honori dicatis spes nostras juvari. Nonne Prudentius (e) hæc ait?

Mira loci pietas, & prompta precantibus ara
Spes hominum placida prosperitate juvat.

Dicere etiam Mariam, & Sanctos spem nostram possumus, quod cooperatores nostri sint, perfectoresque nostræ spei. Quod quidem fieri posse jam pridem ostendi, & hic Philonis Carpathii (si Philonem Carpathium eum esse vis; qua de re vide quæ alibi dixi) auctoritate confirmo. Atque tam & si hæc eadem laudatissimi Patris verba alibi allegaverim, hic ea tamen repetere sine reprehensione possumus. „ Clamat ad Apostolos, (inquit ille in commentariis ad Cantica canticorum) (f) Prophetas, „ ac Martyres, (quibus se mater Ecclesia commendare „ non cessat) ut quos post Christum habuit suæ fidei, „ & salutis auctores, eosdem habeat defensores, tutoresque perpetuos, & perfectores suæ spei apud eumdem „ cælestem sponsum: cui quidem nunc custodes illi beati „ spiritus in cælesti illa Jerusalem felicissime assistunt, ac „ supplicant pro sponsa hac militante, mortali carne adhuc velata, studiosa tamen sui divini sponsi, planeque „ percupida illius assequendi; ob idque charitate ardens, „ & desiderio, non modo rogat Apostolos ipsos, ac ceteros fidelissimos patronos suos se se Deo commendari, „ verum etiam quasi adjurando cogit per eas vires, & „ potestates omnium virtutum semina. Si quis plura in hoc argumentum habere cupiat, Canisium adeat præ-

(e) hymno X. vers. 174.

(f) ad verba illa: cap. 5. v. 8. *adjuro vos, filiæ Jerusalem*. Vide quæ adnotavimus ad hunc Philonis Carpathii locum diss. 3. cap. 16. §. 11. adnot. 21.

(33) Multa ad id comprobandum afferri possent, quæ non præterit Canisius: mihi satis est in rem meam Scholasticorum Principem Aquinatem proferre. Etenim sanctus Doctor hæc tradit. (*) „ Licet sperare de aliquo homine, vel de „ aliqua creatura, sicut de agente secundario instrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona consequenda in beatitudinem ordinata. Et „ hoc modo ad Sanctos convertimur. Quem quidem articulum quartum integrum ut legas opto: quippe in eo egregie prævenisse videtur, & sustulisse S. Doctor eam, quam prægrandem Heterodoxi se adinvenisse putant in Catholicorum precibus difficultatem.


(*) 2. 2. quæst. 17. art. 4.

clarissima tradentem, (*g*) & Costerum, (*h*) & reliquos Doctores nostros, quorum aliqui copiosissime hac de re disputarunt. Cur porro vereamur Mariam spem nostram appellare, postquam sententiam nostram circa hujus vocabuli sensum tam aperte explicaverimus, & eos ipsos, quos non contemnunt Heterodoxi, antecessores habeamus? An nescis, Bernardum, quem inter idololatras certe non referes, hæc fuisse locutum? (*i*) „ Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet „ Filium Pater. Filioli hæc peccatorum scala: hæc mea „ maxima fiducia est: hæc tota ratio spei meæ. Quid „ enim? potest ne Filius aut repellere, aut sustinere re- „ pulsam: non audire, aut non audiri Filius potest? Neu- „ trum plane. Ac tanto quidem viri præsidio muniti illorum maledicta, sannasque contemnimus, qui nos petulanter mordent, atque arrodunt, quod Mariam non modo dulcedinem, ac vitam nostram (quod honoris cujusdam, & amoris causa facimus) sed & spem nostram appellare non dubitemus.

(*g*) de corruptelis verbi Dei tom. 2. lib. 5. cap. 13. pag. 932.

(*h*) meditat. 2. in Canticum *Salve Regina*.

(*i*) in serm. de Nativitate n. 7.



CAP.

CAP. XXVI.

Repelluntur primo nonnulla, quæ adversus quasdam a fidelibus interdum adhibitas preces objecere: tum explicatur, quisnam sit sensus verborum quorumdam, quæ in ea prece, quam salutationem Angelicam *appellare consuevimus, extant.*

I. VEnio jam ad precatiunculas quasdam, in quibus imperium Virginis erga Filium indicatur. Omnino ab iis cavit Ecclesia, quæ preces tantum poposcit a Virgine, non imperium. *Ora pro nobis peccatoribus. Sancta Maria, ora pro nobis.* Hinc non Ecclesiæ, aut Pontificiorum sensa exprimunt eæ precatiunculæ, in quibus hujusmodi imperium indicatur. Hæc vero animose dixi, quod hanc intelligam Ecclesiæ esse sententiam, non quo aliàs dissolvere non possem difficultatem. Scilicet video conciliari posse quædam liberiora dicta cum ejusdem Ecclesiæ persuasione. Hoc modo Episcopus Castoriensis imperium, quod Petrus Damiani tribuit roganti Virgini, refert ad amplissimam excellentiam, quam supra creaturas habet, quæque imperium vocari potest. (*a*) Monent alii, vocem hanc *imperium*, & similes indicare tantummodo vim quandam efficaciorem in iis precibus sitam. Et sane Deus ipse obedisse dicitur voci hominis in libro Josue, (*) idest se exorari permisisse ab enixissima supplicatione Josue: quam ob rem lenius mitiusque accipiendas ajunt hujusmodi locutiones, non in ea sumendas severiori significatione, quam prima fronte exhibent. Quamquam jam dudum usitatæ eæ sunt; nam procul dubio Petrus Damiani haud recens scriptor ab iis locutionibus minime abhorruit. (*) Usurpat quoque verbum *impero* affini in sensu Agnellus historicus hæc elocutus. (*) *Post hæc autem quidquid imperavit, ab eo* (Carolo Rege Francorum, qui Magnus est appellatus) *Præsul obtinuit:* Usurpat quoque similem vocem in ipsissima prorsus significatione Gersonius gravis, & eruditus Theologus, dum in sermone in Annunciationem de Maria hæc eloquitur. (*b*) *Habet veluti auctoritatem, & naturale dominium ad totius mundi Dominum.* (*) Hanc solutionem equidem non rejecerim.

II. Sed suscipienda jam est defensio illius precis, quam *Ave*

(*a*) Vide tractatum tertium §. 65. laudati auctoris pag. 421.

(*) cap. 10. v. 14.

(*) Serm. 1. de nativitate B. M.

(*) cap. 1. vitæ Gratiosi par. 1. to. 2. rerum Italicar. pag. 180.

(*b*) consideratione 4. tomo 3. pag. 1366. edit. Antuerp. 1706.

(*) Etiam vide, quæ hanc in rem tradit Petavius de *incarnatione* to. 2. lib. 14. cap. 9. §. 14.

Ave Maria ab eis, quibus inchoatur vocabulis, seu *salutationem Angelicam* fere appellamus. Porro nihil reprehensione dignum in iis invenio, quæ veluti immania crimina condemnant adversarii. Ad tria summa capita revocantur accusationes. Primum est, quod desumpta sit, quod ad duas priores partes, ex Evangelio, tertia adjuncta ab Ecclesia. Alterum, quod duæ illæ partes sejunctæ sint plane, & si spectentur ipsæ in eo, unde desumptæ sunt, loco, alio pertineant. Tertium denique, quod lepida quadam ratione Virginem salutemus, dum deprecari ipsam volumus. At ut a primo sumamus defensionis nostræ exordium, quis obsecro nunc ignorat, consuevisse Doctores Ecclesiæ, sacrarum Scripturarum, atque in primis novi testamenti verba suis sermonibus inserere, & veluti transferre in rem suam, nonnihil, interdum etiam multum deducentes ab eo sensu, in quo a sacro scriptore prolata sunt? Sane id, quod de Evangelicæ legis tempore dixerat Paulus Apostolus, ad tempus jejuniorum Quadragesimæ deducit S. Leo sic sermonem quartum de Quadragesima (*c*) exorsus: *Prædicaturus vobis, dilectissimi, sacratissimum, maximumque jejunium, quo aptius utar exordio, quam ut verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam, dicamque quod lectum est:* (*) *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis?* Cujus quidem consuetudinis causam ex eo desumptam vidi, quod melius loqui non possumus, quàm si eo sermone utamur, quo Spiritus Sanctus in Prophetis, & sanctis viris locutus est. Nulla vero edictione prohibemur, ne, dum rei nostræ volumus Scripturæ verba accomodare, nostra quoque verba iis adjungamus, & veluti sermonem contexamus ex divino, & humano eloquio, quale fortasse eos decet, qui ita ad cælestem Jerusalem spectant, *ut peregrini adhuc sint, & incolæ in terra aliena.*

(*c*) in serie sermonum in editione Quesnelii 41.

(*) 2. Cor. 6. 2.

III. His porro facile dissolvuntur illa, quæ secundo loco objiciuntur. Quis enim non videt, tam & si in eo, quo extant loco, alium sensum habeant Evangelii verba; sejuncta quoque sint prorsus: commode tamen transferri in rem nostram posse, & sensa nostra exprimere? congruenter quoque illa jungi, & unam veluti periodum, & textum sermonis efficere?

IV. Miror sane, cur eam, de qua nunc disserimus, precem propterea etiam condemnent, quod non cohæreant eæ, quibus illam coagmentavimus, partes: quando quidem si recte expendantur, hunc laudatissimum sensum habent;

bent. Te colimus, tibique gratulamur, Virgo, quod gratia plena sis, quod Dominus tecum adeo fuerit, ut nullo unquam tempore a te discesserit. Benedicimus tibi propterea, & præ mulieribus omnibus te beatam, teque excellentissimam prædicamus. Fructui quoque ventris tui Jesu benedicimus, expletam plane agnoscentes laudatissimam illam prædictionem tuam his verbis expressam: *Beatam me dicent omnes generationes*. Ad te, Maria, adeo sublimi in honore positam confugimus; tuumque interventum, & advocationem exposcimus. Adesto itaque, opemque nunc nobis, vitam plurimis incommodis, malisque obnoxiam agentibus, affer, sed tum porro maximam affer, quum morientes humani generis hostis tentabit, ut vincat. En qualia sensa habeat precatiuncula illa, quam *Ave Maria* vocamus. Num hæc christianæ pietati adversentur, judicet is, qui Mariæ dignitatem, excellentiam, & pietatem erga nos, nostrasque indigentias expenderit. His adjunge, si vis, ea Patrum testimonia, in quibus aut ad eumdem, quo Ecclesia adhibet, modum adhibentur verba Gabrielis Angeli Virginem alloquentis, & sua quædam, ut aptius fluat, concordetque sermo, addiderunt iidem Patres, aut post explicata verba illa Angeli, alia adjunxerunt vel exposcendi patrocinii, vel laudandæ Virginis causa. Huc sane pertinent illa verba Liturgiæ, quæ *Jacobi fratris Domini* inscribitur; quippe si editionem Morelii sequeris, hæc in ea extant. *Memento, Domine, secundum multitudinem misericordiæ, & miserationum tuarum . . . . ut inveniamus misericordiam, & gratiam cum omnibus Sanctis tuis, qui ab æterno tibi placuerunt . . . . . . Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus tui, quia Salvatorem peperisti animarum nostrarum. Præcipue sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, semperque Virginis Mariæ* (supple, memoriam celebramus). *Dignum est, ut te vere beatam dicamus Deiparam, semper beatam &c.*

V. Etiam huc pertinent plurima in sermone de laudibus Virginis inter Epiphanii opera: (*) veluti illa. „ *Ave gratia plena*, mare spirituale habens gemmam cælestem „ Christum *Ave gratia plena*, splendidum cælum, quæ „ in cælis incomprehensum contines Deum. *Ave gratia* „ *plena*, quæ cherubicum thronum divinitatis fulgore superas. *Ave gratia plena*, quæ cæli circulum habes, & „ Deum

(*) pag. 293. tom. 2. operum D. Epiphanii edit. Petavii Coloniæ 1682.

„ Deum incomprehensum, in te vero comprehensum,
„ nec arctatum contines. *Ave gratia plena*, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit
„ per desertum. Quid dicam? & quid proloquar? quo
„ pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? Solo enim
„ Deo excepto, cunctis superior existit: natura formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu
„ Angelico: cui prædicandæ cælestis ac terrena lingua
„ minime sufficit, immo vero nec Angelorum. Etenim
„ ipsi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt:
„ non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt...
„ O beata Virgo, columba pura, & sponsa cælestis Maria, cælum, templum, & thronus divinitatis, quæ coruscantem in cælo, & in terra habes Christum: nubes
„ lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Nubes cælestis, quæ
„ tonitruum Spiritus Sancti in se ipsa reconditum deduxit in mundum, & imbrem Spiritus Sancti in universam terram ad producendum fidei fructum cum impetu
„ demisit. Huc denique pertinent (neque vero singula referre opus est) non pauca verba sermonis 3. ex eorum numero, quos Bernardus de laudibus Virginis, verba Evangelica: *Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem* explicans, edidit.

VI. Tertium sic expedi. Vox illa *Ave* non ita adhibetur ab Ecclesia, ut salutationem quasi fausta precantem exprimat; sed ita, ut potius exprimat quandam veluti gratulationem significatam Deiparæ Virgini propter eum honorem maximum, quem consecuta illa est: Sane gratulationum salutationis vocabulo indicatarum exemplis non destituimur. En statim unum, illudque perspicuum; Martini scilicet, qui uti testatur Gregorius Turonicus, (d) *ad Vitalinæ tumulum veniens, dedit salutationem, & illam, ut sibi dignaretur benedicere, flagitavit.* Quid enim aliud erat illa salutatio, nisi, ut mox explicatur, gratulatio quædam Vitalinæ significata: propterea quia *post triduum majestati dominicæ præsentanda foret?*

VII. Quid quod vox ista *saluto*, & reliquæ vel huic affines, vel ab ea derivatæ, ad cultum, venerationemque significandam non raro translatæ sunt? In Concilio Nicæno secundo in ea significatione sæpius usurpatur: etiam cap. 67. historiæ Lausiacæ (*) id fit: in collatione quoque S. Maximi cum Theodosio, (*) & ne multa afferam, in eum-

(d) in lib. de gloria confessorum cap. 5.

(*) pag. 998. tom. 13. Bibliot. Patr.

(*) pag. 365. tom. 3. Sirmondi.

eumdem sensum adhibuit Paulinus Nolanus vers. 197. Natalis VI. S. Felicis hæc elocutus.

Cernere sæpe juvat variis spectacula formis
Mira salutantum, & sibi quæque accommoda votis
Poscentum &c.

Etiam in ordine Romano primo (*) hæc reperi: *Tenente eam* (Crucem) *acolytho*, *omnes eam per ordinem salutent*, *quam Episcopus*, *& Diaconus prius nudam salutant:* (id est adorant) Simillima in eodem Ordine occurrunt in officio feriæ VI. (*) *Pontifex vero sedet*, *dum persalutet populus Crucem*. *Num salutante Pontifice*, *vel populo Crucem &c.* Quando ergo Mariæ dicimus aut *Ave*, aut *Salve*, aut aliud hujus generis verbum, Ecclesiasticorum auctorum morem secuti, nostrum illi obsequium, cultumque testatum facimus. Qua in re siquis nos reprehendit, reprehendat etiam est opus eos omnes, qui Dei Matrem veneratione, cultuque sane dignissimam antiquorum more venerantur, & colunt.

(*) In cœna Domini tom. 2. Musei Italici a Mabillonio editi pag. 21. n. 31.

(*) pag. 23.



CAP.

CAP. XXVII.

Ea dissolvimus, quæ adversus crebram repetitionem ejusdem precis urgent; reliquis denique jam objectis facimus satis.

I. AT non tam precatiunculam ipsam, quàm repetitionem, ut vidimus, reprehendunt. Porro si proba est precatiuncula, non video, quanam ratione iteratio efficere improbam queat. Sane in re presenti uti illo fortasse possumus argumento, quod in Tullium olim intorsit Lactantius: (a) *Si semel facere optimum est, quanto magis sæpius? si bora prima, ergo & tota die. Si una hostia placabilis, placabiliores utique hostiæ plures, quia multiplicata obsequia demerentur potius, quàm offendunt. Non enim nobis odiosi videntur ii famuli, qui assidui & frequentes ad obsequium fuerint, sed magis cari.* Quibus non absimilia tradit Hieronymus num. 10. (*) libri adversus Vigilantium scripti: *Quod* (inquiens) *semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequentius fiat.* Ceterum si quid aliena exempla juvare nos possunt, tu affer in purgationem hujusce consuetudinis Orationem, quæ Epiphanio a multis adscripta est, inscribiturque *de laudibus Sanctæ Mariæ*. In ea quippe si non integra est, de qua agimus, precatio, illius certe portio pluries reperitur.

(a) de vera sapientia cap. 18.

(*) alias cap. 4.

II. Id si eo faceremus animo, quo facere nos aut putant, aut se putare simulant nonnulli ex Protestantibus, ut scilicet facilius, certiusque audiremur a Virgine, nos reprehensione dignos faterer. At longe meliori animo facimus; nempe ut iteratis gratulationibus eam honoremus, iteratis precibus certius efficaciusque imploremus illius opem. Neque vetuit Christus, (b) ne eundem sermonem iteraremus; quippe nos edocens, *Oportere nos semper orare, & non deficere*, (*) orationum tamen non multas formas tradidit nobis, immo ipsemet repetitionis cujusdam visus est dedisse exemplum in horto orans: eundem nempe sermonem ter repetivit. *Et oravit tertio eundem sermonem dicens*. (c) Quis etiam ignorat in veteri testamento non pauca exempla deprecationum extare, in quibus populus repetebat hæc verba: *Quoniam in æternum misericordia ejus* (*)? aut tres pueros canentes in Babylonicæ fornacis igne laudes Domino, ad singulos versiculos re-

(b) Matth. 6. v. 7.

(*) Luc. 18. 1. 1. Thessa. 5. 17.

(c) Matth. 26. v. 44.

(*) 2. Parali. 7. 6. Rursus cap. 20. v. 21. & 1. Esdræ 3. 11.

repetiisse: *Laudate, & superexaltate eum in secula.* (*) Quin etiam vocem *Sanctus* a Seraphim & quatuor animalibus Deum laudantibus sæpius repetitam discimus (*). Vetuit ergo Christus tantummodo aut multiloquium, & eloquentiam, aut si vis, affectatam sermonis elegantiam, quibus artibus se Numina flectere gentes arbitrabantur: vel potius prætulit interiorem petitionem, ardentemque animi affectum exteriori petitioni. Ille enim semper optimus est, & a Deo auditur, tam & si voce non exprimatur; exterior vero petitio si a cordis affectu vires atque efficaciam non sumat, minime apta est Deo flectendo. Sane hæc ex Apostolo Paulo audivimus. (*d*) *Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* Novimus vero in more esse sacris auctoribus, ut comparationes positivis phrasibus, & vocabulis exprimant. Sic in Psalm. 50. v. 18. *Holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: hoc est holocaustis multo minus delectaberis, quàm corde contrito, & humiliato. Jam reliqua persequor.

(*) Daniel. 3. 57. 58. & sequen.

(*) Isa. 6. 3. & Apoc. 4. 8.

(*d*) 1. Cor. 14. v. 14. & 15.


III. Reprehendis Sanctorum invocationem, propterea quia irrepsisse in eam putas errorem aliquem, quem tu condemnes, cujus modi esse dicis, coram imaginibus Mariæ Virginis orationem Dominicam recitare. Quid si fatear, reprehensione dignum esse quidem morem illum, qui non Ecclesiæ, sed aliquorum mos est; sed non propterea invocationem ipsam esse reprehendendam? Quid si effatum illud adhibeam, quo Faustum multa in Sanctorum cultu reprehendentem repulit Augustinus: (*e*) *Aliud est quod docemus, aliud quod sustinemus; aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur?* Sed tamen id ipsum, quod illaudabile ais, revera illaudabile non est. Quippe coram imaginibus Sanctorum oramus, non modo ut eos oremus, ante quorum imagines oramus, verum ut ad illorum aspectum ad devotionem excitemur. Ad alium itaque, quàm ad Sanctum illum, coram cujus imagine oramus, dirigi possunt preces nostræ; & tum imago, coram qua oramus, tantummodo devotioni excitandæ inserviet. Illi etiam eædem preces commendari possunt, ante cujus imaginem oramus; ideoque Virgini Mariæ commendari preces dire-

(*e*) lib. 20. contra Faustum cap. 21.

ctæ Deo. Qua in re nihil est, quod merito tu vituperes.

IV. Cur vero vetas, ne in templis fundantur ad Virginem Deiparam preces? An templa nos subducunt ab intuitu, aut auditu Mariæ, & Sanctorum? aut aliqua lege jubemur, ut Deo tantum, aut Christo preces adhibeamus in templis?

V. Sic autem postremam objectionem expedio. Orationem Dominicam Rosariis intermiscemus, non quo Virgini recitemus; sed quod aut illi commendemus preces Patri adhibitas, vel ut a cultu Patris orationem nostram exordiamur, illi veluti primitias nostrarum precum consecrantes, eumque orantes, ut ob suam pietatem preces nostras non repellat.



CAP.

CAP. XXVIII.

Objectiones primum recensemus, tum ab iisdem objectionibus vindicamus utilitatem nostrarum precum ad Sanctos fusarum: easque enumeramus conditiones, quas exequamur oportet, si preces nostras Sanctis adhibitas eventus compotes esse volumus.

I. IN eum locum incidimus, in quo tam multa promunt adverſarii, ut ſi ea ſolvere omnino volumus, multo plura, quam ipſi objecerunt, nos reponere neceſſe ſit. Quoad potero, brevitati conſulam: non ita tamen, ut difficultates enodare, ac diſſolvere negligam. Sic itaque diſſerunt. In dubium ſi quis vertat, num inutiles ſint noſtræ ad Sanctos delatæ preces, ad tria hæc animum advertat: ad amorem Dei erga nos, ad levem (ſi appellare ita etiam licet) Sanctorum apud Deum auctoritatem, & ad eventum ipſum. Si ad amorem Dei erga nos ſpectes, indubitata res eſt, amari nos ita ab illo, ut alieno interventu non egeamus. Ut ſe tantummodo adeamus, expoſcit, beneficia etiam maxima ſtatim elargiturus; ipſe ſe ſe ultro offert egenti, ideoque vetat, ne Sanctis veluti delatoribus earundem precum ad ſe, eas adhibeamus. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* (*) Non Sanctos, ſed ſe adire nos jubet, *Venite ad me*, reficiendos non a Sanctis, aut Sanctorum ope, ſed a Deo. *Ego reficiam vos.*

(*) Matth. 11. 28.

II. Porro levis Sanctorum apud Deum auctoritas eorum preces, ſi quas Deo funderent, inutiles comprobat. Quænam enim vero Sanctorum apud Deum auctoritas eſt? ea ipſa, quæ ſervorum eſt, ideoque ea, qualem nos ipſi habemus, & fortaſſe multo minor noſtra. Quippe non raro majora habent merita viventes Sancti, quàm Sancti mortui. Labores ipſi noſtri, noſtra indigentia, ſi auctoritatem majorem nobis non tribuunt, tribuunt certe aliquid auctoritati affine, & eaſdem preces validiores reddunt.

III. Eventus vero ipſe inutilitatem precum Sanctis fuſarum, aut iis commendatarum oſtendit. Sæpiſſime enim preces fundimus, nec propterea id, quod poſcimus, obtinemus; cum vero ad Deum fundimus, ſtatim obtinemus. Id ſane apertiſſime intelligis ex Chryſoſtomo, qui

in homilia *de profectu Evangelii* (*a*) hæc ait: *Licet per temetipsum Deum preceris, omnino tamen voti eris compos; neque enim tam facile Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiam si plurimis pleni simus malis.* Rursus id edocet in Præfatione ad Psalm. 4. n. 3.

(*a*) num. 11. homiliæ, quæ in editione Patris Montfaucon sic inscribitur: *sive per occasionem, sive per veritatem: & de profectu Evangelii* to. 3. pag. 300.

IV. At hæc sic dissolvo. Fateor statim, amari nos procul dubio multo magis a Deo, quàm a Sancto quovis. At non continuo alienas preces, & interventum rejicio. Quippe tam & si fatear, amari me procul dubio multo magis a Deo, quàm a viventibus quibuslibet, non continuo viventium preces, & interventum inutiles volo. Ad Deum, atque ad Christum pergit, qui Sanctorum interventum apud Deum, & Christum poscit; uti is certe, qui Sanctorum viventium apud Deum, & Christum preces exposcit, per Sanctorum interventum ad Deum, & ad Christum pergit. Pulchre Asterius n. 4. orationis in Sanctos Martyres id innuit hæc effatus. *Ad unum aliquem Martyrum adiens, per eum Domino orationem offert, verbis ejusmodi compellans eum, quem mediatorem adsciscit. Qui propter Christum &c.*

V. Quam quidem loquendi consuetudinem & indicat, & approbare videtur Augustinus, (*b*) dum eam adeo invaluisse ait, ut is dicatur pervenisse ad aliquem, *ad quem per convenientium personarum interpositionem pertingit.* Quid quod Ambrosius (*c*) haud obscure innuit, necessarium quandoque esse ad Deum per aliorum interventum confugere, ut certius nostrorum criminum veniam consequamur? *Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam, quæ pro te precetur, cujus contemplatione, quod tibi Dominus negare posset, ignoscat.* Neque vero præcepit Deus, ut ad eum pergentes aliena subsidia, atque interventum rejiciamus. Ipse quoque reficit nos, dum Sanctis intercedentibus id, quod poscimus, elargitur: ab eo quippe ut auctore ea ipsa emanant bona, ad quæ recipienda Sanctorum suffragia exposcimus. Eas vero virtutes exercemus, dum aliena suffragia exposcimus, quas alibi exposuimus.

(*b*) lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 20. alias n. 49.

(*c*) lib. 5. in Lucam n. 11. & respondet v. 20. cap. 5. Lucæ.

VI. Alterum adversariorum argumentum sic refello. Sanctos porro non eo usque deprimo, ut deprimere videntur adversarii; & sane de intercessione agens, pluribus ostendi, multo validiores esse eorum, quàm sint viventium preces. Ibi non indiligenter ea de re disserui. (*) Atqui ex iis, quæ tum dixi, constabit,

(*) diss. 3. cap. 19.

bit, quanto major sit collocanda fiducia in mortuorum, quàm in viventium Sanctorum precibus. Porro, quod ad merita attinet, fieri posse fateor, ut is qui vivit, majoribus præstet meritis, quàm præstet ille ipse Sanctus, quem deprecatur. At id perraro eveniet, & facile fiet, ut plurimo distemus intervallo ab sanctitate eorum, quos deprecamur. At age: eximia, si vis, sanctitate etiam polleas, sanctiorque sis eo ipso, quem deprecaris: adhuc utiliter Sanctos oras. Nonne Apostolus Paulus, tam & si certo nosset, se sanctitate præstare Christianos eos, quos nuper in fide erudierat, adhuc tamen eorum preces enixissime poposcit, sibique plurimum profuturas ait? (*)

(*) Roma. 15. 30. & 31.

VII. Postremam objectionem hac animadversione dissolvo. Eventus alienus a spe nostra, & precibus adhibitis aut non ostendit inutilitatem precum Sanctis adhibitarum, aut si ostendit, ostendit etiam, inutiles esse eas preces, quas a viventibus exposcimus, & viventes pro nobis Deo porrigunt: immo facile ostendet inutilitatem precum, quas nos ipsi Deo porrigimus: novimus quippe, Angelum Persidis deprecantem Deum minime fuisse exauditum, neque exauditum Paulum, dum ter oravit Deum, ut ab eo Angelus Satanæ, qui illum colaphizabat, discederet. (*) Ceterum testati sunt Doctores fide dignissimi, promptissimo eventu non caruisse preces Sanctis porrectas. Quid Prudentius? (*d*)

(*) 2. Co. 12. 8. & 9.

(*d*) in lib. peristephanon Hymno 8. in S. Cassianum Martyrem v. 95.

Suggere si quod habes justum, vel amabile votum,
  Spes si qua tibi est, si quid intus æstuas:
Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
  Ratasque reddit, quas videt probabiles.

Quid Gregorius Turonicus? (*e*) de S. Petri tumulo agens apertissime testatur, exaudiri eos, qui eo in loco justam precationem effundunt. *Nec moratur effectus*, (inquit ille) *si petitionis tantum justa proferatur oratio*. Si ergo non exaudimur, propterea non exaudimur, quòd desint eæ conditiones, quas Deus exquirit, ne eventu careant nostræ preces. Porro tam & si hic minime videatur opportunum, de hisce conditionibus fuse, cumulateque disputare, aliquantum tamen de iis edisseram. Erit aliquando tempus, quo Deo bene juvante plenius de iis agemus: complectar nunc paucis summa quædam capita, quorum enu-

(*e*) in lib. 1. de miraculis, aliàs de glor. Martyr. cap. 28.

enumeratio difficultati propoſitæ enodandæ plurimum conducet.

VIII. Pietatem, alienationemque a vitiis exquirere videntur Scripturæ, & Patres. En Scripturas: *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum.* (f) *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.* (g) *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* (h) *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.* (i)

(f) Pſ. 33. v. 16.
(g) Pſal. 65. v. 18.
(h) Iſa. 1. 15.
(i) Joannis 15. 7.

IX. Poſt Scripturas recenſendi ſunt Patres. Enim vero inter ceteros Gregorius Magnus (k) hanc ſane conditionem exquirit in precibus, quas Sanctis adhibemus: exquirit etiam Ambroſius (l) hiſce verbis: *Non ſanguinis neceſſitudo, ſed virtutis cognatio facit proximos, quia non in carne ambulamus, ſed in ſpiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, ut pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ.* Exquirit ſive Auguſtinus, ſive alius, quiſquis ille eſt, auctor ſermonis olim 181. de tempore, nunc de ſymbolo (m) capite 73. in verba illa *Sanctorum communionem* hæc elocutus. *Si igitur cum Sanctis in æterna vita communionem habere volumus, de imitatione eorum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid recognoſcere de ſuis virtutibus, ut pro nobis dignentur Domino ſupplicare.* Hanc conditionem ita explicatam vidi, ut licet ſæpe non exaudiatur peccator, tum certo tamen exaudiatur, ſi petat neceſſaria fidei Chriſtianæ dilatandæ, aut conſervandæ: veluti ſi petat miraculorum gratiam, qua nempe indiget, ut ad Chriſtianam fidem infideles deducat: innititur vero hæc exceptio dicto illo Chriſti: (n) *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc illuc, & tranſibit; & nihil impoſſibile erit vobis.* Et certe ad miracula obtinenda ſanctitatem non exquiſivit D. Paulus, quum hæc effatus eſt: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* (o) Porro peccatorem juſſit Deus, ne temere Evangelii prædicationem aſſumeret, quam dum exſequitur, miracula a Deo expoſcat: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* (*) Tum porro etiam exaudiendum fore peccatorem dicimus, quum conducibilia ſuæ ſaluti, recta, probabilique ratione petit.

(k) lib. 10. Moralium cap. 11. aliàs 16. & 17. in edit. PP. S. Mauri n. 27.
(l) in lib. de viduis cap. 9. alias n. 54.
(m) extat in tom. 6. operum Auguſtini pag. 274. in appen.
(n) Matth. 17. 19.
(o) prima ad Corinth. 13. 2.
(*) Pſal. 49. 16.

X. Al-

X. Altera conditio eſt, ut rem bonam petat: ideſt rem utilem animæ ſuæ, aut animæ illius, pro quo petit. Interdum quippe fieri poteſt, ut homo, ſanctiſſimus petat, atque ob conditionem hanc neglectam, non impetret quod petit; præſertim cum pro alio petit. *Nos enim*, inquit Bernardus, (p) *quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed miſeretur ille ſuper ignorantia noſtra, & orationem benigne ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt utile, aut non tam cito dari neceſſe eſt, minime tribuit.*

(p) ſermon. 5. in Quadrag. n. 5.

XI. Tertia conditio expoſcit, ut quæ petimus, convenienti, proboque modo petamus, ideſt *in fiducia*, aut certe *in fide*, *in longanimitate*, *in humilitate*, *in dilectione*. Fiduciam exquiſivit S. Jacobus: *Poſtulet* (inquiens) *in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.* (q) Fiduciam etiam exquirit Apoſtolus Paulus: *Adeamus* (inquiens) *cum fiducia ad thronum gratiæ.* (r) Et ſane quantam habeat vim ſpes in nobis eripiendis ab iis, quibus obruimur malis, teſtatur Deus ipſe. *Quoniam* (inquiens) *in me ſperavit, liberabo eum.* (*) David quoque haud obſcure ſignificat his verbis. *Quoniam in te, Domine, ſperavi: tu exaudies me, Domine Deus meus.* (*)

(q) cap. 1. v. 6. & 7.

(r) Hebr. 4. 16.

(*) Pſal. 90. v. 14.

(*) Pſal. 37. v. 16.

XII. Longanimitas, ſeu perſeverantia etiam requiritur, monente nos Chriſto his verbis. (s) *Pulſate, & aperietur vobis.* Et clarius Lucæ 11. 8. & 9. *Et ſi ille perſeveraverit pulſans: dico vobis, & ſi non dabit illi ſurgens eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios* (panes). *Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis.*

(s) Matth. 7. 7.

XIII. Hanc conditionem in precibus ad Sanctos delatis manifeſto exquiſivit S. Valerianus. (t) hæc effatus: „ Oportet itaque primo loco, ut nos huic patrono frequentibus inſinuemus officiis, quatenus pro nobis apud „ Dominum peculiaris interceſſor vigilet, & vitam noſtram dignationis ſuæ favore commendet. Nihil autem „ eſt, quod non poſſit homo in qualibet neceſſitate poſitus obtinere, ſi amicis ſummi Imperatoris non deſinat „ ſupplicare. Exquiſivit quoque Chryſoſtomus in homilia *de profectu Evangelii* n. 12. & 13. quas quidem homilias, ut legas opto.

(t) editus a Sirmondo tom. 1. pag. 345. homil. 17. quæ tertia eſt inter eas, quæ inſcribuntur *de bono Martyrii*.

XIV. Humilitas quoque expoſcitur. An non id indi-

cat

(u) Lucæ 18. cat parabola Pharisæi, & Publicani (u)? cum enim ille propter tumorem, & in suis meritis confidentiam repulsus sit, hic contra propter humilitatem meruit exaudiri. Optime itaque sic Deum in suis precibus allocutus est (x) cap. 9. v. 18. Daniel. (x) *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis mul-* (y) Genes. 18. 27. *tis*. Ante eum Abraham: (y) *Loquar* (inquit) *ad Dominum, cum sim pulvis & cinis*. Etiam in nova lege Jaco- (z) cap. 4. v. 6. bus: (z) *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Quibus edoctus Bernardus sermonem quintum de Quadragesima sic concludit. *Sit oratio in omni humilitate, præsumens de sola, ut dignum est, miseratione divina*.

XV. Ab humilitate mansuetudinem non sejunxerim: quippe vix sejungi illæ possunt, & certe eas junxit Spiritus Sanctus, dum Judith 9. 16. *Humilium*, (inquit) *& mansuetorum semper tibi placuit deprecatio*. Et Prov. 3. v. 34. *Mansuetis dabit gratiam*.

XVI. Dilectio vero propterea requiritur, quia si de dilectione Dei agas, non ea abest a cultu Dei, ideoque a prima conditione; si vero de dilectione proximi, adest (aa) Matth. 5. 23. illa Christi sententia. (aa) *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum*. An vero putas, oblaturos Deo Sanctos preces eas, quas a proximi dilectione alienus iisdem Sanctis commendas? quando quidem ii certo noverunt, aversari eas Deum, nosque a Christo fuisse edoctos orare in hunc modum. *Dimitte nobis debita nostra, sicut dimittimus debitoribus nostris*. Quid quod miserationem, perspicuum dilectionis erga proximum argumentum, efflagitat (bb) cap. 58. v. 7. Isaias iis verbis? (bb) „ Frange esurienti panem, & egenos, vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet.

XVII. Et has quidem conditiones veluti necessarias Theologi fere exposcunt. Alias utilissimas esse ajunt, tam & si forte non omnino necessarias. Præstat ceteras, si precibus cruciamenta quædam adjungas, aut certe toleres æquo animo ea, quibus Dominus te affligit, mala. *Bona* (cc) Tob. 12. v. 8. *est oratio cum jejunio*, inquiebat Tobiæ Angelus Raphael (cc).

An-

Anna quoque cum amaro esset animo, oravit ad Dominum flens largiter, & exaudita est (dd). His profecto Scripturarum locis commonitus Hieronymus hæc de se adtestatur. (ee) „ Ad orationem assisto: non orarem, si „ non crederem: sed si vere crederem, illud cor, quo „ Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, „ genas lacrymis rigarem; corpore inhorrescerem, ore „ pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosque fle- „ tu perfunderem, crine tergerem, hærerem certe trun- „ co crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam „ impetrarem. Quid vero causæ est, quod notissima ea, humilitatisque, & fiduciæ plenissima verba protulerit David? (ff). *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Tu exaudies me Domine Deus meus.* Et a Semei improbis verbis lacessitus, vetuerit, ne pœnas de eo sumeret Abisai hæc adjungens (gg)? *Si forte respiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna:* nisi quod plane noveverat, *deprecationem læsi exaudiendam fore a Domino.* Quam quidem sententiam expressissimis verbis postea scriptam reliquit Ecclesiastici auctor. (34) Et eam comprobare videntur ea, quæ de seniore Tobia cap. 2. v. 23. idest postremo, & cap. 3. v. 1. & subsequentibus libri Tobiæ legimus, & de Sara illa, quæ post junioris Tobiæ uxor fuit, cap. 3. v. 7., & subsequentibus.

(dd) 1 Reg. 1. v. 10.

(ee) n. 15. Dialogi adversus Luciferianos.

(ff) Ps. 37. v. 15.

(gg) 2 Reg. 16. 12.

Has porro conditiones si quis adhibeat, & Sanctos deprecetur, eventu irritas non experietur preces suas. Si non adhibeat, non Sanctis, neque eorum suffragationi, & interventui, sed sibi tribuat, si non exauditur.

(34) *Deprecationem læsi exaudiet Deus.* Eccli. 35. 16.

CAP. XXIX.

Objecta Chrysostomi ex homilia de profectu Evangelii *sententia illustratur, quemque scopum & metam suis dictis habeat Sanctus Doctor, aperimus.*

I. SEd parum fortasse profecimus, si Chrysostomum adversariis non eripiamus. Illius scilicet auctoritate sibi blandiuntur, putantque in eo validissimum se habere præsidium. At animadvertant hi volim, Chrysostomum ipsum præcavisse eam, quæ ex suis verbis suboriri facile poterat, difficultatem; verbisque expressis indicasse, hæc non eo sed dixisse, quo putaret, inutiles esse Sanctorum preces, eosque errare, qui ad eosdem Sanctos subsidii, opisque obtinendæ causa confugiunt: plurimum emolumenti inesse scilicet in his vult; sed propterea hæc dixisse, ut quosdam a desidia atque otio excuteret: ita nempe nonnulli, quos tum reprehendit Chrysostomus, confidebant precibus, meritisque eorum, quibus se se commendabant, ut interea nihil eorum agerent, quæ ad cælestem beatitudinem obtinendam sunt necessaria. Hanc Chrysostomi esse sententiam, non modo conjicio ex eo, quod reliquis Patribus, quos jam retulimus, atque in primis Ambrosio, cujus nuper verba allegavi, palam adversaretur, non modo quia viventium preces repelleret, quod tu, ut arbitror, dicere non audebis; verum etiam ex eo, quod eam ipsam, quam ego exposui, interpretationem alibi apertissime profert. An non in homilia 5. in Matthæum (*) simillima objectis verba elocutus? hæc nempe:
„ Deus salutem nostram non tam aliis pro nobis roganti-
„ bus vult donare, quàm nobis: ut hoc ipso, quo iram
„ in nos ejus placare cupimus, ad studia meliora migre-
„ mus, & fiduciam bonæ conscientiæ colligamus. Sic
„ enim Chananæam illam aliquando miseratus est: sic
„ etiam meretrici donavit salutem; sic latronem a cruce
„ in Paradisum transtulit, nullius patroni, nullius me-
„ diatoris precibus inflexus. Proxime post hæc sub-

(*) num. 4.

jun-


jungit. „ Et hæc dicimus, non ut supplicandum esse San-
„ ctis negemus, sed ne nosmet ipsos in otium ac desidiam re-
„ solvamus, & dormientes ipsi aliis tantum modo nostra
„ curanda mandemus. Seu ut expressius vertitur in recenti Patrum Benedictinorum editione: „ Hæc autem
„ dico non ut Sanctis non supplicemus, sed ne simus
„ negligentes, neve in socordiam, somnumque delapsi,
„ aliis, ipsisque solis res nostras committamus. Nam
„ cum dixisset: Facite vobis amicos, non hic stetit, sed
„ addidit: ex iniquo mammona, ut recte factum vere
„ sit tuum. Ita ergo Chrysostomus alienas preces adhiberi pro nobis, atque a nobis exposci vult, ut illis jungamus nostras: quas si fundere neglexerimus, alienæ preces nullo nobis, aut certe levissimo emolumento erunt. Comprobat id exemplo Chananææ, pro qua dum soli Apostoli orarunt, nihil eorum, quæ optabat, a Christo obtinuit; statim autem obtinuit, atque illa suas adjunxit preces. „ Vis discere, (in-
„ quit ille) (a) nos in precando per nosmetipsos plus
„ perficere, quam per alios? Clamavit hæc, & acceden-
„ tes discipuli dixerunt: *Omitte illam, quia clamat post*
„ *nos*: & ad illos quidem respondit: *Non sum missus*
„ *nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel*. Cum au-
„ tem illa per se ipsam accedit, & clamando perse-
„ veravit dicens: *Etiam Domine; nam & catelli edunt*
„ *de mensa dominorum suorum*; tunc gratiam contulit, &
„ dixit: *Fiat tibi, sicut vis*.

(a) n. 12. homiliæ *de profectu Evangelii*.

II. Ceterum utilitatem summam in aliorum, ideoque in Sanctorum precibus pro nobis fusis inesse, agnoscit ille, & fatetur, dum in homilia prima in Epistolam primam ad Thessalonicenses hominem nescio quem dicentem: *Quid mihi opus est aliorum precibus, quando ipse sedulus & navus fuero?* ita vehementer objurgat: *Paulus non dixit: Quid mihi precibus aliorum opus est? . . . . . . Petrus non dixit: Quid mihi necesse est, ut pro me oretur? . . . . Et tu dicis: Quid mihi aliorum precibus opus est? Propter hoc ipsum opus habes, quod putas te illis non indigere; etiam si Paulo similis esses, opus tamen haberes aliorum petitionibus*.

III. Sed quid multa Chrysostomi loca afferre opus est ad illius mentem assequendam, conciliandaque ejus sensa cum reliquorum Doctorum, & Ecclesiæ dogmatis? An non ipse sæpe invocavit, & coluit Sanctos, suisque

auditoribus ut invocarent, & colerent, suo etiam exemplo, atque hortatu auctor fuit? Recole hic, si tu vis, ea Chrysostomi testimonia, quæ alibi allegavi, & deinceps fortasse allegabo, & postquam ad ea adverteris animum, dubita, si potes, num Chrysostomus Sanctorum invocationi faverit, an non. Jam nos ad alia convertimus.



DIS-

DISSERTATIO VI.

Recensemus, & vindicamus reliquos modos, quibus Sanctos colere consuevimus. Paucis exponuntur summa capita eorum, de quibus in præsenti dissertatione agere constituimus.


PRopositum deinceps est agere de modis reliquis, quibus Sanctos venerari consuevimus, ideoque de festis in horum honorem institutis: de præparationibus ad easdem festivitates: de Missis in eorum honorem celebratis: de more imponendi pueris, aut etiam suscipiendi in Baptismo Sanctorum nomina: de promissis, seu votis eisdem factis: de monumentis, quibus accepta Sanctorum interventu beneficia testata facimus: etiam de more denominandi templa Sanctorum nomine, dedicandi in eorum item nomine, erigendi in eorum honorem, ac memoriam, consecrandi nomini, ac virtutibus eorumdem Sanctorum templa, & altaria: de peregrinationibus ad eadem templa, vel Sanctorum imagines institutis: denique de consuetudine eligendi in eorum templis sepulturæ locum. Ordiemur autem ab iis, quorum primo meminimus, nempe a festis in Sanctorum honorem institutis. Et quinque quæstionibus universam tractationem hanc complectemur. Ostendemus itaque primo, & antiquissimam, & ab utraque Ecclesia, nempe Græca, & Latina, fuisse jam pridem exceptam consuetudinem agendi festos in Sanctorum honorem dies. Tum divisionem eorumdem festorum dierum recensebimus. Quid complexæ fuerint olim, quidve nunc complectantur hæ festivitates, in tertia quæstione exponemus: finem, & metam harum festi-

vi-

vitatum edifferemus in quarta: nostrarum denique consuetudinum probitatem assignabimus quinta.

CAPUT I.

Ostenditur, & antiquissimam, & ab utraque Ecclesia, Græca scilicet, & Latina, fuisse jam pridem exceptam consuetudinem agendi festos in Sanctorum honorem dies. Ad id probandum postquam nonnulla ex testamento veteri attigimus, quibus indicatur, Hebræos quoque non fuisse alienos ab hisce festis aliqua ex parte celebrandis; veterum Patrum, & historicorum monumenta allegamus, quibus constet, a primis usque Ecclesiæ sæculis consuevisse Christianos, Sanctorum festa celebrare. Testes adducuntur ejusdem consuetudinis Isidorus, Damascenus, ex constitutiones, quas Apostolicas vocant, Smyrnensis Ecclesia, Tertullianus, & libri quidam Origeni suppositi.

I. Uamquam Christianorum ritus consuetudinesque nihil necesse est ab Hebræorum fontibus derivare; sunt enim satis firma, si Christi, Apostolorum, & Ecclesiæ fundamentis nitantur; tamen non desunt, qui festos dies etiam ab Hebræis in Sanctorum hominum honorem institutos fuisse, ex postremo versiculo libri Judith colligunt. Nec immerito sane. Sic enim versiculus ille habet: *Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem*. Quid quod idem colligunt etiam ex illo testimonio libri Esther (*): *Unde & vos inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia?* Et sane quid differunt hi festi Hebræorum dies, quorum modo mentio facta est, ab his, quos in honorem Sanctorum Catholici instituimus? In illis victoriæ celebrantur, quas Deus per suos servos de crudelissimis hostibus retulerat; hoc idem a nobis in Sanctorum festivitatibus celebratur. In illis gratiæ Deo reddebantur de re bene gesta; in nostris quoque. In illis in-

(*) 16. 22.

incitabatur populus ad virtutem majorum suorum imitandam, spemque collocandam in Deo uno; id in nostris quoque fit. Quod si Hebræi festivitatibus illis suis populum incitare voluerunt, ut majorum exempla imitaretur, facile credi potest, ipsos a rebus gestis sive Judithæ, sive Estheris, sive Mardochæi recitandis, ipsorumque celebrandis præconiis non abstinuisse, ut ne in hoc quidem festivitates illæ a nostris, in quibus Sanctorum præconia populo prædicare solemus, differre videantur. Videntur ergo vel Hebræi ipsi festivitates Sanctorum habuisse quasdam, quamvis pauciores, quàm nos, neque in illis Sancti cujusquam sacram mortem celebraverint, quod nos facimus; quia Sanctis nostris idem fere mori est, atque in vitam beatam ingredi; quod Hebræis ante Christum non accidit, quos vita functos statim Limbus excipiebat. Atque huc quidem respexisse videtur Damascenus in Oratione prima *adversus oppugnatores sanctarum Imaginum*, ubi si interpretationem Francisci Zini sequimur, hæc habet: (*) *Non ædificabantur olim hominibus templa, nec justorum mors lætitia & gaudio, sed mœrore, & lacrymis celebrabatur . . . Nunc autem Sanctorum monumenta populi concursu celebrantur. Cum luctu, & lacrymis Jacob mortuus, elatus, sepultusque fuit. At nos Stephani mortem cum lætitia celebramus.* Quamquam, ut supra dixi, Hebræorum exemplis opus non habemus.

(*) pag. 15. edit. Venetæ anni 1574.

II. Sane antiquam esse hanc institutionem, tradit Isidorus (*a*): *Festivitates* (inquiens) *Apostolorum, seu in honorem Martyrum solemnitates, antiqui Patres in venerationis mysterio celebrari sanxerunt*. Sed originem earundem festivitatum reticet. Hanc tamen ut ad Apostolica ipsa tempora referas, vult Joannes Damascenus, (*b*) hæc elocutus: *Celebritates Sanctorum tolli non possunt, cum sanctus Apostolorum, & divinorum Patrum chorus eas fieri jubeat.*

(*a*) lib. 1. divinor. officiorum cap. 34.

(*b*) in oratione prima *adversus sacrarum Imaginum oppugnatores*. pag. 15.

III. At si in ipsismet Ecclesiasticis monumentis id expresse traditum inspicere cupis, facile obsequuntur Theologi nostri, atque in primis proferunt Apostolicas constitutiones. In his (*c*) inter ceteros dies, *quibus feriandum erat famulis*, festivitates etiam Sanctorum enumerantur hoc modo: *In diebus Apostolorum vacent: magistri enim vestri fuerunt ad docendum vos de Christo, vobisque Spiritum Sanctum dederunt. In die Stephani Protomartyris item vacent, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ anteposuerunt.*

(*c*) lib. 8. cap. 33.

IV. At

IV. At quoniam huic libro non tanta fortasse inest auctoritas, quantam ad rem præsentem aliqui exquirunt: quamquam viri doctissimi, veluti Albaspinæus, (*) Petavius, de Marca illum multi æstimant; ad monumenta alia confugiendum est, quorum antiquitate, & numero etiam pateat, festivitatum in Sanctorum honorem celebrationem, quoniam nullo vel Pontificum, vel Conciliorum decreto instituta est, & tamen universa servat Ecclesia, inter eas consuetudines recensendam esse, quæ Augustino judice (d) Apostolos auctores habent.

(*) lib. 1. observat. cap. 13.

(d) Vide Augustinum lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. alias n. 31.

V. Ecclesia Smyrnensis, cujus epistolam refert Eusebius, (e) festos Martyrum dies a Christianis agi consuevisse, his tradit verbis, Valesio interprete. *Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ejus* (scilicet Polycarpi) *martyrii diem cum bilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos*. Et revera celebratum a fidelibus hujusce Sancti festum diem, indicant acta S. Pionis: quippe in iis mentio fit diei festi S. Polycarpi. Vide ipsa acta numero secundo.

(e) lib. 4. historiæ cap. 14. editionis Christophorsoni, 15. vero editionis Rufini, & Valesii.

VI. Tertullianus (f): *Oblationes* (inquit) *pro Defunctis, pro natalitiis annua die* (id est per annos singulos statuta die) *facimus*. Super quibus verbis Beatus Rhenanus monet, festivitates in Sanctorum honorem institutas hic indicari. Non defuerunt sane, qui oblationes, de quibus loquitur Tertullianus, eas esse dicerent, quas Christiani faciebant diebus suis natalitiis, in quibus scilicet orti, aut si vis, baptizati erant; vel potius quas propterea pro mortuis offerre dicebantur, quia in iis Deo gratias agebant, quod inter mortuos, id est inter infideles, & ab Ecclesia sejunctos non erant positi; vel eas denique, in quibus Deum deprecarentur pro mortuis; idest pro infidelibus ad Ecclesiam deducendis. Nec etiam defuere, qui dicerent, posse eadem Tertulliani verba aliis multis modis explicari: veluti si dicamus, natalitiis martyrum diebus consuevisse Christianos oblationes pro mortuis facere: id est offerre munuscula mortuorum nomine Ecclesiæ: quasi scilicet participarent mortui de Ecclesiæ communione, aut quia recepta ea munuscula communionis tributæ mortuis certa forent argumenta: (g) propterea vero in anniversariis Martyrum diebus id fiebat, quia si Martyrum viventium interventu in Eccle-

(f) in libro de Corona cap. 3.

(g) Vide Albaspinæum lib. 1. observationum cap. 5. 7. & 10.

siæ gratiam reconciliabantur, & in communionem recipiebantur lapsi, (*b*) id quoque Martyrum vita functorum anniversariis diebus fiebat. Nimirum iis diebus in Ecclesiæ gratiam reconciliari, & in communionem recipi, eorumdem Martyrum ope, petebant mortui, id est peccatores.

(*b*) Vide Albaspinæum lib. 1. cap. 10.

VII. At Tertullianum eo, quem proposuisti, explicari posse modo, neque assentior, neque si assentirer, vetustatem Sanctorum festivitatibus demerem. An in uno innitor Tertulliano? immo non in uno innitor Cypriano, aut Concilio Gangrensi, quorum testimonia adversarii enervare contendunt, ut mox videbimus, sed in reliquis omnibus, quæ & retuli, & referam (*). At, uti dixi, minime assentior, Tertulliani dicta eo explicari posse modo, quo tu explicasti. Nimirum celebrari Natales suos a Christianis, nullo fortasse, aut certe raro exemplo dices; *natalitia* vero seu natalitios appellari eos dies, in quibus mortalem lucem primo viderunt, aut baptizati sunt, nullo, nisi ego fallor, exemplo disces. Quod vero anniversario tantum natali die suo, vel si vis, eo, quo Baptismum receperunt, die, pro Gentilibus, ut ad fidem converterentur, oblationes facerent, adeo ut peculiaris mentio hujusce oblationis veluti natalis diei propriæ fieri deberet, nullo id quoque probare, ut ego quidem arbitror, exemplo poteris. Quod autem interpretaris *oblationes pro defunctis* ita, ut sint oblationes pro gratiarum actione, quod defuncti non sint ii, qui eas oblationes faciunt, rem proponis a communi loquendi consuetudine, immo ab ipsa Tertulliani phrase valde alienam; adeo ut pauci futuri sint, quibus hujusmodi syntaxis placeat.

(*) Vide testimonia mox alleganda Maximi Taurinensis, Petri Chrysologi, Eucherii, Fulgentii, & Cassiodorii, sed præsertim Eucherii.

Reliqua autem, quæ circa Tertulliani sententiam proponis, probabilia tum reddentur, quum aliquo Ecclesiastico monumento ostendes, in diebus martyrum festis (*natalitiis*) id fieri consuevisse, quod tu putas. Ego vero pluribus ostendam exemplis, in diebus martyrum festis (natalitiis) missarum sacrificia (nam hæc oblationum vocabulo indicata arbitror, qua de re mox) celebrata fuisse.

VIII. Si Origenis forent homilia tertia ex earum numero, quæ inscribuntur *in diversa loca Evangelii*, & commentaria in librum Job, quæ præposito Origenis nomine sunt vulgata; præclarum haberemus festivitatum in Sanctorum honorem celebratarum defensorem. At pauci horum auctorem Origenem agnoscunt. Ad alia itaque me converto.

CAP. II.

Eadem consuetudo constat ex aliis Patribus, nimirum ex Cypriano, cujus verba ab acutulis adversariorum responsionibus vindicamus, ex auctore orationis in Annunciationem Virginis Mariæ, Gregorio Thaumaturgo supposititæ: idem etiam attestatur ipse Thaumaturgus, aliique, quorum seriem producimus ad Basilium Magnum.

I. PRoferantur jam alii Patres, atque in primis Cyprianus, vetustus, & laudatissimus Doctor. Hæc ille ad eundem morem indicandum aptissima loquitur. *Sacrificia* (a) *pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus*. Et alibi (b): *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus*. At quoniam valde displicet adversariis, Cypriani auctoritatem a nobis allegari, non levem impendunt operam, ut testimoniis citatis acutulas quasdam solutiones adhibeant. Monent itaque, ea, quæ dicta sunt ad Tertulliani testimonium, repeti hic posse, eademque ratione dissolvi, explicarique Cypriani verba, atque explicata, dissolutaque sunt ea, quæ ex Tertulliano allata sunt. Neque vero te terreat, inquiunt, quod sacrificiorum meminerit Cyprianus. *Sacrificia offerimus*. Nimirum sacrificiorum nomine simplices oblationes significat Cyprianus. Enim vero in libro *De opere, & eleemosynis*, fœminam divitem, sed avaram hoc modo increpat. *Locuples, & dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ corban omnino non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Propterea vero oblationes fiebant in martyrum anniversariis, ut eo argumento ad eandem Ecclesiam, & communionem martyres quoque pertinere significaretur.

(a) in Epistola 34. in editione Pamelii, & Baluzii, ad Clerum & populum, de Celerino Lectore Ordinato.

(b) in Epistola in editione Pamelii, & Baluzii 37. in Oxoniensi vero 12.

II Altera. Epistola, idest 37. in editione Pamelii, non aliud exprimit, (inquiunt) nisi commemorationes, quæ ad altare fiebant: nomina nempe Christianorum de Ecclesia optime meritorum, tam & si mortali vita jam essent functi, ad altare recitabantur; at unusquisque in suo ordine, veluti Episcopi in Canone, seu serie Episcoporum; marty-

res

res in Canone, ſeu ſerie martyrum: quam ob rem eorum nomina in ſacris dypticis conſcripta erant. Hoc certe modo interpretatur Albaſpinæus, vir magni nominis inter Catholicos. (1)

II. Difficile tamen non eſt, fucum harum interpretationum agnoſcere. Oblationes *Sacrificiorum* vocabulo deſignari, rara exempla comprobant: ea vero, quæ comprobant, propterea ſacrificiorum vocabulo oblationes indicant, quòd oblationes ad ſacrificia pertinebant: tum quia ex materia oblata conſtabant ſacrificia, tum etiam quia ſine oblationibus ſacrificia nulla antiquitus peragebantur. Poterant ergo oblationes per ſynecdochen, aut per affinem aliquem tropum *Sacrificia* appellari. At quis ſibi inducet in animum, in allegato a me teſtimonio ſacrificia oblationum vocabulo indicari? quando quidem remotiſſimum a veriſimilitudine id eſt. An non tum ea verba hunc facerent ſenſum: *offerimus oblationes*: quem tamen ſenſum pauci, ut arbitror, approbabunt. Cur vero oblationes peculiariter memoratas vis in diebus martyrum natalitiis? perinde quaſi raræ eæ fuiſſent, cum tamen ex iis & Eccleſiaſtici miniſtri, & pauperes alerentur. Plane vero aſſequor, cur meminerit Cyprianus ſacrificiorum oblatorum in natalitiis martyrum: quia ſcilicet ſine ſacrificio feſta nulla peragebantur: celebrabantur vero in diebus martyrum natalitiis, tum ob alias non leves cauſas, tum ut Deo gratiæ agerentur ob relatam a martyre de tyranno victoriam. Vide quæ deinceps dicturus ſum. Quod ad interpretationem attinet alteri Cypriani Epiſtolæ adhibitam, approbet illam, qui velit: ego ſane non approbo: quippe minime aſſequor, cur *dies* annotari præcipiat Cyprianus: *dies eorum, quibus excedunt, annotate*, ſi tantum nomina

 in

(1) En ipſa laudati Scriptoris verba (*). *Inſcribebantur quidem in dypticis, Epiſcoporum, Martyrum, Confeſſorum, aliorum quoque tam vivorum, quam defunctorum nomina, qui pro Eccleſia ſalute ſe ſe ad mortem obtulerant, aut aliquo apud illos in honore erant, ut non ſolum hac mercede poſt mortem nobilitarentur, ſed etiam ut ceteri, cum eorum nomina die anniverſaria in dypticis inſcripta, eaque in orationibus celebrari intelligerent, ad eandem gloriam incenderentur, ut ex D. Cypriano intelligere licet lib. 3. Epiſtola 6. Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.*

(*) cap. 7. libri 1. obſervationum.

in sacris dypticis conscribebantur. Propterea vero dies a Cypriano exquisitos puto, ut martyrologia, (si appellari ita finis) & Kalendaria conficeret, quibus nempe ad celebrandos martyrum festos dies regerentur Ecclesiæ.

III. Si Gregorio Thaumaturgo sermones eos tribuis, quos aliqui non indocti viri tribuerunt, egregium habebis festivitatum in Sanctorum honorem celebratarum fautorem: quippe multa cum laude meminit festivitatis *Annunciationis Virginis Mariæ*. At omnes fere recentiores hos sermones Gregorio Thaumaturgo suppositos arbitrantur. Ex iis vero, qui tribuunt, non pauci, ut puto, erunt, qui festivitatem Annunciationis in earum numero collocant, quæ Christo dicatæ sunt: nimirum Incarnationis mysterium in ea festivitate recolitur. Consultius itaque erit, ut, si Gregorium Thaumaturgum festivitatum in Sanctorum honorem celebratarum defensorem ostendere vis, ea producas, quæ Gregorius Nissenus de Thaumaturgo enarrat. (c) *Apud populos omnes* (inquit Nissenus) *sanciebat* (Gregorius Thaumaturgus) *ut nomine eorum, qui pro fide decertaßent, dies festi, atque solemnes conventus celebrarentur: cumque alius in alium locum corpora martyrum deduxisset, per anniversarium circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem martyrum ferias agentes.*

(c) in vita Gregorii Thaumaturgi tom. 3. pag. 574.

IV. Illustre etiam testimonium ad hunc morem comprobandum præbet Synodus Laodicena. (*) Etenim canone 51. non obscure ostendit, ea ætate consuevisse Christianos magna cum alacritate, & lætitia martyrum festivitates celebrare: quippe vetat, ne Quadragesimæ, ideoque doloris, & mæstitiæ tempore, celebrentur. Quam etiam ob causam ex Ecclesiasticis aliis monumentis novimus, Annunciationis festivitatem ad alia anni tempora olim fuisse translatam. En vero Canonem ipsum. *Non oportet in Quadragesima Martyrum natalitia celebrare, sed eorum in sabbato tantum, & Dominica die memoriam fieri.*

(*) tom. 1. Concil. pag. 1530.

(*) Augustinus sane id innuit n. 2. sermonis 273. & expresse id significat n. 1. tractatus 84. in Joannem his verbis: *quorum* (Martyrum) *si non inaniter memorias celebramus.*

V. Synodus Gangrensis, si festivitates martyrum *memoriarum* vocabulo indicat, (quod non indocti Viri merito censent (*)) hasce festivitates manifesto commendat, dum canone 20. hæc proponit (*). *Si quis arrogantia utens, & martyrum congregationes abhorrens, & sacra, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias accuset, anathema sit.*

(*) interprete Gentiano Herveto pag. 431. tomi 2. Concil. Labbei.

VI. At ad hunc Canonem reponunt adversarii, *memoriarum* vocabulo significari loca, in quibus sacra martyrum corpora condita erant, minime vero eas, de quibus agi-

agimus, martyrum festivitates. Id si tibi concedo, nondum causa cado. Nempe canon is, quem ex Laodicena Synodo allegavi, *memoriarum* vocabulo festivitates indicat. (quod & deinceps peregit Augustinus nuper allegatus.) At omnino non cogimur, ut voces has: *memorias martyrum*, de quibus Gangrensis Synodus mentionem facit, ad monumenta martyrum coarctemus: possunt enim commodius Martyrum, de quibus agimus, festivitates designare. Nimirum festivitates martyrum ibi indicari conjicimus ex iis, quæ ibi commemorantur, cœtibus fidelium, Sacramentis, aliisque, quæ merito sacra appellantur, quæque in martyrum festivitatibus fieri consueverant a fidelibus.

VII. Quod si fidem Sozomeno præbes, jam pridem in Ecclesia splendide celebrantur festi Sanctorum dies. Rem describo ex Sozomeno ipso, Valesium secutus interpretem (*d*): *Publicum, ac solemne festum ingenti pompa quot annis celebrant Alexandrini, eo die, quo Petrus ipsorum olim Episcopus martyrium consummavit. Hunc igitur diem festum aliquando celebrans Alexander, qui tunc ipsorum erat Episcopus, peractis missarum solemnibus, expectabat eos, qui una cum ipso pransuri erant &c.* Quam eandem rem enarrat Rufinus: (*e*) *Tempore*, (inquiens) *quo apud Alexandriam Petri Martyris diem Alexander Episcopus agebat, cum post expleta solemnia conventuros ad convivium suum Clericos expectaret &c.*

(*d*) lib. 2. cap. olim 16. in Valesii vero editione 17.

(*e*) lib. 1. historiæ suæ cap. 15.

VIII. A Constantino Magno (*f*) *missa lex est ad Præsides provinciarum, ut diem Dominicum etiam ipsi venerarentur. Iisdem festos martyrum dies jussu Principis observabant, & Ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore prosequebantur.*

(*f*) referente Eusebio in ejus vita lib. 4. cap. 23. Valesio interprete.

IX. Consuevisse quoque Christianos tum ejusdem Constantini, tum subsequentium Imperatorum temporibus, Sanctorum natalitia celebrare, cum alia quidem plurima ostendunt, tum certe illud, quod Valesio interprete discimus a Sozomeno: (*g*) *Cum in insula Cypro, ubi tum degebat* (Hilarion), *mori eum contigisset, sepultus est ab incolis, magnoque bonore, & cultu ab iis afficiebatur. Postea vero Hesichius, qui inter ejus discipulos celeberrimus fuit, reliquias ejus furatus, in Palæstinam deportavit, & in monasterio ejus sepelivit. Atque ex eo tempore, hujus regionis incolæ diem festum quot annis admodum celebrem, ac splendidum publice agunt. Hoc enim modo Palæstini honorare solent viros sanctos, qui apud ipsos vixere: exempli gratia Aurelium, Anthedonium, Alexionem ortum Bethagathone, & Ala-*

(*g*) cap. 14. libri 3.

la-

lapbionem ex Asalea: qui cum eodem tempore sub Constantii viverent principatu, monasticam philosophiam pie, ac viriliter excoluerunt, ac virtutum suarum exemplo, in urbibus, ac vicis superstitioni Gentilium admodum deditis, Christianam Religionem magnopere provexerunt.

X. Si Athanasio eam tribuas Orationem, quæ præposito ejus nomine in Annunciationem Virginis Mariæ scripta est, testimonium fortasse non leve habebis ad comprobandum festos dies in honorem B. Mariæ Virginis tum temporis fuisse actos. At certe ad Athanasii tempora referendum est, quod de Juventino, & Maximino sub Juliano Apostata martyrio affectis, narrat Theodoretus. (b) *Quos Antiochensium Civitas* (inquiens) *tamquam veritatis propugnatores bonore prosequens, in splendido monumento deposuit, & ad hunc usque diem annua festivitate veneratur.*

(b) lib. 3. hist. cap. olim 14. in edit. Valesii 15.

XI. Basilius Magnus orationem in S. Julittam sic exorditur. *Quæ de beata Martyre prædicatio se offert vobis depromendam, hujusce est causa congregationis. Hunc enim diem vobis indiximus celebriter agendum, quippe qui memoriam renovet magni illius certaminis, quod in muliebri quidem corpore, generoso alioquin animo, & plusquam virili, omni admiratione, ac stupore percellens, cum illos, qui & ipsi præsentes spectarunt decertantem, tum eos, qui auditu percepturi sunt in posterum &c.*

Haud absimile initium facit orationis in quadraginta Martyres. En illud: *Quis modus, aut quæ satietas martyrum memorias prosequendi erit, illi præsertim, qui eorum amore, ac caritate magnopere tenetur? nam honor, quem in bonos conservos conferimus, benevolentiæ significationem apud communem dominum habet . . . . . . Nobis hodierna die non unum propositum est celebrare, neque duos, neque decem, sed viros quadraginta, qui unam in diversis corporibus animam retinentes, in una conspiratione, & concordia fidei, eandem erga res arduas constantiam, & pro veritate stabile propositum ostenderunt.*

Homiliam quoque in S. Gordium Martyrem similiter incipit.

CAP.

CAP. III.

Idem argumentum prosequimur, & ejusdem consuetudinis testes afferimus Nazianzenum, Nissenum, Ambrosium, Damasum, seu alium, quisquis is est, cui tribuenda sint carmina præposito Damasi nomine edita, Nectarium denique, seu alium quempiam auctorem Orationis in S. Theodorum Nectario olim adscriptæ.

I. NAzianzenus oratione III. quæ prima est in Julianum invectiva, acerrime in eundem Julianum invehitur, quod impudenter, & stulte contra Christum, & Sanctos cum eo regnantes susceperit bellum. Id dum persequitur, festorum dierum in Sanctorum honorem celebratorum palam meminit hæc elocutus. (*) *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti, Joannem illum, Petrum, Paulum, Jacobum, Stephanum, Lucam, Andream, eos, qui & post illos, & ante illos pro veritate periculis se se objecerunt? . . . . . Quibus præclari honores, & festa sunt constituta &c.* Orationem XXII. quæ est panegyrica Machabæorum, sic exorditur: *Quid autem Machabæi? horum enim nomine diem festum hunc agimus.* En etiam initium Orationis XVIII. in laudem S. Cypriani. *Cyprianus fere nos effugit. O ingens damnum! idque vos passi estis, qui eum omnium maxime suspicitis, annuisque honoribus, festisque celebratis?* Adeo vero solemniter Martyrum festa celebrabat, ut alios quoque præclarissimos viros ad eadem festa invitaret.

(*) pag. 76. edit. Coloniæ 1690. to. I.

II. Nec minus aperte ejusdem consuetudinis meminit Gregorius Nissenus numero sexto, aliàs octavo Orationis in magnum martyrem Theodorum, hæc elocutus. *Etsi enim anniversariis feriis hunc diem celebramus: at numquam cessat studiose advenientium multitudo, ac formicarum similitudinem servat ea, quæ huc pertinet via publica, cum alii quidem ascendant, alii verò venientibus cedant. Ac nos quidem, o beate, benignitate Creatoris anniversariam circuli vicissitudinem assecuti, coegimus tibi publicum conventum, sacrum, inquam, martyribus addictum, & communem Dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes.*

III. D.

III. D. Ambrosius, sive alius, cui tribuendi sint ii sermones, qui præposito Ambrosii nomine prodiere, in sermone recitato in die depositionis S. Eusebii (obtinetque in editione Patrum Sancti Mauri 57. locum): *Depositionem S. Eusebii* (inquit in ipso Sermonis exordio) *bodie celebramus*. Sermonem vero subsequentem, idest 58. in S. Cyprianum sic incipit. *Ante dies, cum beatissimi Martyris Cypriani celebraremus natalem, suavissime in ejus festivitate jucundati sumus*.

(a) cap. 2. alias n. 5.

Sed indubitate D. Ambrosius libro de Virginibus (a) hæc ait: *Bene procedit, ut quoniam hodie natalis est Virginis, de Virginibus sit loquendum, & a prædicatione liber sumat exordium. Natalis est Virginis, integritatem sequamur. Natalis est Sanctæ Agnes: mirentur viri, non desperent parvuli: stupeant nuptæ, imitentur innuptæ*.

(b) cap. 19. sive n. 124.

Rursus in libro de Virginitate. (b) „ Dies factus est „ Petrus, dies Paulus, ideoque hodie natali eorum, Spiritus Sanctus increpuit dicens: *Dies diei eructat verbum*: „ hoc est ex intimo thesauro cordis fidem prędicant Christi.

Præclarum est etiam, quod Damasus, aut alius, si vis, sub Damasi nomine latens, cui tribuas hymnum in S. Agatham, Damasi nomine editum, ait.

Martyris ecce dies Agathæ
Virginis emicat eximiæ:
Christus eam sibi qua sociat,
Et diadema duplex coronat.

IV. Videbitis quoque, ad eandem consuetudinem comprobandam, allegari Nectarii Constantinopolitani Episcopi enarrationem sic inscriptam: *Propter quam causam in primo sabbato sanctorum jejuniorum celebretur memoria S. Martyris Theodori*: quippe cap. 8. ejusdem enarrationis hæc extant. (c) *Cum venisset Sabbatum, intellexissent autem Christiani, irritam fuisse machinationem furiosi Juliani, hymnum gratiarum actionis glorioso Martyri Theodoro exhibentes, lætum, ac splendidum festum ei celebrarunt: frumentumque coquentes, & pauperibus distribuentes, fecerunt eorum salutem omnibus manifestam. Singulis itaque annis ab eo tempore usque in hodiernum diem, miraculi inclyti Martyris memoriam pie fidelibus peragendam reliquere. Hoc est quod a nobis nunc peragitur, & celebratur miraculum*. Sed quoniam vetat Tillemont, ne tribuamus enarrationem illam Nectario, sic illam Orationem allegate, ut dijudicandum relinquatis aliis, Nectarii ne sit, an non.

(c) Apud Surium 9. Novembris to. 6. pag. 235. edit. Coloniæ 1581.

(d) Vide Tillemont tom. 5. hist. Eccles. in adnotationibus in S. Theodorum adnotat. 4. pag. 734.

CAP.

CAP. IV.

Alia Patrum testimonia recensemus, Zenonis scilicet, Chrysostomi, Gaudentii, Hieronymi, aliorumque, quorum postremus in hoc quidem Capite est Leo Magnus.

I. Adeo probabilem eruditis suis lucubrationibus effecerunt optimi Ballerinii fratres (*) eorum opinionem, qui putant, Ambrosii æqualem fuisse Zenonem, ut minime dubitem, secundum Ambrosium eum esse allegandum. Porro eum, de quo agimus, morem palam indicavit, approbavitque Zeno, cum sermonem in festo S. Arcadii recitavit: quem quidem sermonem ad hunc modum exorditur: (*),, Dum Beati Arcadii martyris gesta annalibus ,, triumphanda mandamus, in agonem immortalis laudis ,, Christianus semper ardor animatur &c.

(*) Vide caput secundum dissertationis 1. inter eas, quas iidem Fratres Ballerinii præposuerunt recenti Veronensi editioni pag. XXXV. & LVI.

(*) pag. 200.

II. At proferamus præclarissimum Orientalis Ecclesiæ doctorem, Chrysostomum scilicet, qui Antiochenam Ecclesiam concionibus, Constantinopolitanam autem tum sermonibus, tum pastorali cura plurimum adjuvit, & illustravit. Is sane homilias plurimas in festis Sanctorum diebus recitavit, veluti in die festo S. Meletii Episcopi Antiochiæ, Luciani, Babilæ, Juventini, & Maximini, Pelagii quoque, & Ignatii. Sed præter has conciones, alias pronunciavit in festis Sanctorum diebus, in quibus celebritatis, & conventus populi meminit. Paucissima seligo. En initium homiliæ primæ in Sanctum Romanum Martyrem. (*) *Rursus martyrum memoria, & rursus dies festus, & celebritas spiritalis*. Et num. 2. *Propterea Sanctum hunc maxime diligo, qui nos hodie congregavit, beatum, inquam, Romanum.* Vide etiam homiliam secundam, (*) sive Chrysostomi illa sit, sive alterius, qui sub Chrysostomi nomine lateat, in eumdem S. Romanum. Ad hæc, idem Chrysostomus homiliam primam in SS. Machabæos hoc modo exorditur. (*) *Quam speciosa nobis, & læta Civitas! quàm toto anno splendidior hæc dies! non Sole clariores, quàm more solito, radios in terram effundente; sed Sanctorum martyrum luce, plus quam fulgur, totam nobis Civitatem irradiante.* Non multum abest initium Orationis in Sanctas *Bernicem, Prosdocem, & Domninam*. (*) En illud. *Nondum elapsi sunt dies viginti, ex quo memoriam Crucis celebravimus, & ec-*

(*) to. 2. pag. 611.

(*) Ibid. pag. 617.

(*) Ibid. pag. 622.

(*) Ibid. pag. 634.

ce martyrum memoriam celebramus. Quantum vero approbet ille hasce festivitates, tum alias quidem & perspicue, & crebro, tum certe tradit, quum homiliam in *Sanctos Martyres* sic exorditur (a). *Heri Martyrum dies fuit; sed & hodie Martyrum dies est. Atque utinam semper diem Martyrum celebraremus. Si enim illi, qui insano theatrorum amore ducuntur, & Circenses ludos ad stuporem usque mirantur, nunquam turpibus illis spectaculis satiantur: multo æquius est, ut Sanctorum festivitatis celebratio nobis satietatem, & fastidium nunquam pariat. Illic pompa est diabolica, hic festivitas Christiana: illic exultant dæmones, hic Angeli choreas ducunt: illic animarum pernicies, hic salus eorum omnium, qui congregantur. At habent illa quamdam voluptatem? Non sane tantam, quantam ista. Quæ enim, quæso, voluptas, temere & quoquo modo currentes equos cernere? Hic vero non jugum brutorum animalium spectas, sed Martyrum mille currus, & Deum, qui curribus istis præsidet, atque in Cælum iter agit.*

(a) tomo secundo pag. 650.

III. At quis prætereat, quæ tradit Gaudentius Brixianus in sermone de Petro, & Paulo? En illa. *Per hujus magistri* (Christi) *vestigia gradiuntur fideles discipuli Petrus, & Paulus: quorum passionis natalem hodie per universum mundum omnes Ecclesiæ debito honore concelebrant. In hoc enim die apud Urbem Romam ambos pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit, Domini justitia coronavit.*

(b) in accuratissima Pauli Galeardi editione in sermonum serie xx.

Hunc vero finem Sermoni imponit. *Communicemus igitur, fratres, Sanctorum Apostolorum memoriis: communicemus Sanctorum memoriis fide, opere, conversatione, sermone, ut mereamur eorum precibus ad omnia, quæcumque poscimus, adjuvari largiente gratia Domini Jesu Christi, cui omnis honor in sæcula sæculorum.*

Subsequentem vero sermonem, qui *de vita, & obitu B. Philastrii* inscribitur, sic incipit. *Carissimi, nos hodie memores promissionum Christi, honorem debitum Beato Patri nostro Philastrio, tamquam vere viventi, deferimus.*

Concludit vero hisce verbis. *Pauca hæc de virtutibus hominis Dei brevissimo sermone memoravi, ne dies iste, quo ad superna migravit beatus Philastrius patronus noster, cujus hodie festa celebramus, tristi silentio inglorius præteriret. Nam cum multa meritorum ejus præconia, quatuordecim jam per annos solemnitatis hujus cultum renovans, auditui vestro intulerim, plura, quæ prædicari adhuc possunt, intacta perspicio. Quinto decimo autem Kalendarum Augustarum exuit homi-*

minem, & migravit ad eum, quem dilexit. Tam digni igitur memoriam Sacerdotis debito affectu veneremur, ut ipsius quoque suffragio bona, quæ poscimus, facilius impetremus: largiente Dei filio sempiterno, cui est omnis honor, virtus, & gloria cum Patre, & Spiritu Sancto, in omnia sæcula sæculorum. Amen.

IV. Consentanea his sunt, quæ S. Hieronymus (c) tradit: *Festus est dies, & natalis B. Petri; festivius est solito condiendus, ita tamen, ut Scripturarum cardinem jocularis sermo non fugiat*. Vide etiam Commentaria S. Doctoris in Caput IV. Epistolæ ad Galatas, quæ deinceps adducemus.

(c) in Epistola ad Eustochium olim 19. in nova Veronensi editione 31. n. 2.

V. Concilium III. Carthaginiense canone 47. (*) festorum dierum in Sanctorum honorem celebratorum palam meminit, quum hæc eloquitur. *Liceat etiam legi passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.*

(*) pag. 1409. tom. 2. Concil.

VI. Ejusdem consuetudinis testis locuples est Augustinus (d) hæc inquiens: *Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, constituamus altaria.*

(d) lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. XXI.

His affinia ea sunt verba, quibus enarrationem in Psalmum 63. exorditur. *Passionis* (ait ille) *Sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes quid patiebantur, & intelligentes quid intuebantur. Numquam enim tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent. Hunc itaque psalmum pro ipsa solemnitate curramus. Hesterno enim die multa audivit caritas vestra, nec hodie tamen huic festivitati negare potuimus nostram servitutem.*

In enarratione in Psal. 80. (e) hunc sermoni finem imponit. *Sed quoniam perendino die, id est quarta sabbati, non possumus ad mensam Cypriani convenire, quia festivitas est Sanctorum Martyrum, crastino ad ipsam mensam conveniamus.* Etiam in enarratione secunda in psal. 88. hæc ait (f). *Dixerunt ista martyres, quorum natalitia celebramus. Ipse vivet, & non videbit mortem, ipse eruit animam suam de manibus inferni, & nos propter te mortificamur tota die, deputati sumus, velut oves occisionis.*

(e) n. 13.

(f) n. 11.

VII. Observatione quoque digna sunt ea, quæ Paulinus Nolanus edocet, hæc generatim de martyribus, eorumque festis elocutus. (g)

(g) Poemate XXI. idest Carmine 13. in S. Felicem v. 76.

 Qua-

Quare Beatos Martyres, quos extulit
Perfecta virtus in coronam Cælitem,
Justis honoris debiti præconiis
Celebramus omnes nos eorum posteri,
Confessione Christiani nominis,
Quibus profuso sanguine ob sanctam Fidem
Proseminarunt frugis æternæ bonum;
Ut si ambulemus Martyrum vestigiis,
Partis parentum perfruamur præmiis.
Hinc ergo Sanctis, sive Confessoribus,
Seu consecratis passione testibus,
Dies sacratos, in quibus functi diem
Mortalis ævi morte vitali suum
De labe mundi transierunt ad Deum,
Populi fidelis gaudiis solemnibus
Honore Christi gratulantes excolunt,
Ut iste Sancti pace Felicis dies,
Quo clausit olim corporis vitam senex &c.

Ejusdem moris haud obscure meminit in ipso initio Poematis 13. id est carmine II. (b) in Natali Sancti Felicis, quod consulas velim.

(b) aliàs 17.

Hic allega, si vis, carmen tertium, quartum, & subsequentia in Natali S. Felicis: ad eandem quippe consuetudinem comprobandam aptissima sunt.

VIII. Sed quis Prudentium omiserit, cum multis quidem in locis libri peri stephanon, seu de coronis, eum, de quo agimus, morem indicet, tum præsertim hymno x. quippe v. 194. & Civium, & exterorum ad Sanctorum festa celebranda convenientium frequentiam elegantissime sic describit.

Jam cum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio facta refert,
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo?
Urbs angusta suos vomit, effunditque Quirites,
Una & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeja phalanx umbonibus æquis
Discrimen procerum præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum,
Indigena & Picens, plebs & Ethrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox, habitator & altæ

Cam-

Campanus Capuæ, jamque Nolanus adest.

Hymnum vero XI. in Apostolos Petrum, & Paulum sic exorditur.

Plus solito coeunt ad gaudia, dic amice quid sit.
Romam per omnem cursitant, ovantque.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli, atque Petri nobilis cruore.
Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno
Vidit superba morte laureatum.

IX. Aurea porro, ac dignissima quæ referantur, ea sunt, quæ Maximus Taurinensis Homilia de martyribus Tauricis tradit: „ Cum omnium (inquiens) Sanctorum Martyrum „ devotissime natalem celebrare debemus, tum præcipue „ eorum solemnitas tota nobis veneratione curanda est, „ qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profude- „ runt. Et in festo S. Laurentii: „ Sanctum est, fra- „ tres, (inquit) ac Deo placitum, ut natalem B. Lau- „ rentii præcipua devotione veneremur &c.

X. S. Petrus Chrysologus sermone 129. in S. Cyprianum Martyrem (si tamen Chrysologo sermonem illum tribuas; nam Dominicus Mita illum demit Chrysologo) hæc effatur: „ Quoniam hodie Deo in natali S. Cypriani „ martyris convenimus, in quo miro certamine de Dia- „ bolo triumphavit, & quia nobis virtutum suarum glo- „ riosum reliquit exemplum: ideo exultare nos convenit, „ & lætari..... Aspice ergo, carissime, alacritatem populi „ circumstantis: in hac enim die aliquando turba astitit „ impiorum. Cum Sanctus Cyprianus Martyr jussu tyran- „ ni feriretur, turbæ erant malorum, expectantium cho- „ ri; nunc multitudo fidelium ad collætandum devota „ confluxit: tunc turba sævientium, nunc exultantium: „ tunc desperatorum, nunc sperantium. Idcirco ergo na- „ tales martyrum annua lætitia celebrantur; ut quod se- „ mel actum est, per omne ævum in memoria maneat „ devotorum.

Simillima occurrunt initio sermonis 135. in D. Laurentium. En illa. *Hodiernus dies beatissimi Martyris Laurentii corona illustratur, cujus egregii Martyris merita nulla pars Romani orbis ignorat.*

Vide sermones alios ab eodem Sancto Petro Chrysologo in diebus festis Sanctorum recitatos, veluti sermonem 133. in S. Andream, & 134. in S. Felicitatem.

XI. An non etiam eandem consuetudinem indicat Hi-

la-

larius Arelatensis, dum in vita S. Genesii narrat, natalis ipsius die tantam fuisse populorum ad S. Genesii festum coeuntium frequentiam, ut disrupto ponte, qui ad urbem ducebat, primum quidem fuerint metu turbati populi, tum lætitia perfusi maxima, quod omnes incolumes Genesii intercessione ex summo periculo evaserint.

XII. Proferre etiam æquum est, quæ suppeditat D. Leo Magnus in sermone in Cathedram S. Petri, quem primus omnium edidit Quesnelius: sic quippe sermonem illum exorditur. „ Adest, dilectissimi Fratres, beati Apostolo„ rum principis gloriosa solemnitas, quam tota debemus „ animi alacritate suscipere, tota mentis devotione ce„ lebrare. Cum enim dies martyrii ejus merito habeatur „ in toto orbe clarissima, hæc non impari est totius Ec„ clesiæ Sanctæ gaudio celebranda.

Quod si auctorem habet Leonem Magnum liber ille Sacramentorum, quem vir summa laude dignissimus Josephus Blanchinus edidit, præposuitque quarto tomo recentis editionis Romanæ Anastasii Bibliothecarii (Et sane monuerat Quesnelius, multa extare in Romano eo ipso, quo nunc utimur, Missali, quæ *Leoninam phrasim, dictionemque omnino redolerent*.) Si auctorem, inquam, Leonem Magnum habet liber ille Sacramentorum; profecto vides, plurimas a Sanctissimo Pontifice agnitas, & approbatas esse Sanctorum festivitates: quippe qui non paucas Missas edidit in Sanctorum festivitatibus celebrandas.



CAP.

CAP. V.

Alia recensemus Patrum testimonia, quæ ad Heliæ Cretensis tempora usque producimus.

I. EO, quo Leo Magnus tempore, vixit etiam Galla Placidia Augusta. In Epistola scripta ad Pulcheriam Augustam filiam suam sacrilegum esse dicit, si a solemniis D. Petri quis absit. (*a*)

II. Illustre etiam id est, quod præbet Cyrillus Alexandrinus oratione recitata in die Joanni Evangelistæ sacro: *Celebritatem*, (inquiens) *& gloriam Sanctorum nulla assequi potest oratio. Extiterunt enim mundi lumina, verbum vitæ, sicut scriptum est, continentes*.

III. At omnes tum perspicuitate, tum frequentia testimoniorum exsuperat Theodoretus. Duo ex eo seligamus. In historia Sanctorum Patrum (*b*) consuetudinem eorum temporum circa festos martyrum dies describit, hæc elocutus. *Habet nunc quoque sub eodem tecto* (id est in eadem Basilica) *Martyres, qui apud Persas quidem decertarunt, annuis autem, & celebribus festis a nobis honorantur*.

Et in oratione, seu libro 8. *De curandis Græcorum affectionibus: Nos sæpe numero* (inquit) *dies festos Sanctorum Martyrum peragimus, sæpe diebus singulis eorum laudes, hymnosque Domino cantamus*.

IV. Sed omittendus non est Eucherius Lugdunensis in Oratione recitata in Natali S. Genesii: „ Hodie (inquit) natale Sancti Genesii celebramus, & meritum: „ Beatorum Martyrum passiones natales vocamus dies, „ quando eos martyrii vita, & gloriæ fides, dum ingerit „ morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia brevi „ dolore parturiit. Simile initium dat Orationi illi, quam edidit in Joannem Baptistam. *Hodie*, (inquiens) *dilectissimi fratres, Joannis, qui Domini præcucurrit adventum, natalem diem celebramus*.

V. Similiter Fulgentius in sermone de S. Stephano: „ Heri celebravimus (inquit) temporalem sempiterni

Re-

(*a*) Extat hæc Epistola in Collect. Concil. Labbei tomo 4. pag. 826.

(*b*) cap. 24.

(*c*) Tomo VI. Biblioth. Patrum Lugdun. pag. 670.

„ Regis noſtri natalem; hodie celebramus triumphalem „ militis paſſionem. Heri enim Rex noſter trabea carnis „ indutus, de aula uteri virginalis egrediens, viſitare „ dignatus eſt mundum; hodie miles de tabernaculo cor- „ poris exiens, triumphator migravit ad Cælum.

Rurſus in ſermone de S. Cypriano Martyre: „ Cla- „ rum tanti martyris natalem diem, Beati ſcilicet Cypria- „ ni, quo terrenis, ac moribundis membris exutus, ad „ æternæ præmia vitæ tranſmigravit, & Sacerdotii ejus „ doctrinam, & martyrii nobis victoriam commendavit, „ fecitque ex temporali quondam triſtitia liberiorem. „ Quis neſciat hunc ipſum, qui nunc annua circumſtitu- „ tione feſtus nobis revolvitur dies, Chriſtianis, ac reli- „ gioſis mentibus, illo tunc tempore fuiſſe ſollicitum, „ dum adverſus Diabolum ab Antiſtite ſuſcepto culmine, „ pia plebis expectatio trepidaret?

VI. Theodorus Lector, ſeu ſi vis, Nicephorus Cal- lixtus, aut alius Nicephoro antiquior, (*) in excerptis ex Eccleſiaſtica Theodori Lectoris hiſtoria, Valeſio interpre- te, hæc eloquitur: (d) „ Feſtus quidam Senator Urbis „ Romæ, ob civilia quædam negotia ad Imperatorem „ Anaſtaſium miſſus, cum veniſſet Conſtantinopolim, „ hortatus eſt, ut Principis Apoſtolorum Petri, ac Pau- „ li memoria magno cum honore, cultuque celebrare- „ tur. Quamvis igitur antea quoque celebrata fuiſſet; „ deinceps poſt petitionem Feſti longe majori ſplendore „ ea feſtivitas peracta eſt.

(*) Vide Tillemont tom. VI. hiſt. Impera. pag. 590.

(d) libro 2. hiſto.

VII. At quis ea contemnat, quæ Dorotheus Abbas nobis præbet? (e) En illa. „ Atque hoc maxime facien- „ dum eſt, cum Dominica ſolemnitas, vel Sanctorum „ Martyrum, vel quæcumque dies ſancta fuerit, & præ- „ clara; ita ut pſalmodiæ ſtudium, & curam adhibea- „ mus, & mentem tamen non divertamus a virtute ſan- „ ctorum verborum.

(e) doctrina 23. tomo XI. Bibliothecæ Patrum edit. Pariſ. 1644. pag. 862.

VIII. Athalaricus Rex, tam & ſi Arianus, ſeu potius Athalarici Ariani Regis nomine Caſſiodorus: (f) *Ad natale* (inquit) *S. Cypriani religioſiſſime venerant peragendum.*

(f) Epiſt. 33. libri octavi.

IX. Sic Benedictus Abbas cap. 14. Regulæ. (*) *In Sanctorum feſtivitatibus, vel omnibus ſolemnitatibus ſicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto quod Pſalmi, aut Antiphonæ, vel lectiones ad ipſum diem pertinentes dicantur.*

(*) to. 15. Biblioth. pag. 695.

X. In

X. In eumdem ſenſum Procopius de Bello Vandalico hæc eloquitur. (g) „ Carthaginienſes D. Cypriano, quem „ maxime venerantur, templum clariſſimum ante Urbem ad littus maris poſuere, & cum alia, quæ ad ejus „ cultum pertinent, rite procurant, tum ſolemne celebrant, quod ab ipſis dicitur *Cypriana*. Hoc ipſum nomen tempeſtati illi, cujus mentionem proxime feci, ideo Nautæ tribuunt, quia eo fere tempore cooriri ſolet, quo Afri feſtum hoc agere conſueverunt.

(g) lib. 1. cap. 21.

XI. Gregorius Turonenſis tam perſpicue, tam crebro de feſtivitatibus in honorem ſanctorum actis loquitur, ut loca pigeat indicare; cum nulla fere pars ſit eorum librorum, quos edidit, in quo hujuſmodi feſtivitatum mentio non fiat. Lege præ ceteris quatuor ejus libros, quos *de miraculis S. Martini* inſcripſit, palamque videbis, conſueviſſe Chriſtianos feſta Sanctorum cum maxima celebritate agere.

XII. Nobis etiam Gregorius Magnus ſatis dignus videtur qui hujus, de qua agimus, conſuetudinis teſtis proferatur. An non hæc Joanni Ravennati Epiſcopo ſcribit? (*) „ Nos ſollicite requirentes ab Adeodato Diacono quondam „ fraternitatis tuæ cognovimus, quia nunquam conſuetudo fuerit deceſſoribus tuis ut in Litaniis pallio niſi in „ ſolemnitate Beati Joannis Baptiſtæ, & Beati Petri Apoſtoli, & Beati martyris Apollinaris, uterentur. Vide etiam Epiſtolam 29. libri 7. ad Eulogium ſcriptam (*).

(*) lib. 4. epiſt. 11. at in edit. Patrum S. Mauri lib. 5. epiſt. 11.

(*) in edit. Patrum S. Mauri lib. 8.

XIII. Evagrius quoque, interprete Valeſio, hæc eloquitur: (h) „ Quam ob cauſam publica feſtivitas quot „ annis ad noſtra uſque tempora communi totius populi „ lætitia celebratur, quam Gregorius ejuſdem loci Epiſcopus longe adhuc magnificentiorem reddidit. Hæc idcirco illic facta ſunt, quod Deus ſanctorum reliquias „ jam ex hinc honore afficiat.

(h) cap. 16. libri primi.

XIV. Iſidorus Hiſpalenſis præclarum de hiſce feſtivitatibus teſtimonium præbet: quippe & antiquitatem earum comprobat, & egregium finem inſtitutionis earum his verbis profert. (i) „ Feſtivitates Apoſtolorum, ſeu in „ honorem martyrum feſtivitates antiqui Patres in venerationis myſterio celebrari ſanxerunt, vel ad excitandam „ imitationem, vel ut meritis eorum conſociemur, atque „ orationibus adjuvemur. Et capite 35. alium finem exhibet ſic locutus. „ Omnes autem feſtivitates pro varietate religionum, (*) diverſaque in honorem marty-

(i) lib. 1. Eccleſiaſt. offic. cap. 34.

(*) fortaſſe legendum eſt *regionum*.

„ rum tempora, ideo a viris prudentibus instituta sunt,
„ ne forte rara congregatio populi fidem minueret in
„ Christo. Propterea ergo dies aliqui constituti sunt, ut
„ in unum omnes pariter convenirent, ut e conspectu mu-
„ tuo, & fides crescat, & lætitia major oriatur.

XV. Quod autem aliqui saltem festi dies in honorem Sanctorum instituti in universo Orbe, sæculo septimo celebrarentur, testatur Jonas Monachus in Vita Sancti Bertulphi cap. 6. (k) *D. Petri Sacra* (inquiens) *toto orbe solemnia celebrantur*.

(k) Apud Surium 19. Augusti.

XVI. Hildephonsus Toletanus (si tribuendi illi sunt sermones ii, quos præposito Hildephonsi nomine edidit Feu-ardentius) præclara, & multa subministrat Christianæ consuetudinis circa dies Virgini Mariæ sacros argumenta. Ea utpote tum plurima, tum notissima non recenseo.

XVII. Beda cap. 11. libri quinti historiæ Anglicanæ eandem celebrandi in Sanctorum honorem festos dies consuetudinem his verbis explicat. „ Inventa Euvaldorum
„ corpora juxta honorem martyribus condignum recon-
„ dita sunt, & dies passionis, vel inventionis eorum con-
„ grua illis in locis veneratione celebratur. Et homilia secunda in solemnitate omnium Sanctorum: „ Hodie,
„ dilectissimi, (inquit) omnium sanctorum sub una so-
„ lemnitatis lætitia celebramus festivitatem, quorum so-
„ cietate cælum exultat, quorum patrociniis terra læta-
„ tur, triumphis Ecclesia Sancta coronatur.

XVIII. Joannis Damasceni orationem primam *de Imaginibus* jam produximus. (l) Tu si vis, hic repete.

XIX. Helias Cretensis ad Orationem tertiam Nazianzeni; (*) *Martyres* (inquit) *hæc omnia sustinebant, ut ne nudo quidem verbo tenus fidem prodere viderentur. Quibus de causis & magnificis honoribus afficiuntur, & publica festa in eorum honorem celebrantur*.

(l) cap. 1. hujus differt. n. 1.
(*) n. 63.

Et hæc quidem tum antiquitati, tum utriusque Ecclesiæ in sanctorum festis celebrandis consensioni comprobandæ satis arbitror dicta. Nam post hæc tempora sanctorum festivitates, tum apud Latinos, tum apud Græcos frequentes fuisse, in dubium verti omnino non potest. Si alia adhuc addere vis, materiam uberem subministrabit pars prima tractatus *de Festis* a Thomassino elaborati: Alia quoque subministrabunt ea monumenta, quæ capitibus subsequentibus producemus.

CAP.

CAP. VI.

Vindicantur ab objectis ea quæ nuper de antiquitate, & consensione Ecclesiarum in festis Martyrum celebrandis dicta sunt.

I. OMni superiorum disputatione capitum actum illud est, ut hanc sciremus antiquissimam, & ab omnibus receptam esse traditionem, ut sanctorum natales, & festa celebrarentur. Nunc ab iis, quæ adversus nos urgent, objectis vindicanda ea sunt, quæ diximus. Sic ergo disserunt. Dissolvi haud ægre possunt, aliumque in sensum deduci ea Tertulliani, Cypriani, & si qua sunt alia, veterum testimonia, quibus innituntur Pontificii, ut antiquitatem moris illius, quem in celebrandis sanctorum festis servant, comprobent. (hic vero eas afferunt solutiones, quas cum jam attulerim, alienum esset hic repetere.) Quod vero pertinet ad consensionem Ecclesiæ in harum festivitatum celebratione; non ea quidem ex allatis monumentis liquet. Tam & si enim aliqua in re convenirent cum nostris festivitatibus ea, quæ *martyrum natalitia* veteres appellabant; plurimum tamen ab iis discrepabant: neque enim tum Missas aut celebrare, aut audire adeo severe præcipiebatur, ut qui secus ageret, læthalis criminis reus fieret: non ii templorum ornatus, non ea spectacula, concentus, ludique apparebant, quibus Pontificii sanctorum festivitates agunt ne dixerim, an contaminant? Immo omnino non jubebantur Christiani prorsus a forensibus, aliisque curis vacare; quod nostris temporibus adeo fit, ut in otio, & desidia festivitatis pars potissima posita sit. Id conspicis in lege lata ab Emmanuele Comneno. (a) En illam. „ A „ mane usque ad ipsum divini Sacrificii tempus liceat ju„ dicibus vacare orationi, & Dei glorificationi, & post „ divinum sacrificium justitiæ curam gerere . . . . Octa„ va Septembris. Natalis Immaculatæ Dominæ, & Dei „ Matris erit festus. Similiter & decimus quartus Septem„ bris, qui honoratus est in Exaltatione vivificæ Crucis: „ Vigesimus sextus propter Apostoli, & Evangelistæ „ Joannis Theologi translationem. Sextus Octobris, „ quod in eo agatur memoria S. Thomæ. Decimus „ ter-

(a) illam refert Theodorus Balsamon ad tit. 7. Nomocanonis Photii de jejunio, Quadragesima &c. cap. 1.

„ tertius Novembris, quod D. Patris Chrysostomi in eo
„ memoria peragatur &c.

Sed aliunde etiam intelliges, differre prorsus festivitates a Pontificiis in sanctorum honorem celebratas ab iis, quas veteres celebrabant. Nescis ne (quod jam monuimus) jussisse Constantinum Magnum, a Præsidibus omnibus celebrari festos martyrum dies? Porro inter Præsides multi erant antiquis superstitionibus adhuc addicti. Itaque si ii quoque festos dies celebrabant, aliud omnino agerent necesse est, quàm quod præsentium festivitatum exposcat ratio: neque enim Missæ interesse illi poterant, aut Vesperarum cantus audire, quod Pontificii in suis festivitatibus faciunt. Et hactenus quidem negativis potius argumentis, idest solutione nostrarum probationum, decertant in nos adversarii, quàm positivis.

II. At age (adhuc inquiunt) positivis etiam argumentis tum antiquitatem, tum Christianorum consensionem in sanctorum festis diebus celebrandis, quam Pontificii adstruunt, impetamus. Enim vero, si antiquitatem spectas; ad prima Ecclesiæ tempora festivitates referre non potes. Nimirum si tam splendide, tam hilariter, & si liceat ita loqui, tam laute etiam festivitates Christianorum agi necesse est; quanam id ratione peragere veteres Christiani poterant, quibus conventus vel in privatis domibus agere non licebat? Non itaque agere eas poterant. Quin ii sæpissime fassi sunt, se altaribus, templisque carere, & reliquis omnibus, quæ hodiernæ festivitates cum primis exposcunt. Minucius Felix in Octavio sic Ethnicum in Christianos disputantem inducit. (*) *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, nunquam palam loqui, nunquam libere congregari?* Nolim vero putes in eo tantum Christianos reprehendi, quod templa, atque aras falsis numinibus dicatas non haberent; at neque aris, neque templis omnibus fuisse destitutos. Quippe ad suspicionem hanc repellendam hæc addit Minucius: *Judæorum sola, & misera gentilitas unum & ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, ceræmoniisque coluerunt, cujus adeo nulla vis, & potestas est, ut sit Romanis numinibus cum sua natione captivus.* Quid quod Arnobius in ipso fere libri sexti initio hæc Christianorum nomine Gentilibus reponit? *Consuevistis crimen nobis maximum impietatis affingere*, (habent alii codices appingere) *quod neque ædes sacras venerationis ad officia constituamus; non deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam, non altaria fabricemus, non aras, &c.*

(*) pag. 91. editio. Lugduni Batavo. 1672.

Ea-

Eadem ipsa sæpe tradit Origenes in libris contra Celsum.

Si vero consensionem attendis Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ, non ea quidem satis liquet. Neque enim eosdem dies festos celebrant Græci, quos celebrant Latini, neque eosdem colunt Sanctos, quos Latini colunt, neque eosdem ritus in festivitatibus adhibent, quos Latini adhibent. In quonam ergo ritu in festivitatibus celebrandis consentiunt Orientis, & Occidentis Ecclesiæ? Hæc adversarii. At nos eorum dicta expendamus.

III. Non hic quidem repetere juvat ea, quæ alibi adversus adhibitas a Protestantibus Tertulliano, & Cypriano solutiones attulimus. Ut ad ea itaque, quæ nuper objecerunt, tantum modo animum intendamus, plane novi non omnino, nec (ut dici mos est) ad amussim respondere festivitates nostras cum veteribus festivitatibus, tam & si non ita multo intervallo distent: quippe in iis etiam missę celebrabantur, aliique ritus, quos nunc observamus, in more erant: quod deinceps ostendam. At si in aliis quibuslibet rebus Ecclesiæ potestas eminet, in festivitatibus sanctorum celebrandis maxime eminet: auget quippe, imminuitque, & novos ritus interdum adhiberi præcipit, veteribus sublatis: ipsa quippe sacri cultus interpres, & rectrix est. Hinc mirum non est, si immutata sint ab ea nonnulla, quum ea immutari opportunum duxit: qua de re subsequentibus capitibus agam. Ceterum lex a Manuele Comneno lata, si integra legatur, minime omnium mutationem indicat: quippe jubet, diebus illis, quas *dimidia festa* vulgus appellat, dimidia diei parte fora silere: ut nempe possint Judices mane orationi vacare, & sacrificio interesse: iis vero diebus, quas *festa integra* nuncupamus, præcipit, ut prorsus sileant fora, vacentque Judices. Id quoque nostris temporibus in nostris ipsis regionibus fit, adeo ut Manuelis Comneni hac in parte edicto obsequamur. Et hoc modo Ethnici ipsi Præsides Christianorum festa, jubente Constantino Magno, observabant: silebant scilicet fora, vacabant ipsi. Jam reliqua expedio.

IV. Nec perpetuo, nec ubique vetabantur primorum sæculorum Christiani conventus suos agere. Immo conniventibus interdum Imperatoribus palam, & manifesto eos egisse videntur. An non testatur Gregorius Turonicus, (c) domum satis amplam ad Ecclesiasticos conventus celebrandos Biturigis obtinuisse fideles in ipso fere Christianæ prædicationis in ea civitate exordio?

(c) libro 1. histor. Francorum n. 29.

dio? Ceterum haud invitus fateor, prohibitos sæpe fuisse Christianos, ne eosdem conventus agerent. *Quod si quis* (inquit Gregorius Turonicus) (d) *requiret, cur post transitum Gatiani Episcopi, unus tantum, id est Litorius, usque ad S. Martinum fuisset Episcopus, noverit, quia obsistentibus paganis, diu civitas Turonica sine benedictione Sacerdotali fuit: nam qui Christiani eo tempore videbantur, occulte, & per latebras divinum officium celebrabant, nam si qui a Paganis reperti fuissent Christiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur.* Et re vera Christianos metuisse, ne festum S. Polycarpi agere sæpe vetarentur, indicant ea Smyrnensis Ecclesiæ verba: *Quo etiam in loco, si fieri poterit &c.* Neque enim certo se acturos ajunt eam festivitatem, sed acturos, si fieri potuisset. *Si fieri poterit.* At etiam noveris, adeo celebrandarum festivitatum amantes fuisse Christianos, ut ab iis impediri vel ab ipsis Tyrannorum persecutionibus omnino non possent. Compertissimum id efficit epistola Dyonisii Alexandrini Episcopi, quam refert Eusebius (e) *Cumque soli* (inquit Dionysius, Valesio interprete) *ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis denique locus, in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus: ager, inquam, solitudo: navis, stabulum; carcer instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

(d) lib. 1. historiæ Francorum cap. 44. id est postremo.

(e) lib. 7. cap. 19. editionis Rufini: 22. Valesii.

Jam vero habes, unde constructum super Minucii Felicis, Arnobii, & Origenis auctoritate argumentum dissolvas. Ceterum operæ pretium est scire, *nota simulacra*, quorum meminit Minucius Fælix, doctorum quidem virorum sententia, falsorum numinum, aut si vis, Imperatorum simulacra esse. Hæc vero procul dubio a Christianis non colebantur. Quænam victima Christiani sacerdotii sit, haud ignorant, quibus Christiana mysteria sunt nota. Aris gentilium more aut erectis, aut sacratis carebant quidem Christiani, immo nunc etiam carent; fortasse etiam tum caruere lapideis, & fixis stabilibusque, ne scilicet aut eæ a Gentilibus deturparentur, aut ne putarentur ipsi in sacris ritibus, & ceræmoniis cum iisdem Gentilibus convenire. At aliquibus (quas tamen ut nomine ipso a Gentilium aris distinguerent, Sacras quidem mensas, aut altaria appellabant, minime vero *aras*) quæ facile huc illuc transferri possent, veluti ligneis, aut aliis id genus omnino caruisse, adduci non possum ut credam. Quippe sacrificia certe peragebant, oblationes recipiebant, aliaque id genus agebant,

bant, quæ sine altare aliquo aut omnino non fiunt, aut incommode tantum fiunt. Sed cur ea omitto, quæ numero septimo Actorum SS. Fructuosi, & Sociorum legimus? præcepisse scilicet Sanctum ipsum Fructuosum post *passionem fidelibus apparentem, ut quod unusquisque per caritatem de Cineribus usurpaverat, restituerent sine mora: mane vero facto Christianos omnes, qui reliquias Sanctorum abstulerant, eas detulisse, & in sacrosancta Ecclesia sub altari sancto sepelisse*. Neque enim sub altari reliquiæ eæ condi potuissent, si nec stabile, nec permanens altare aliquod in ea urbe habuissent Christiani.

VI. Id commode ad objecta Arnobii verba reponere potes. An non manifesto loquitur Arnobius de simulacris, sacrisque Gentilium, quæ merito invisa erant, ignotaque Christianis? Id sane non modo ex Minucio Felice, & ex Arnobio, sed & Origene, ex Tertulliano, & veteribus omnibus discimus.

VII. At inquis. Cur etiam ab his Patribus traditur templis prorsus caruisse Christianos quibus quidem si caruerunt festivitates nullas, ii agere potuerunt. Falleris tamen quisquis hæc objicis. Templa aliqua habuerunt Christiani, tam & si ea, ut arbitror, templa non appellarint. An non id indicant (*f*) Verba illa Lampridii? *Cum christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit melius esse, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam popinariis dedatur*. An non id etiam innuunt illa item Lampridii monita (*g*)? *Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus Civitatibus sine simulacris jusserat fieri, quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani*. Si enim nullas sacras ædes Christiani habuissent, in quibus convenirent, & sacra facerent, minime innotuisset Gentilibus consuevisse Christianos sine *simulacris* templa sua ædificare. An non id quoque declarant ea monumenta, quæ non præterit vir egregius Tillemont? (*h*) ad quæ quidem monumenta lectorem amando, quibus certissimus fiat, sacras, easque fortasse nobiles ædes, in quibus convenirent, & sacra peragerent, interdum habuisse Christianos. At non propterea ii falsa tradunt, qui eosdem Christianos templis caruisse ajunt. Quis in veterum Ecclesiasticorum lectione detritus ignorat templi nomine indicasse Christianos falsis numinibus dicatas ædes? Hinc Zeno Veronensis.

(*f*) in vita Alexandri Severi n. 49.

(*g*) Ibidem n. 43.

(*h*) Tomo III. historiæ Ecclesiasticæ de persecutione Maximini differens, art. VI. pag. 274. & de persecutione Decii, art. 1. pag. 305. & tom. V. de persecutione Diocletiani art. 8. pag. 1. 20., & 21.

(i) lib. 1. tract. 5. n. 8.

(k) Vide quæ ad hunc Zenonis locum adnotant fratres Ballerinii pag. 54. adnot. 26.


(l) Etiam vide tractatum 14. lib. 1. S. Zenonis, & quæ ad illum adnotant super laudati fratres Ballerinii pag. 103. & 104.

fis (*i*) hæc eloquitur „ Proponamus itaque, ut sæpe contingit, in unum sibimet convenire diversæ religionis „ diem, quo tibi Ecclesia, illi adeunda sint templa „: quibus quidem verbis apertissime constat quarto ipso sæculo, quo vixisse Zenonem simillimum veri est, templi nomine Sacras gentilium ędes fuisse appellatas; contra ędes Deo vero sacræ, vel Ecclesiæ nomine, uti diximus significabantur, (*k*) vel etiam Oratoria, sacræ Basilicæ, orationis loca, interdum etiam memoriæ martyrum, Concilia, conciliabula, conventus sacri fuere dictæ (*l*). Quum ergo Minucius, aliique veteres scriptores nostri ajunt Christianos sine templis Deo inserviisse, non aliud ajunt nisi iis falsis diis, quos stulta religio invexerat, minime sacrificasse Christianos, immo Deo vero cultum adhibentes ab iis locis abstinuisse, quibus polluta sua sacrificia dæmonibus offerebant patriæ superstioni addicti. Jam ad alia convertimur.

VIII. Quamquam vero neque eosdem prorsus dies festos celebrant Græci, neque eosdem omnino, quos Latini, sanctos peculiari cultu colunt, neque dum colunt, iisdem prorsus utuntur ritibus; non propterea vere ab iis discrepare nos dices. Quis enim vero negare ausit in festis martyrum sacrificia jam pridem in utraque Ecclesia Deo offerri solere, hymnos quoque, Psalmos, & divinas laudes in iisdem festis jam pridem cani tam a Latinis, quàm a Græcis; & hos perinde, atque illos in iisdem solemnitatibus abstinere a laboribus? Hæc tamen potissima portio est, & si appellare ita finis, præstantior in festivitatibus celebrandis ritus. Fateor porro fieri aliquando, ut non eodem die Græci celebrent festivitatem alicujus martyris, quo nos celebramus. At (ut prætercam fieri aliquando, ut non eodem die Domini Jesu festa celebrent Græci, quo nos celebramus, nec propterea discrimen hoc, si quod est, vel a Protestantibus ipsis objici nobis) ideo non eodem prorsus die græci quandoque festum celebrant, quo latini, quia illi interdum translationis diem celebrant, dum nos mortis diem celebramus aut contra. Atqui hoc tam levi, tenuique discrimine minime tollitur ea quam dixi in festis martyrum celebrandis utriusque Ecclesiæ consensio: quis enim (quod nuper dixi) tolli putet eam, quam Protestantes ipsi agnoscunt in festis Domini Jesu celebrandis utriusque Ecclesiæ consensionem: quamquam harum aliquas non eodem die

la-

latini agunt, quo agunt græci? Quod vero Sanctos non omnino eosdem, atque illos quos habent Græci, in Kalendariis, aut liturgiis nostris habeamus, ex eo provenit, quod ii magis illos Sanctos colant, a quibus majora doctrinæ, aut exempla habuerunt; quod pro portione latina quoque servat Ecclesia. Ceterum multos tam Latini, quam Græci æque colunt, præsertim vero primorum Ecclesiæ temporum Martyres.



CAP. VII.

Divisio festivitatum in Sanctorum honorem celebratarum.

I. DIvidendorum festorum multiplex origo, ac ratio esse potest. Dividuntur sane in mobilia, & stabilia, seu uti fere appellant, fixa. Primis scilicet dat occasionem Pascha, quod non eodem, ut omnes novere, anni tempore a Christianis celebratur. Alia festa eodem semper solaris anni tempore, dieque occurrunt. Sed hujusmodi divisio a sanctorum festis fere abest: quippe eodem die celebrari consuevere. Aliqua tamen exempla extant, eorum quæ Dominica die tantummodo celebrantur, cujusmodi est festivitas Nominis Jesu, & festivitas Nominis Mariæ, & quædam aliæ recentiores. Dividuntur quoque in generalia, & particularia. Prima ea sunt; quæ toto Christiano Orbe, aut certe in universa aut latina, aut græca Ecclesia celebrantur, veluti festivitas Petri, & Pauli Apostolorum, *quorum passionis natalem* (ut verbis utar S. Gaudentii in sermone 20.) *per universum mundum omnes Ecclesiæ debito honore concelebrant*. Particularia ea sunt, quæ non universa, sed particulares aliquæ Ecclesiæ, sive ob beneficia illius sancti, cujus festivitas tum celebratur, interventu accepta, sive quod in ea diæcesi quiescat illius sacrum cadaver, aut quod eum in Patronum elegerint populi, aut affinem aliquam ob causam. Desumi etiam divisio potest ab eo, in cujus honorem agantur. Cum ergo ad Christi celebranda mysteria, ad Virginis Deiparæ, & Sanctorum hominum vita functorum honorem sint instituta, triplex erit inde petita divisio.

II. A tempore quo festa sunt instituta, ab auctore qui instituit, dividi jubent alii: His, si tu vis, obsequere, & varia occurrent divisionis capita. At tam & si hæc, aliaque affinia dividendorum festorum momenta, titulosque non spreverim; vulgatiorem esse video divisionem, quæ festivitates in sanctorum honorem institutas in duo capita distribuit: quorum unum festa integra seu solemnia complectitur; alterum ea, quæ minora, alii dimidia festa appellant.

III. Ad primum genus revoca ea, in quibus (si ex ab-

absint causæ, ob quas Ecclesia opera laboriosa vel die festo permittit) omnino clauduntur fora, & laboriosa opera exercere non licet. Ad secundum genus ea, in quibus mane silent fora, & eo tempore prohibentur laboriosa opera, ut Missæ sacro præsentes adsimus; reliquam diei partem aut foro, aut laboriosis operibus insumi permittitur; Si vis exemplum tibi proferri ex latinæ Ecclesiæ decretis, obsequar libens, & rem iisdem exprimam verbis, quibus expressit Concilium Oxoniense anno 1222. celebratum. (*a*) Nimirum capitulo 8. postquam enumeravit festa, quæ *sub omni veneratione* servari præcipit, (*b*) hæc verba adjungit: (*c*) *Hæc sunt festa, in quibus post Missam opera rusticana concedimus: sed antequam, non. Octava Epiphaniæ, SS. Joannis, & Pauli, translatio S. Benedicti, translatio S. Martini.* Aliquam cum his affinitatem habent ea, quæ tradit Joannes Belethus cap. 120. libri illius quem *Rationale divinorum officiorum* inscripsit: *ac sciendum* (inquiens) *præterea est, quod tribus diebus Pascham sequentibus plane sit feriandum, sed quarto die liceat viris rustica exercere opera, fæminæ autem debeant a nendo abstinere: magis enim sunt necessaria ea, quæ ad agrorum culturam pertinent, quàm ista alia.* Ea quoque quæ præcipit capitulum 54. Concilii VVigorniensis anno 1240. coacti, quod mox allegabo. (*d*) Temporibus minus remotis id quoque peractum videmus a Concilio Trevirensi II. anno 1549. celebrati, cap. x. quod describere operæ prætium reor. (*e*) „ Itaque „ hæc festa omnino celebria esse volumus, & pro pastorali nostro officio solemniter celebranda mandamus & „ præcipimus, dies dominicos omnes, festum Nativitatis Christi, Stephani, Joannis, & omnium Apostolorum, Circumcisionis, Epiphaniæ, & Purificationis, „ Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis Virginis „ Mariæ, Paschæ cum duobus sequentibus, Ascensionis, „ Pentecostes cum duobus sequentibus, Corporis Christi, „ Joannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentii, Crucis, Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Catharinæ, „ Andreæ, Nicolai, Thomæ. Et in civitate nostra Trevirensi hæc festa patronorum Maximini, Simeonis, Visitationis, Helenæ, Paulini, translationis Materni, & „ Eucharii. Et in singulis civitatibus, oppidis, & parochiis, dedicationis festa, & patrocinia celebrari mandamus. Ceterum dies Innocentium, Cinerum, Parasceves, Cœnæ Dominicæ, Sabbati Magni, Marci, tres

(*a*) To. XIII. Concil. pag. 1065.
(*b*) pag. 1070.
(*c*) pag. 1071.

(*d*) To. XIII. pag. 1445. at hoc cap. respondet pag. 1463.
(*e*) Tom. XIX. pag. 1439. at hæc extant pag. 1447.

„ Rogationum, commemorationis animarum, & omnes
„ reliquos dies stationum, quos Ecclesia nostra Treveren-
„ sis in diebus aliorum patronorum, vel pro specialibus
„ rogationibus ab antiquo introductis, in civitate nostra
„ Treverensi, vel ejus suburbio observatis, usque in me-
„ ridiem feriari volumus, ita ut facto sacro, cuique ad
„ labores, aut negotia sua redire liceat. Simili ratione
„ in Cathedralibus, & Diæcesibus suffraganeorum no-
„ strorum, quibus tamen arbitrium suum in hoc relin-
„ quimus, & in aliis locis, & parochiis Diæcesis nostræ
„ observanda. Et si quis sive Clericus, sive Laicus, in
„ prænominatis celebribus festis, aut in aliis ante meri-
„ diem operæ mercenariæ publice, vel privatim, aut
„ compotationibus, choreis, ludis, aut id genus lasciviæ,
„ & levitatis temere, & contumaciter sese dederit, aut
„ immiscuerit, ab Officialibus nostris arbitraria pœna
„ pro modo delicti, etiam brachii sæcularis auxilio (si
„ opus erit) invocato puniri mandamus.

IV. Si vero cupis etiam ex Græca Ecclesia exempla proferri, opportunissimum subministrabit exemplum lex Manuelis Comneni, quam refert Balsamon (a). En illam, qualem latine proponit Bibliotheca Juris Canonici veteris anno 1661. Lutetiæ Parisiorum edita. „ Sancimus igitur,
„ ut illi dies feriati sint, quos in præsenti constitutione
„ nominatim enumerabimus. Quorum alii omnino toti
„ feriati sint, ut nullo modo ulla ipsorum parte constitui
„ judicium possit, extra quam si forte Imperator dispen-
„ sationis modo, aut (*propter*) necessitatem (ut mul-
„ ta sæpe numero rerum vicissitudo noviter introducit)
„ in illis etiam judicium constituere velit: alii vero ex
„ parte a judiciis cessent, a mane videlicet usque ad ip-
„ sum divini ministerii tempus; ut judicibus precationi-
„ bus, atque glorificando Deo vacare liceat; ac (*dein-*
„ *de*) post divinum sacrificium justitiæ operam navent,
„ secundumque legum vim injuriam passis auxilium ferant.
„ Verum enim vero quibus ita post divinum ministerium
„ judicare permissum est, in conficiendis a se instrumen-
„ tis, temporis, quo illa confecta sunt, mentionem fa-
„ cient. Ac primum quidem de omnino feriatis est agen-
„ dum. Natalis itaque dies purissimæ Dominæ, ac Dei
„ Genitricis, qui est octava Septembris, feriatus est. Item
„ decimus quartus, qui propter exaltationem vivificæ
„ Crucis honoratur. Item vigesimus sextus propter Apo-
„ sto-

(a) ad titulum VII. Nomocanonis Photii: extat tom. 2. pag. 921.

„ ſtoli, & Evangeliſtæ Joannis Theologi translationem „ (*alii verterunt emigrationem*) Item ſextus O- „ ctobris, quod tum memoria Sancti Thomæ Apoſtoli „ celebretur. Item nonus in honorem Jacobi Alphæi „ Apoſtoli. Item decimus octavus in honorem Lucæ A- „ poſtoli, & Evangeliſtæ. Item decimus tertius Novem- „ bris, quod tum memoria Patris Chriſti celebretur. Item „ decimus quartus, quòd tum Philippus Apoſtolus feſti- „ viter honoretur. Item decimus ſextus, quòd (*tum*) „ Matthæus Evangeliſta, & Apoſtolus honoretur. I- „ tem vigeſimus primus, quod tum Dei Genitricis in „ templum introitus celebretur. Item trigeſimus, quòd „ tum Andreas Apoſtolus feſtiviter honoretur. Item „ nonus Decembris, quippe quia tunc Genitricis Dei no- „ ſtri Conceptio celebretur. Item vigeſimus uſque ad „ ipſum ſextum Januarii, utpote quòd diebus illis nata- „ litia, & Baptiſmus Domini, & Dei, & Servato- „ ris noſtri Jeſu Chriſti celebrentur. Item ejuſdem „ Januarii duodevigeſimus, divinorum patrum, & docto- „ rum Athanaſii & Cyrilli gratia. Item ejuſdem men- „ ſis vigeſimus quintus propter memoriam magni patris „ Gregorii Theologi. Item ſecundus Februarii, quod „ tum Servatori obviam itum ſit. Item tertius, cele- „ brandæ memoriæ Simeonis Dei ſuſceptoris cauſa. I- „ tem vigeſimus quintus Martii, boni nuntii ergo ad Dei „ Genitricem (*delati.*) Item dies Paſchales ab ipſa „ Lazari reſurrectione uſque ad ipſum poſt ſacrum Paſcha „ octavum. Item vigeſimus quintus Aprilis in hono- „ rem Apoſtoli, & Evangeliſtæ Marci. Item trigeſi- „ mus in honorem fratris Theologi, & Evangeliſtæ Jaco- „ bi Apoſtoli. Item octavus Maii ob memoriam E- „ vangeliſtæ Joannis Theologi. Item decimus propter „ (*memoriam*). Simonis Zelotæ Apoſtoli. Item vi- „ geſimus primus propter memoriam ſanctorum, ac Apo- „ ſtolis æqualium, magnorum Imperatorum Conſtantini, „ & Helenæ. Item vigeſimus ſextus, propter (*me-* „ *moriam*) Apoſtoli Alphæi Judæ. Item undecimus „ Junii, in honorem Bartholomæi Apoſtoli. Item „ undevigeſimus in honorem Apoſtoli Judæ, qu & Tha- „ dæus & Lebæus & Jacobus (*nominatur.*) Item „ vigeſimus quartus propter Præcurſoris natalitium. I- „ tem undetrigeſimus propter Principum Apoſtolorum „ Petri, & Pauli celebrationem. Item trigeſimus, pro-

„pter

„ pter duodecim (*Apostolorum celebrationem* .) Item vi-
„ gesimus quintus Julii propter Sanctæ Annæ Matris Dei
„ Genitricis obdormitionem . Item sextus Augusti pro-
„ pter Servatoris nostri Jesu Christi transformationem.
„ Item nonus propter memoriam Sancti Matthiæ Apostoli.
„ Item decimus quintus propter gloriosam Sanctæ Dei
„ Genitricis emigrationem. Item vigesimus propter me-
„ moriam Sancti Thaddæi Apostoli . Item vigesimus
„ quartus, propter Bartholomæi Apostoli (*memoriam*.)
„ Item undetrigesimus , propter venerabilis Præcursoris
„ decollationem. Hisce omnino feriatis (*diebus*) con-
„ numerabuntur medietates quadragesimalis jejunii &
„ Pentecostæ, (*tum*) etiam Servatoris assumptio, &
„ omnes totius anni Dominici dies, ut in illis omnis in
„ judicium aditus præcludatur, ac nemo judiciale quid-
„ dam faciat. Sane vero qui (*dies*) ex parte judicium
„ sistent, neque toti (uti antea diximus) feriati erunt,
„ hi sunto. Mensis Septembris sextus: quoniam tunc per
„ infundibula summi Ducis Michaelis miraculum prodi-
„ giose peragitur. Item vigesimus tertius Octobris ;
„ quoniam memoriam fratris Dei Jacobi celebramus.
„ Item vigesimus sextus, quia magnum illum martyrem,
„ & unguento scaturientem festiviter veneramur, Deme-
„ trium. Item primus Novembris , quòd miraculorum
„ effectores , & gratis medentes Cosmas, & Damianus
„ festive colantur. Item octavus, quòd conventus defun-
„ ctorum celebretur. Item duodetrigesimus , quòd San-
„ ctus Stephanus martyr junior celebretur. Item quar-
„ tus Decembris in honorem egregiæ martyris Barbaræ.
„ Item sextus in honorem miraculis celebris, unguentoque
„ scaturientis Nicolai. Item decimus Januarii in ho-
„ norem divini Gregorii Nisseni. Item decimus sextus
„ propter adorationem venerabilium Principis Apostolo-
„ rum Petri vinculorum. Item decimus nonus, pro-
„ pter recuperationem venerabilis defuncti Gregorii Theo-
„ logi. Item vigesimus septimus propter recuperationem
„ venerandarum reliquiarum Chrysostomi. Item septimus
„ Februarii, in honorem magnifici martyris, Ducis exer-
„ citus Theodori. Item decimus septimus, in honorem
„ præmiis decorati Theodori tironis. Item nonus Martii,
„ nempe quod (*tum*) Sanctorum quadraginta Christi
„ martyrum memoria celebretur. Item vigesimus tertius
„ Aprilis, quippe quia (*tum*) magnificus martyr Geor-

gius

„ gius honoretur. Item secundus Maii, in honorem ma-
„ gni Athanasii. Item octavus Junii in honorem magni-
„ fici martyris Theodori exercitus ducis. Item nonus in
„ honorem Sancti Patris nostri Cyrilli Alexandrini. I-
„ tem vigesimus septimus, in honorem Sancti, & mira-
„ culosi Sampsonis. Item primus Julii, quia tum sancto-
„ rum, & miraculorum effectorum gratis medentium
„ memoriam colimus. Item secundus, quia depositionem
„ prætiosæ vestis Dei Genitricis recolimus. Item octa-
„ vus, quia magnificum martyrem Procopium festiviter
„ honoramus. Item undecimus, quia eximiam martyrem
„ Euphemiam concelebramus. Item vigesimus, quia
„ Prophetam Heliam honoramus. Item vigesimus septi-
„ mus, quonam præmiis decoratum, & miraculosum
„ Panteleemonem festive colimus. Item trigesimus pri-
„ mus Augusti propter preciosi Cinguli immaculatæ Dei
„ Genitricis depositionem. Atque hi (*quidem dies sunt*) qui
„ quodam modo feriati, & quodam modo non feriati sunt
„ &c. Hæc ille. At quæcunque agant Græci nostris certe temporibus nulla dimidia festa Latini habent, nisi si ea esse velis, quæ Joannes Beleth, aliique festa *devotionis* appellant: quo quidem vocabulo ea festa intelligunt, ad quæ celebranda nullo præcepto obligantur fideles, sed devotione quadam (veluti pietate, & obsequio in Mariam, aut sanctum aliquem) permoti illa celebrant, cujus modi est festum S. Mariæ ad Nives, S. Antonii, & similia alia. Porro alia festa (quæ *institutionis* appellat Joannes Beleth; alii *obligationis*, aut *præcepti* dicere consueverunt) festa integra nuncupant: fortasse quia in iis, quæ *devotionis* festa dicimus, laboriosa opera, post datam pietati partem aliquam diei, si volumus, exercemus: quo de argumento cum agimus, placet canonem, seu capitulum 54. VVigorniensis Concilii anno 1240. celebrati nuper indicatum, hic integrum referre. (*) „ Quod au-
„ tem prædecessor noster statuit de festis celebrandis, ne
„ fiant in eis opera servilia, præcipimus ab omnibus uni-
„ formiter observari; nisi forte specialiter aliquid fiat
„ pro veneratione Sanctorum, in quorum honore Eccle-
„ siæ, vel altaria consecrantur. Dictis autem solemni-
„ tatibus, beatorum Nicolai, & Edmundi Archiepisco-
„ pi duximus adjungendas. Festa autem Sanctorum Do-
„ minici, & Francisci in Ecclesiis cum novem lectioni-
„ bus volumus super hoc celebrari. Nolumus tamen per
„ hoc

(*) tom. 13. Concil. pag. 1463.

„ hoc opera laicorum fidelium impediri „ Atque ex his ipsis, si vis, aliud divisionis caput facile oriri potest, quod scilicet festa dividat in *festa præcepti*, & *festa devotionis*.

CAP. VIII.

Per summa capita exponitur, quid complexæ olim fuerint, quidve nunc complectantur festivitates.

I. NOn hic de præparationibus ad Sanctorum festivitates agimus: quippe tam & si ad festivitates ipsas fortasse pertineant, quia tamen uberem tractationem exposcunt, in locum alium eas amandamus. Inter ea, quæ festivitates complectuntur, alia video fuisse interdicta, præcepta alia, alia usitata, commendataque, alia denique in cujusque libertate relicta.

II. Quod ad prima attinet, forensia jurgia, & servilia opera fuisse diebus festis interdicta compertum est. Compertum est quoque peccata diebus festis patrata, fuisse maxime reprehensa, & horum præcipue causa oblectamenta etiam effæminata nimium, & mollia, quæ dies festos mirum quantum dedecent. Ut a primis incipiam, non Ecclesia tantummodo forensia jurgia, & servilia opera a festis amovet, verum etiam veteres Gentiles amoverunt: de quo quidem more ita Cicero: (a) *Feriis jurgia amovento, easque in famulis, operibus patratis habento*. Et multo clarius cap. 12. alias 29. *Feriarum, festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, & jurgiorum; in servis operum, & laborum*. Hebræis autem servilia, & laboriosa opera in festivitatibus fuisse interdicta monet Grotius. (b) Credibile porro est, non Sabbato tantum, in quo opera severius prohibebantur, verum etiam reliquis festivitatibus fuisse interdicta: quippe hæc non sinunt, ut Deo tantum vacemus, & quiescamus a curis, & laboribus: quarum quidem rerum causa Deus festivitates instituit. *Judicialia* quoque quæ vocant *acta* desiisse festivitatum tempore, intelligimus sane ex iis verbis, quæ capite decimo libri primi Machabeorum (*) habentur: *Et omnes dies solemnes, & sabbata, & neomeniæ, & dies decreti*. (idest si Grotio credis (*) dies festi populi instituto, quales sunt dies fortium, Encæniorum, & dies interfecti Nicanoris) *& tres dies post diem solemnem sint omnes immunitatis ...... Et nemo habebit potestatem* age-

(a) in libro secundo de legibus cap. 8. alias n. 19.

(b) in Commentariis in caput 12. Matthæi in versic. 1. & 2.

(*) v. 34. & 35.

(*) in locum hunc.

agere aliquid, & movere negotia adversus aliquem illorum in omni causa: hæc enim postrema verba cum proxime præcedentibus conjungenda sunt, adeo ut significent hisce solemnitatibus, & festivis diebus, quos communes a' vectigalibus esse jusserat Demetrius, judicialia, & forensia acta omnino fuisse interdicta, ut nempe quod erat in more, populus liberius pietati vacaret. Ita sane interpretantur hæc verba Hugo Grotius, aliique viri summi nominis.

III. Forensia jurgia primis Ecclesiæ temporibus die festo Christianis minime fuisse interdicta, propterea multi arbitrantur, quod non in eorum id erat potestate. Cum enim tribunalia, & fora a magistratibus Christianæ Religionis hostibus administrarentur, minime hæc poterant ad suas festivitates accommodare Christiani. Simillimum tamen veri est, illos id cavisse eo, quo poterant modo: quippe novimus sollicitos fuisse, ut qua poterant ratione læte, & quiete festivitates agerent, Ubi tamen a Principibus Christianis obtentum imperium est, fora continuo, & lites a Christianorum festivitatibus, ideoque in martyrum natalitiis siluerunt. Id sane tradit Eusebius capitibus 18. & 23. libri quarti Vitæ Constantini. *Missa quoque* (inquit postremo hoc capite) *lex est ad Præsides Provinciarum, ut diem Dominicum etiam ipsi venerarentur. Iidem festos Martyrum dies jussu Principis observabant, & Ecclesiasticarum festivitatum tempora debito honore prosequebantur.*

IV. Conciliorum quoque, Regum, & Romanorum Pontificum decretis id ipsum edictum est. Sane regia simul, & Ecclesiastica auctoritas eandem tulere legem, dum Concilio II. Matisconensi (*c*) Regis Gutramni decretum additum est, in quo alia quidem non pauca, sed subsequentia etiam extant. (*) *Decernimus, ut in omnibus diebus Dominicis, in quibus Sanctæ Resurrectionis mysterium veneramur, vel in quibuscumque reliquis solemnitatibus, quando ex more ad veneranda templorum Oracula universæ plebis conjunctio devotionis congregatur studio, præter victum, quem præparari convenit, ab omni corporali opere suspendantur, nec ulla causarum præcipue jurgia moveantur . . . . . Alios Canonica severitas corrigat, alios legalis pœna percellat.*

(*c*) anno 585. coacto.
(*) pag. 685. to.6. Concilior.

V. In Concilio etiam Rhemensi (*d*) inter Synodalia statuta numero vicesimo hoc reperies, (*) *Festa absque omni opere forensi, & cum debita veneratione celebranda hæc sunt: Nativitas Domini, Circumcisio, Epiphania, Annunciatio B.* Ma-

(*d*) Anno 625. seu ut aliis placet, 630. celebrato.
(*) pag. 1438. to. 6. Concil.

Mariæ, Reſurrectio Domini cum die ſequenti, Aſcenſio Domini, dies Pentecoſtes, Nativitas B. Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptio Beatæ Mariæ, ejuſdem Nativitas, Andreæ Apoſtoli, & dies omnes Dominicales. Adde Canonem quartum & viceſimum ejuſdem Concilii, de quo deinceps redibit ſermo.

VI. Poſſem hic proferre multos Canones, quibus, ſi vellem, evincerem diebus Dominicis, & ſolemnioribus, ideoque etiam non paucis Sanctorum feſtis, fora ſiluiſſe, & forenſes lites: ſed eruditi, & quicumque dant operam cognitioni harum antiquitatum, hujus generis monumenta facile invenient. Speciminis cauſa vide Canonem ſextum decimum Concilii Arelatenſis VI. (e) Canonem 77. Concilii Meldenſis anno 845. celebrati, (*) & Conſtitutionem quartam & quinquageſimam in earum numero, quas Leo dictus Sapiens edidit: ea denique, quæ tradit Nicolaus I. numero, ſeu reſponſione XII. *ad conſulta Bulgarorum*. (*) At reliquis expreſſius fortaſſe, & apertius id his verbis præcepit Gregorius IX. Romanus Pontifex (f) „ Judicialis ſtrepitus conquieſcere „ debet diebus feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcun„ tur eſſe ſtatuti. Scilicet natalis Domini, S. Stephani, „ Joannis Evangeliſtæ, Innocentium, S. Sylveſtri, Cir„ cumciſionis, Epiphaniæ, ſeptem diebus Dominicæ „ Paſſionis, Reſurrectionis cum ſeptem ſequentibus, A„ ſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus qui ſequuntur, „ Nativitatis Joannis Baptiſtæ, feſtivitatum omnium „ Virginis glorioſæ, duodecim Apoſtolorum, & præ„ cipue Petri, & Pauli, beati Laurentii, dedicationis „ B. Michaelis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, ac „ diebus Dominicis, ceteriſque ſolemnitatibus, quas ſin„ guli Epiſcopi in ſuis diæceſibus cum Clero, & populo „ duxerint ſolemniter venerandas.

Hic, ſi vis, repete legem latam a Manuele Comneno, cujus jam verba allegavimus.

(e) anno 813. coacti: extat tomo 9. Concil. pag. 319. hic vero Canon reſpondet pag. 325.
(*) extat tom. 9. Concil. pag. 987.
(*) tom. 9. Concil. pag. 1540.
(f) lib. II. decret. titulo 9. de feriis cap. 5.

CAP.

CAP. IX.

Loca indicantur, ex quibus apertissime intelligas, opera servilia diebus festis, ideoque solemnioribus Sanctorum diebus fuisse Christianis interdicta.

I. Constat itaque perspicuis documentis, a forensibus jurgiis adstinuisse diebus festis, ideoque in solemnioribus martyrum natalitiis Christianos. Veniamus nunc oportet ad partem alteram, ostendamusque, a servilibus etiam operibus Ecclesiæ decreto illos fuisse prohibitos. Porro, ut id comprobes, afferre hic poteris pleraque eorum, quæ nuper attulimus. An non perinde forensia jurgia, ac servilia opera iisdem decretis interdicuntur? Sed antequam a forensibus concertationibus arcerentur his diebus Christiani, a servilibus operibus prohibebantur. Attulimus jam Constitutiones apostolicas manifesto decernentes, ne servi diebus Ecclesiæ festis opera sua exercerent. Quod non ita accipias velim, ut servi quidem ad opera cogi non possent, at opera ipsa servilia (ideft, ut fere intelligunt, laboriosa) aut servis ipsis, aut si vis, ingenuis hominibus permitterentur. Enim vero tum Ecclesiasticis decretis, tum communi consensione vetiti sunt Christiani omnes, ne laboriosa opera festis diebus agerent; cujus quidem rei ea causa fere affertur, quod si secus fieret, ea corporum quies non obtineretur, quam Deus jam pridem præcepit; & si in hisce operibus sese exercerent, Deo vacare non possent. Hinc permittuntur ea tantum opera, quæ laborem minime exposcunt, aut si exposcunt, ideo permittuntur, quia si prohiberentur, sine magno incommodo vita agi non posset.

II. In immensum oratio cresceret, si cuncta allegare vellem loca, ex quibus intelligas, laboriosa opera diebus festis fuisse Christianis interdicta. Ad aliqua tamen digitum intendam, quæ satis erunt ad id, de quo agimus, comprobandum. Vide itaque Canonem vicesimum octavum Concilii tertii Aurelianensis: (*a*) quod decretum tanti deinceps factum est, ut Capitularibus insertum sit: Canonem 4. Synodi Narbonensis. (*b*) Canonem decimum octavum Cabillonensis: (*c*) quem quidem canonem condentes Episcopi nihil novi se condere, sed tantum vetera decreta se renovare testantur: Canonem primum & octogesimum

(*a*) anno 538. celebrati to. 5. Concil. pag. 1281.
(*b*) anno 580. actæ. to. 6. Concil. pag. 716.
(*c*) celebrati anno 650. to. 7. Concil. pag. 399.

 Ca-

Capitularis Aquisgranensis Caroli Magni (*d*) in quo quidem Canone idem Carolus Magnus decreta Pipini Patris sui confirmare se ait. *Sicut & bonæ memoriæ Genitor meus in suis Synodalibus edictis mandavit.* canonem 24. Capitularis Theodulphi Aurelianensis Episcopi. (*e*) Caput, seu responsum XI. Nicolai Papæ I. *ad Consulta Bulgarorum.* (*f*) Caput xxxv. Concilii Triburiensis. (*g*) Denique Canonem XV. Concilii Ænhamensis. (*h*) Quamvis vero alia hujus generis plurima decreta referre possem, hæc tamen indicasse sit satis: quod enim ad posteriora tempora attinet, de iis nemo dubitat.

III. Neque vero ad rem hanc comprobandam defuere miracula. Multa quidem narrata sunt a veteribus; at si consistere me vis in iis, quæ in contemptores festivitatum Sanctorum edidit Deus; duo proferam ex antiquo, eoque non spernendo scriptore. Gregorius Turonicus is est, qui in libro secundo miraculorum S. Martini (*i*) narrat, quas pœnas dederit mulier, quæ in festivitate B. Joannis *agrum adiit, ut evulsa semina mali seminis zizania, messem solam purgaret.* Etiam in libro de gloria Confessorum (*k*) severe punitum tradit hominem quemdam, qui in solemnitate S. Mariani *annonas diu infectas aqua, ac germine producto conflatas, facto igne super vimina contexta torrere paravit ad pocula facienda.* Sed de his hactenus.

(*d*) pag. 27. tom. 9. Concil.

(*e*) pag. 189. to. 9. Concil.

(*f*) pag. 1540. to. 9. Concil.

(*g*) anno 895. celebrati to. XI. Concil. pag. 647.

(*h*) anno 1009. acti pag. 1064. to. XI. Concil.

(*i*) cap. 57.

(*k*) cap. 81.



CAP.

CAP. X.

Expenduntur loca quædam Conciliorum, aliorumque Ecclesiasticorum, & veterum monumentorum, quæ adversari videntur iis, quæ nuper tradidimus.

I. HIs jactis ad vetustissimam consuetudinem, & universalitatem illius comprobandam fundamentis, ad ea discutienda jam festinat animus, quibus eandem, de qua disputavimus hactenus, consuetudinem nec antiquam esse, nec ab Ecclesia universa exceptam ostendere student nonnulli. Quoniam vero duo proposuimus, diebus scilicet festis fora fuisse clausa, & Christianis interdicta servilia opera; quod attinet ad fora diebus festis clausa, nullas vidi oppositiones, quæ referri huc exposcant. At quod ad opera diebus festis interdicta spectat, sic disputant. Ab Ecclesiæ usque exordiis, & subsequentibus etiam temporibus hujus modi opera ab Ecclesia permissa sunt: falluntur ergo qui interdicta fuisse ajunt. Nonne in Laodicena antiquissima Synodo in Cristianorum potestate relinquitur, ut, si velint dominicis diebus operentur? En Canon 29. ejusdem Synodi, interprete Isidoro Mercatore. (*) „ Non oportet Christianos judaizare, & in sabbato vacare, sed „ operari eos in eadem die, Dominicam præponendo ei„ dem diei. Si hoc eis placet, vacent tamquam Chri„ stiani. Quod si inventi fuerint judaizare, anathema „ sint. Si ergo christianorum arbitratui relinquebatur, ut vacarent, aut non: *Si hoc eis placet*, non illis revera interdicebantur servilia opera. Porro Canon hic tanti fiebat sæculo VIII. ut Carolus Magnus Capitulari Aquisgranensi capite XV. illum inseruerit. (*)

(*) to. 1. pag. 1553.

(*) tom. 9. pag. 13.

II. Nonne in aliis etiam decretis permittitur, ut saltem opera rustica agantur? Sane Constantinus Magnus id permisit in ea lege quæ extat lib. 3. Codicis tit. 12. de feriis leg. 3. En illam. „ Quoniam frequenter evenit, „ ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scro„ bibus mandentur, ne occasione momenti pereat com„ moditas cælesti provisione concessa &c.

III. Quid quod Capitulare Aquisgranense anno 789. actum capitulo 81. finit (a) *tria carraria opera fieri in die Dominico*; (ideoque festis etiam martyrum diebus) *idest hostilia carra*

(a) tom. 9. Concil. pag. 47.

ra, *vel victualia*, *vel si forte necesse erit*, *corpus cujuslibet duci ad sepulcrum*? Affinia nuper protulimus ex Joanne Beleth. (*) Immo Concilium Oxoniense Capitulo 8. (*b*) etiam finit, ut in celebrioribus festis opera rusticana exerceantur. En Canon ipse cum titulo illi superposito. „ Hæcsunt festa, in quibus, prohibitis aliis operibus, conceduntur opera agriculturæ, & carrucarum. Statuimus, quod festa subscripta sub omni veneratione serventur, videlicet, omnes dies Dominici, quinque dies Natalitii, Circumcisio, Epiphania Domini, omnia festa Beatæ Mariæ præter festum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur necessitas, Conversio S. Pauli &c. „ Et mox „ Volumus etiam, ut alia festa a Rectoribus Ecclesiarum, & Capellanis in obsequio divino, & laude devotissime celebrentur, minoribus operibus servilibus, secundum consuetudinem loci illis diebus interdictis; festum Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, S. Agnetis, S. Vincentii, S. Blasii, S. Agathæ &c. Alia etiam extant hujus generis decreta, quæ facile occurrent, si pervolveris tractatum Thomassini de festis (*c*) ex cujus lectione videbis festa aliquot ita fuisse constituta, ut post auditam Missam cuique liceret agere, quæ liberet. *Usque in meridiem feriari volumus* (inquit Decretum Concilii Trevirensis) *ita ut facto sacro ad labores redire liceat*. Quin etiam novimus quædam tam & si solemnia festa olim ita fuisse celebrata, ut mane daretur Ecclesiæ, & pietati, reliqua diei pars quotidianis, & laboriosis etiam operibus.

(*) cap. 7. §. 3.

(*b*) anno 1222. actum to. 13. Concil. pag. 1067. at cap. 87. extat pag. 1070.

(*c*) lib. 1. cap. 11. n. 9.

IV. Nundinæ quoque non modo sæpissime diebus festis celebratæ sunt, verum etiam earum celebrandarum ex festis Martyrum diebus occasio desumpta est, immo nostris ipsis temporibus crebro desumitur; facilius quippe, & opportunius mercatura agi potest in eo loco, ubi frequens populi multitudo convenit. Sane nundinas in Sanctorum natalitiis jam pridem celebrari consuevisse, intelligimus ex Epistola 33. idest postrema libri 8. variarum Cassiodori, quæ alibi allata est. Hæc adversarii.

V. At ab his levi negotio exsolvimur. Laodiceni Canonis verba paulo aliter transferri consuevere a recentioribus omnibus. Scilicet vertuntur hoc modo: *Si modo possint*. En Canonem integrum. *Quod non oportet Christianos judaizare, & in sabbato otiari, sed eo die operari; diem autem Dominicum præferentes otiari, si modo possint: ut Christianos*. Ec-

re

re vera voces illæ ἵνα δύναιντο vertendæ sunt *si possint*, minime vero vertendæ *si placet*. Potuere scilicet tum a Gentilibus, quibus non pauci Christiani inserviebant, cogi ad opera: potuere a necessitate, & inopia ad eadem opera adigi, potuere etiam operari, ne ex eo otio agnoscerentur Christiani esse, atque ad tribunalia puniendi deducerentur, Ecclesia in iis circumstantiis Christianos otiari non jubente.

VI. Si Constantini lex opera ruralia die festo permittit, eadem nostris etiam temporibus Ecclesia sæpe permittit, quum scilicet vereri jure possumus, eripi posse segetes, si die festo colligere negligamus. Hoc tantum Ecclesia exposcit, ut illius subjiciamur imperio, & si commode id fieri possit, Episcopi, vel saltem Parochi facultas adlit.

VII. Eadem vero opera interdum ab Ecclesia prohibita, interdum permissa videbitis, prout scilicet æquum duxit, & incolarum aut necessitatibus, & inopiæ, aut commodo opportunum. Nempe ad Ecclesiam pertinet decernere modum, quo festa observanda sint. Hunc vero modum decernere universim non potest, sed accomodare illum decet incolarum conditioni, & opportunitati. Hinc multa Pontificum, Conciliorum, & Episcoporum decreta occurrunt, quorum partem aliquam affert Thomassinus, in quibus eædem res interdum prohibentur, interdum permittuntur: aliquibus in locis licere dicuntur, in aliis vero prohibentur.

VIII. Ceterum quod peculiariter attinet ad Concilium Oxoniense, (*d*) monuerunt viri optimi, a quibusdam tum codicibus, tum typis editis libris abesse integrum Canonem hunc, qui in multorum suspicionem propterea incidit. Hæc vero ne dixisse existimer evitandæ difficultatis caussa, vobis auctor sum, ut prima potius, quam postrema hac solutione innitamini.

IX. Si nundinas, quas haberi vetuit in Concilio Arelatensi VI. canone 16, & Meldensi canone 77. interdum diebus festis permittit Ecclesia, propterea permittit, ut, quoniam ad templa festis diebus conveniunt populi, commodius sibi parare possint vitæ subsidia, aliàs difficillime comparanda. Neque vero opera laboriosa diebus festis fieri permittit, tam & si nundinas esse permittat: neque enim exposcunt illæ opus laboriosum eo die fieri, quo ad mercatum convenitur: disponi vult Ecclesia ante festum nundinas; post festum aliò deduci merces: ideoque secum ipsa non pugnat, dum opera servilia, & labo-

[*d* In veneta postrema editione tom.13. pag.1079. in margine hæc adnotantur: *hoc integrum caput non est in editione Anglicana*.

boriosa die festo fieri vetat, sinit autem nundinas haberi.

CAP. XI.

Monumenta afferimus, quibus edoceamur, omni studio cavisse Ecclesiam, ne ea, quæ in peccatum deducere nos facile possent, diebus festis agerentur.

I. SI tanto studio Ecclesia fideles ab iis arcuit, quæ impedire illos poterant, ne diebus festis (ideoque Martyrum solemnitatibus) se totos divino cultui, & Sanctorum obsequio darent, quanto magis illos amovisse dicenda est ab iis omnibus, quæ eidem divino cultui apertissime adversantur, uti peccata sunt, & ea omnia, quæ peccandi occasionem facile præbent? Infinita propemodum ea sunt argumenta, quibus, si vis, ostendere id potes: neque vero in re notissima æquum est ubertatem affectare, & eloquentiam. Seligam tamen aliqua, ne videar ea monumenta contemnere, quæ summo studio alii collegerunt. Sane Augustinus, (a) quantum Christianum festis dedeceat minus honestis voluptatibus indulgere his verbis edocet. „ Dicitur tibi, ut spi„ ritualiter observes sabbatum: non quomodo Judæi ob„ servant sabbatum carnali otio; vacare enim volunt ad „ nugas, atque luxurias suas. Melius enim faceret Ju„ dæus in agro suo aliquid utile, quàm in theatro sedi„ tiosus exsisteret: & melius fœminæ eorum die Sab„ bati lanam facerent, quàm toto die in menianis suis „ impudice saltarent. Tibi autem dicitur, ut observes „ spiritaliter sabbatum in spe futuræ quietis, quam tibi „ promittit Dominus. Affinia tradit num. 19. tractatus 3. in Joannem. Et rursus num. 2. Commentariorum in psalm. 91. „ Ecce (inquit) & hodiernus dies Sab„ bati est. Hunc in præsenti tempore otio quodam cor„ poraliter languido, & fluxo, & luxurioso celebrant „ Judæi. Vacant enim ad nugas, & cum Deus præce„ perit sabbatum, illi in his, quæ Deus prohibet, exer„ cent Sabbatum. Vacatio nostra a malis operibus, va„ catio illorum a bonis operibus est. Melius est enim a„ rare, quàm saltare. Itaque Augustinus choreas, aliaque choreis affinia, quæ *otium languidum*, *fluxum*, *luxuriosum*, *nugas*, *opus nugatorum*, *&* *opera mala* appellat, se-

(a) in serm. olim 96. de tempore. in nova editione IX. inscribiturque *de decem Chordis* cap. 3.

severius interdicta indicat, quàm servilia ipsa opera. Quam ob rem mirum non est, si communi quadam conspiratione tum ipse, tum reliqui Patres, & Concilia non modo peccata, verum ea etiam, ex quibus peccatorum occasiones facile desumi possunt, interdicta moneant, suisque decretis ipsis iterum vetent.

II. An vero cum his non consentit Canon 60. inter illos, quos complectitur ea canonum collectio, quam *Codicem canonum Ecclesiæ Africanæ* appellavit Philippus Labbe, qui eam Canonum collectionem, (b) Justelli editionem secutus, suæ Conciliorum collectioni inseruit? Audi num vera dixerim; „ Illud etiam petendum, ut quoniam contra præcepta divina convivia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta sunt, ita ut nunc a Paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur; ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur: vetari talia jubeant, & de civitatibus, & de possessionibus imposita pœna prohibere: maxime cum etiam in natalibus beatissimorum Martyrum per nonnullas Civitates, & in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam, quod pudoris est dicere, saltationes sceleratissimas per vicos, atque plateas exerceant: ut matronalis honor, & innumerabilium fœminarum pudor, devote venientium ad sacratissimum diem, injuriis lascivientibus appetatur; ut etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus. Canon etiam subsequens, idest 61. ejusdem Codicis hæc jubet inculcatque. „ Nec non & illud petendum, ut spectacula theatrorum, ceterorumque ludorum, die dominica, vel ceteris religionis christianæ diebus celeberrimis amoveantur; maxime quia Sancti Paschæ octavarum die populi ad circum magis, quàm ad Ecclesiam conveniunt; debere transferri devotionis eorum dies, si quando occurrerint, nec oportere etiam quemquam Christianorum cogi ad hæc spectacula: maxime quia in his exercendis, quæ contra præcepta Dei sunt, nulla persecutionis necessitas a quoquam adhibenda est, sed, uti oportet, homo in libera voluntate subsistat sibi divinitus concessa. Cooperatorum enim maxime periculum considerandum est, qui contra præcepta Dei magno terrore coguntur ad spectacula conveni- re.

(b) to. 2. Conci. pag. 1151. hæc autem verba extant pag. 1300.

III. In eumdem sensum Concilium III. Toletanum

an-

(*) pag. 711. tom. 6. Concil.

anno 589. actum capitulo 23. hęc jubet. (*) „ Exterminanda „ est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per Sanctorum „ solemnitates agere consuevit, ut populi, qui debent „ officia divina attendere, saltationibus, & turpibus in- „ vigilent canticis; non solum sibi nocentes, sed etiam „ religiosorum officiis perstrepentes. Hoc etenim, ut ab o- „ mni Hispania depellatur, Sacerdotum, & Judicum a „ Concilio sancto curæ committatur.

(*) tom. 7. Concil. pag. 399.

(*) tom. 9. Concil. pag. 354. & 355.

(*) *de festis* lib. 3. cap. 1. §. 8. pag. 489.

Et hæc quidem excripsisse sit satis. Alia indicabo, ut si quis ea ipsa inspicere optet, id assequi facile possit. Sunt vero Canon 19. Concilii Cabillonensis anno 650. coacti. (*) Canon 38. & 39. Concilii Turonensis anno 813. celebrati. (*) Huc etiam pertinet Decretum Herardi Archiepiscopi Turonensis, quod referente Tomassino (*) Synodalibus illius Statutis anno 850. capitulo 114. inseruit. Nec prętereas velim id, quod Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum respondens cap. XI. tradidit.

(c) lib. 3. cap. 2.

(*) tom. 21. Concil. pag. 137. & 139.

IV. Alia quoque ad rem eamdem pertinentia Decreta Thomassinus (c) recenset in peculiari tractatu *de festis*; quæ ut legas opto. At præterire nequeo decretum S. Caroli Borromæi, quod tertio Mediolanensi Concilio edixit, & actis Ecclesiæ Mediolanensis insertum est. (*) En illud. „ Saltem „ horis, quibus divina celebrantur officia, interdicimus, ne „ saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne „ item comœdiæ, ludi scenici, vel theatrales, hastiludia, & „ alia cujusvis generis spectacula agantur. Ne circumforanei „ circulatores, & id generis nebulones præstigias suas, „ inaniaque ea spectacula agant, neque quidquam omni- „ no vendant, ne medicamenti quidem pretextu. Atque ad hæc verba animadvertatis volo, optasse quidem Sanctissimum Archiepiscopum, ut ab inanibus iis, quos enumerat jocis, & oblectamentis prorsus caverent diebus festis fideles, at quoniam vix obtineri id posse sperabat, præcipere, ut iis saltem horis, quibus divina officia celebrantur, ab hujusmodi inanibus voluptatibus iidem fideles sese abstinerent, ne scilicet iis illecti divina negligerent. Vide etiam quæ idem Sanctissimus Archiepiscopus docet Concilio 1. par. 2. Consti. 50. (*)

(*) tom. 21. Concil. pag. 57.

(d) in Veronensi editione 31. olim 19.

V. Convivia quoque sumptuosa, & adeo lauta, ut luxuriem alerent, non famem tantum arcerent, sæpissime reprehenderunt Sancti Patres. D. Hieronymus numero 3. Epistolæ (d) ad Eustochium „ Unde nobis (inquit) sollicitius providendum est, ut solemnem diem non tam

„ Ci-

,, ciborum abundantia, quàm ſpiritus exultatione celebremus, quia valde abſurdum eſt, nimia ſaturitate velle honorare martyrem, quem ſcias Deo placuiſſe jejuniis. Ita tibi ſemper comedendum eſt, ut cibum & oratio ſequatur, & lectio. Quod ſi aliquibus diſplicet, Apoſtoli verba cantato. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ancilla non eſſem.

VI. Id etiam diſplicuit Auguſtino, qui id adteſtatur, dum num. 3. Epiſtolæ ad Aurelium ſcriptæ (e) hæc ait. ,, Commeſſationes enim, & ebrietates ita conceſſæ, & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum martyrum, non ſolum per dies ſolemnes (quod ipſum quis non lugendum videat, qui hæc non carneis oculis inſpicit,) ſed etiam quotidie celebrentur. Quæ fœditas, ſi tantum flagitioſa, & non etiam ſacrilega eſſet, quibuſcumque tolerantiæ viribus ſuſtentandam putaremus . . . . . . Saltem de ſanctorum corporum ſepulcris, ſaltem de locis Sacramentorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur. Quis enim audet vetare privatim, quod cum frequentatur in ſanctis locis, honor martyrum nominatur? Lege etiam eam Auguſtini epiſtolam, quæ in editione Patrum Sancti Mauri reliquis addita eſt, poſitaque n. 29. hac quippe de re Alypio Thagaſtenſi Epiſcopo ſcribit, narrans quibus denique hortationibus obtinuerit, ut Hypponenſes Catholici abſtinerent a luxurioſis conviviis, quæ in Sanctorum natalitiis Africani celebrare conſueverant: ſermonem quoque ejuſdem Sancti Doctoris olim 4. *de diverſis* in nova editione 251. (f) & ſermonem 101. *de diverſis*. (g) Recole nuper citatum Canonem 60. Eccleſiæ Africanæ, & ſi vis, adjunge ſermonem 53. inter eos, qui olim Ambroſio adſcribebantur, & recitatus dicitur in *Natali Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli*, & reliqua Eccleſiaſtica monumenta, quæ a Clariſſimo Muratorio collecta invenies in ea diſquiſitione quam *de agapis ſublatis* inſcripſit. (*)

VII. Adeo vero hanc in rem incubuerunt Epiſcopi, ut qui prorſus tollere a Sanctorum feſtivitatibus non potuerunt lauta nimis, & ſumptuoſa convivia, curam tamen impenderint maximam, ut quantum fieri poſſet, parcius vino, atque epulis convivæ indulgerent. Picturas propterea ſe in convivii loco diſpoſuiſſe Paulinus narrat, ut ſcilicet dum picturas diutius contemplarentur, qui ad

(e) olim 64. in editione Patrum S. Mauri 22.

(f) n. 4.

(g) in nova editione 273. n. 8.

(*) Anecdo. græ. pag. 241.

S. Felicis festivitatem convenerant homines, minus iis temporis, quod dapibus insumerent, superesset: atque iis, quæ in picturis descripta erant, sanctissimis exemplis ad pietatem, sobrietatemque incitarentur. Rem describo ipsismet Paulini versibus. (*h*)

(*h*) poemate 26. quod est Carmen IX. in S. Felicem vers. 580.

Propterea visum nobis opus utile, totis
Felicis domibus pictura illudere sancta;
Si forte attonitas hæc per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus umbra,
Quæ super exprimitur titulis, ut littera monstret,
Quod manus explicuit: dumque omnes picta vicissim
Ostendunt, releguntque sibi, vel tardius escæ
Sunt memores, dum grata oculis jejunia pascunt;
Atque ita se melior stupefactis inserit usus,
Dum fallit pictura famem: sanctasque legenti
Historias, castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis; potatur hianti
Sobrietas; nimii subeunt oblivia vini.
Dumque diem ducunt spatio majore tuentes,
Pocula rarescunt, quia per miracula tracto
Tempore, jam paucæ superant epulantibus horæ.

VIII. Verum enim vero alia quoque interdicta video. S. Basilius, seu alius, cui ea tribui debeat homilia, quæ in Basileensi editione (*i*) inscribitur. *In ebrietatem, & luxum, quibus die Paschæ populum affectum vidit*, (si veteri illi interpreti fidimus) his verbis quarumdam mulierum sumptuosissimas, atque inhonestas vestes diebus festis adhibitas, & ornatum a moderatione alienissimum accusat. „ Capita honestis operta velaminibus impudicè retegentes, Deum, & ejus Angelos despicientes, ad marium „ aspectus impudentes diffusæ comas, tunicarum luxum „ ostentantes, pedibus gestientes, atque oculo petulco, „ risu lascivo, ad saltationem insanientes, juventutis intemperantiam in se provocantes. „

(*i*) pag. 403.

Hæc aliaque id genus a christiana pietate remota, sed tamen a quibusdam usitata, merito, tum sæpe, tum pluribus, & vehementissime condemnaverunt sanctissimi Episcopi, quorum monita Thomassinus (*k*) ex parte collegit, inseruitque tractatui *de Festis*, quæ si leges, operæ pretium facies.

(*k*) lib. 3. cap. 1. & 2.

CAP.

C A P. XII.

De iis agimus, quæ diebus festis fieri jussit Ecclesia. Proferuntur veterum testimonia, quibus evincatur, antiquissimam esse, & communi consensione a fidelibus exceptam consuetudinem Missas celebrandi iis diebus, quibus martyrum festa aguntur. Differitur quoque de præcepto, quo obligantur fideles, ut Missæ sacrificio diebus festis intersint. Indicatur ejusdem præcepti origo, & vis. Recensentur denique ea, quæ antiquitus fieri a fidelibus mos erat, & nunc etiam multis in locis fiunt.

I. Venio jam ad ea, quæ festis, ideoque solemnioribus etiam Sanctorum diebus fieri jussit Ecclesia. Multa erant illa quidem, sed nostris temporibus vix aliud superest, quo se obligari censeant Christiani universi (si tamen impedimento aliquo non excusantur). nisi Missæ auditio. Ea de re pluribus agunt, qui sacros ritus, & consuetudines Catholicorum a Protestantium reprehensione tuentur. Pauca afferam, ex quibus antiquissimam esse, & communi consensione a fidelibus exceptam eam consuetudinem constet.

II. Jam attulimus Tertulliani, & Cypriani testimonia, (*) ex quibus liquet primis ipsis Ecclesiæ sæculis sine sacrificio non fuisse celebratas Sanctorum festivitates. Alia etiam hujusce consuetudinis monumenta indubitata, eaque antiqua extant.

(*) cap. 1. §. 6. & cap. 2. §. 1.

III. Enim vero Joannes Chrysostomus (*a*) palam tradit, in festivitatibus Martyrum Christiana sacrificia suo tempore peracta esse. *Sive sexta feria* (inquit) *sive Sabbato, sive dominica die, sive in celebritate martyrum, eadem litatur hostia*. (2)

(*a*) numero tertio homiliæ 5. in Epistolam primam ad Timotheum.

IV. Atqui adhuc alia tum perspicua, tum multa subministrat liber ille *Sacramentorum*, quem a Leone Magno compositum, aut potius antea a Romanis Pontificibus evulgatum, ab eodem Leone Magno aliqua ex parte auctum putavit, qui illum edidit Vir litterarum commodo, & gloriæ natus Joseph Blanchinus, qui laboribus sane, ac studiis suis obtinuit, ut

(2) In editione Patrum S. Mauri ad hunc modum verba illa redduntur. *Et in Parasceve & in Sabbato, & in die dominico, & in die martyrum idem Sacrificium consummatur.*

ut cum optimus ejus patruus paucos ante annos vitam mortalem objerit, pronunciari de nepote jure, ac merito possit virgilianum illud . . . . .

Uno avulso non deficit alter.

Aureus:

scilicet in eo libro plures occurrunt Missæ, quas in Sanctorum festivitatibus celebrabat, & nostra etiam ætate celebrat Romana Ecclesia.

V. Liber ille Sacramentorum, quem Gelasio primo Pontifici tribuit Venerabilis Cardinalis Thomasius, qui illum Romæ edidit, non paucas continet Missas, in Sanctorum solemnitatibus celebrandas, precesque peculiares, & uniuscujusque Sancti festivitati valde accomodatas proponit.

VI. Idem dic de libro altero, quem *Sacramentorum* pariter appellamus, testanturque viri eruditi Gregorium Magnum illius, magna saltem ex parte esse auctorem.

VII. Et ne ab hujus generis libris discedamus, Missale illud quod a Francis fuisse adhibitum arbitratus est nuper laudatus Cardinalis Thomasius, qui illud conscriptum censuit *post annum* 511: *sed ante annum* 560. *Gallis scilicet nondum in unum populum cum Francis coalescentibus*, missam in S. Hilarii, aliorumque Sanctorum festivitatibus recitandas continet: Etiam missas in Sanctorum festivitatibus dicendas continet Missale Gothicum; continet quoque illud Missale, quod postremo loco edidit Cardinalis Thomasius, qui hujusmodi Missale *Gallicanum vetus* inscripsit.

VIII. Sed præter vetusta Missalia, in quibus ceteroquin indubitata hujusce rei testimonia extant, aliunde etiam intelligimus in Sanctorum Natalitiis missas jam pridem fuisse celebratas. Antiqui sunt valde Canon 47. Agathensis anno 506. celebrati, (*) & 29. Aurelianensis III. (*) quos refert Gratianus mox citandus.

(*) tom. v. Concil. pag. 529.

(*) Ibid. pag. 1281.

IX. An non etiam in libris iis, quos Gregorius Turonicus *de gloria Martyrum*, in iis, quos *De gloria Confessorum*, in iis, quos *de miraculis S. Martini* inscripsit, frequentia occurrunt sacræ hujus consuetudinis exempla? Paucissima indico ex plurimis. Vide caput 57. libri 2. Miraculorum Sancti Martini. Rursus caput IX. libri IX. historiæ Francorum.

X. Gregorius Magnus (b) id ipsum testatur hisce verbis, *Nos autem pene omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus &c.*

(b) Epistola 29. libri 7. indi. 1. in editio. S. Mauri li. 8. epist. 29. indict. 1.

XI. Re-

XI. Repete hic, si vis, canonem 24. Capitularis Aquisgranensis Caroli Magni: adde canonem 45. capitularis illius, quam Theodolphus Aurelianensis Episcopus *ad Parochiæ suæ Sacerdotes* direxit: Concilii Triburiensis Canonem 35. nuper etiam retulimus: hic si tibi libet, eum exscribe: Hic quoque, si vis, recole Decretum Manuelis Comneni, quod jam allegavimus.

XII. Sed forte inutilem navamus operam, dum multa eam in rem testimonia adducimus. An non Missalia, quæ omnium teruntur manibus, quæque, uti nuper indicavi, jam pridem missas in solemniis Sanctorum celebrandas continent, Ecclesiæ consuetudinem hac in re comprobant? Ejusdem vero Ecclesiæ edicta, & plurima, & creberrime in Synodis, & Pontificum responsis, & legibus repetita, manifesto ostendunt, voluisse perpetuo Ecclesiam, ut si minus alia, hoc saltem a fidelibus obtineret, ut sacrosanctæ Missæ sacrificio *devote*, *attenteque intersint*. Sive ergo in perpetuam, constantemque Ecclesiæ circa rem hanc voluntatem referas, sive in populorum ipsorum obsequium, & unanimem consensionem, ut se non privarent maximo illo emulumento, quod ii recipiunt, qui devote, attenteque Missæ intersunt, nemo jam dubitat, severissimo præcepto obligari fideles omnes, ut diebus festis sacrosancto Missæ sacrificio *devote*, *attenteque* adsint, adeo ut læthalis criminis reus fiat, qui ob desidiam Ecclesiæ voluntati hac in re non pareat.

XIII. Quamvis ergo Canones, quos ad rem hanc comprobandam profert Gratianus in libro, quem *Decretum* fere appellamus, si soli attenderentur, tantas vires non haberent, ut fideles omnes ad ea jussa exequenda compellerent, neque reddere ipsi possent criminis lethalis reos, qui parere contemnerent; (quis enim putet excommunicationi subjiciendum eum, qui, sacerdote verba in Ecclesia faciente, ab Ecclesia exeat? quod tamen præcipitur capite 63. (*)) tamen cum non ii tantum, sed multo plus, immo omnino cogant nos constans, expressaque Ecclesiæ voluntas, & communis populorum in ritum hunc observandum conspiratio, Theologorum denique omnium, ac Doctorum in eam persuasionem consensio; falluntur ii, (si qui tamen nunc sunt) qui læthalis criminis præcepto nos in hac re constringi non putant. Falluntur ii quoque, qui quoniam Canon 47. Agathensis Synodi, quo maxime inniti videtur Gratianus, neque cle-

(*) 3. par. decre. distin. 1.

clericos , neque sacerdotes non celebrantes comprehendit , sed tantum modo sæculares : *Missas die dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus : ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat* : neque clericos , neque sacerdotes non celebrantes comprehendi putant . Falluntur denique ii , qui quoniam leges a Gratiano commemoratas non ita editas vident , ut præceptum severissimum indicetur, sed Episcopi arbitratui pœna indicenda relinquatur: *Quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur*, nullo hac in re præcepto adstringi nos ajunt. Nempe ut crebro dixi, non his Canonibus potissimum innititur præsens Ecclesiæ edictio, neque propter eas tantum leges ad audiendam festo die missam Christiani adiguntur, sed propter eam cujus nuper memini , constantem, expressamque Ecclesiæ voluntatem, & communem populorum in ritum hunc observandum conspirationem , & Theologorum omnium, Doctorumque in eam persuasionem unanimem consensionem . Videte, ne multos indicem, præclarissimum Canonici ordinis lumen Martinum Azpilcuetam Doctorem Navarrum cap. 21. tomi III.

XIV. At vetustioribus temporibus alia adhuc fidelibus præcipiebantur. Gratianus tertia parte Decreti sui dist.1. cap. 62. sanctionem antiquam affert, in qua jubentur omnes in missarum solemniis communicare: capite vero 63. excommunicatio indicitur illi, qui sacerdote verbum in Ecclesia faciente exeat. Sed hæc in eorum numero colloca, ad quæ agenda nos hortatur Ecclesia , optatque ut fiant, sed ea minime præcipit. Aliqua adhuc sunt , quæ olim præcipiebantur, & nunc etiam aliqua ex parte præcipiuntur; aut certe vetera præcepta non sustulit Ecclesia. Sunt vero oblationes , quarum veteres sæpissime meminere , & ad quas etiam respicit Canon 4. Concilii II. Matisconensis : (*) iis verbis ,, Decernimus, ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris , ,, & mulieribus offeratur tam panis, quàm vini, ut per ,, has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris justis offerentibus pro- ,, mereantur esse consortes. Ad eas quoque respiciunt decreta capitularis Theodulphi, Nicolai I. Pontificis, & Concilii Triburiensis, quæ nuper retulimus. Quis etiam ignorat nostris ipsis temporibus, si aliunde ali non possint Ecclesiæ ministri, neque sacra supellex Ecclesiæ parari queat popu-

(*) tom. 6. Concil. pag. 673.

pulorum oblationes exposci? Nonne id fit in ruralibus omnibus nostræ Diecesεos Ecclesiis eo ipso Missæ tempore, quo antiquitus oblationes fiebant? Immo non paucæ Ecclesiæ sunt, in quibus per familias singulas distributum est onus, ut candelas, aliaque id genus ad sacrificium pertinentia suis sumptibus subministrent. Eleemosynæ etiam, quæ antiquitus diebus festis uberrimæ fiebant, & sæpe etiam præcipiebantur; nunc quoque fiunt, & interdum præcipiuntur. Et sane Parochus in suis concionibus ad eas faciendas populum sibi subjectum hortatur: aut pauperes ipsi suasmet egestates exponunt populo convenienti ad Ecclesiam, recipiuntque a fidelium pietate, unde copiose alantur. Hinc immerito Pontificios accusant eorum hostes, quasi veteres ii dereliquerint ritus, & priscos mores, ut in suorum Sanctorum festivitatibus luxuriem, & ventrem, non Christum alant. An non Christum adhuc in pauperibus alimus, vetustaque & Christi, & Ecclesiæ præcepta servamus, dum pauperes quotidie quidem, sed potissimum, & lautius in festivitatibus enutrimus? Tantum porro abest, ut Pontificii se a veteribus Ecclesiæ præceptis, quæ pauperes refici festis præsertim diebus jubent, se se exemptos putent, ut diebus festis se potissimum ea jussione obligatos arbitrentur: quippe cum labori vacare non possint iis diebus pauperes, fidelium eleemosynis alantur est opus: neque immerito dicitur festis diebus plus pauperes a fidelibus, quàm in reliquis diebus a laboribus suis juvari: multo enim plus a fidelium eleemosynis, quàm a laboribus suis emolumenti recipiunt. Sed de hujusmodi præceptis, quibus, ut videtis, neque fideles universi, neque, si quædam rara exempla excipias, lethalis peccati imposita pæna ab Ecclesia obligantur, hactenus.

CAP. XIII.

Ea exponimus, quæ in Martyrum festis usitata esse diximus, commendataque ab Ecclesia. Panegyricas Sanctorum orationes fuisse recitatas: Acta, quibus martyrum passiones, ac gesta describuntur, fuisse lecta, variis monumentis ostendimus.

I. JAm vero tempus est aggredi ea, quæ diebus Martyrum festis usitata esse diximus, commendataque ab Ecclesia. Ad hoc genus revocant multi oblationes eidem Ecclesiæ, & eleemosynas diebus festis uberius pauperibus impertiendas. Sed sane revoces opus est orationes, concionesque, in Sanctorum festis ab Episcopis, aut ab alio eorum jussu recitatas. Id planissime intelligis ex pluribus sanctorum Patrum orationibus, veluti ex orationibus S. Gregorii Nisseni in D. Theodorum; D. Basilii in S. Julittam; etiam in S. Gordium; Zenonis in S. Arcadium; Joannis Chrysostomi in Bernicem, Prosdocem, & Domninam; Augustini, & Maximi in Cyprianum, & Laurentium; Leonis in sanctos Apostolos Petrum, & Paulum; & ex infinitis propemodum aliis. Eæ fere duabus constabant partibus, quarum prima narratio erat, & descriptio martyrii: tum non omissis Deo ob eam victoriam gratiis, & laudibus Martyris, partem alteram habebat hortatio ad virtutem, ad quam, sub oculos posita divina beneficentia, & præsidio, Martyrisque constantia, & exemplo, auditores accendi consueverant. Sæpissime etiam addebatur aut Sancti illius, cujus panegyris facta fuerat, invocatio, aut certe præclara, perspicuaque documenta quibus intelligerent, quantum de ejusdem Sancti suffragatione, atque interventu confidere poterant auditores, præsertim si illius virtutes, atque exempla imitarentur, seque illius patrocinio naviter commendarent. Eam ob causam miracula ex loco edito sæpe recitabantur, ut scilicet ab omnibus audirentur, Dei potestas, & beneficia commendarentur, augereturque auditorum fiducia, qua in animum sibi inducerent, se quoque a Deo Sanctorum interventu impetraturos, quod alii impetrarunt. Id nos discimus tum quidem ex aliis veterum monumentis, tum præsertim ex iis Augustini sermonibus, quos in nova a Patribus Benedictinis adornata serie reperies

ries num. 79. num. 286: (a) num. 320. & subsequentibus. (a) cap. 5.

II. Quod si Episcopus, aut Orator deerat, tum acta Martyris (si Romam excipias, quod intelligimus ex celebratissimo Gelasii decreto (3)) legi consueverunt. Immo in ipsa urbe Roma legebantur acta Martyrum illorum, quorum festa dies celebrabatur, si ea ex sacris scripturis desumebantur. An non Machabæorum martyrium ipsa eorum festa die legi consuevisse didicimus ex iis Sancti Leonis Papæ verbis? (b) *Causam solemnitatis hodiernæ, dilectissimi, plenissime sacræ historiæ lectione didicistis, nec latere vos potuit, quem in tanto rerum gestarum ordine exceperitis auditum, cum gloriosam septem martyrum matrem exultanti, & non tacito honoraretis affectu in singulis quidem filiis passam, sed in omnibus coronatam &c.* Atque in eadem quidem urbe emendata, certaque quorumdam Sanctorum acta, aut eorum certe epilogum & potiorem martyrii partem fuisse populo narratam ex responsione Hadriani Papæ ad Carolum Magnum, ex quibusdam Prudentii hymnis suspicari merito possumus; apertissime vero intelligimus ex iis sermonibus, quos S. Leo in festivitate S. Laurentii, & S. Gregorius Magnus in festivitate S. Felicitatis & septem filiorum illius, (*) & rursus in festivitate Sanctæ Agnetis, (*) item in festivitate Sanctorum Nerei, & Achillei (*) ad populum dixit.

(b) n. 1. sermonis in Machabeos.

(*) hom. 3. in Evang.
(*) homi. 11. in Evang. n. 3.
(*) homi. 28. in Evang. n. 3.

III. Sed sane extra urbem Romam Martyrum acta in eorum festivitatibus legi consuevere. Quis ad eum morem comprobandum contempserit canonem 47. Carthagiensis III? En illum (*) *Liceat etiam legi passiones*

(*) tom. 2. Concil. pag. 1409.

(3) *Item gesta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant. Quis ita esse Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia, & adjutorio universa tolerasse? sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in S. Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quàm rei ordo fuerit, scripta esse putantur. Sicut Quiriei cujusdam, & Julitta, sicut Georgii, aliorumque ejusmodi passiones, quæ ab hereticis perhibentur composita. Propter quod ut dictum est, ne vel levis subsannandi orivetur occasio, in Sancta Romana Ecclesia non leguntur.* tom. 5. Concil. pag. 387.

nes Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur. Qui quidem canon inseritur collectioni canonum Ecclesiæ Africanæ num. 46. (*) & eum approbat, commendatque Hadrianus Pontifex ad Carolum Magnum hec rescribens (*) ,, Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus mi- ,, nime in Ecclesia leguntur. Nam ab orthodoxis titula- ,, tæ, & suscipiuntur, & leguntur. Magis enim passio- ,, nes Sanctorum Martyrum sacri canones censueve- ,, runt, ut liceat eas etiam in Ecclesia legi, cum anni- ,, versarii dies eorum celebrantur ,, Eumdem morem indicat Gregorius Turonicus cap. 29. & 49. libri secundi miraculorum S. Martini, & cap. 89. libri primi miraculorum, (aliàs *de gloria Martyrum*.) Immo diu ante Gregorium Turonicum Augustinus num. 1. sermonis olim XII. de Sanctis, in nova serie 276.: estque tertius ex recitatis in festo S. Vincentii: rursus numero primo sermonis olim 45. *de diversis*, in nova serie 37. iis verbis: *dies enim est Martyrum, & ideo magis laudanda est mater Martyrum . . . . . Omnis nunc auditor, quantum ex affectu vestro satis apparet, dicit in corde suo, Ecclesia debet esse . . . . Quamquam & in recitatione passionis martyrum audivimus fœminas, de quibus decenter loquamur: Sed nec eas prætermittimus, quando earum matrem laudamus*. Etiam numero secundo sermonis olim 63. *de diversis*, nunc 51. eandem consuetudinem his verbis innuit: *Magnum spectaculum prabet oculis cordis integer animus, corpore dissipato. Hæc vos, cum in Ecclesia leguntur, libenter spectatis oculis cordis: si enim nihil spectaretis, nihil audiretis*. Multa etiam ad id quod agimus evincendum sanctus hic Doctor tradit. 1. sermonis olim 93. *de diversis*, nunc 315. & numeris secundo, & sexto sermonis olim 101. *de diversis*, nunc 273. Adde ad hæc initium ipsum sermonis olim 103. *de diversis*, in nova serie 280., aliaque, quæ adducit Ferrarius de ritu Veterum Sacrarum Concionum differens cap. 19.

(*) tom. 2. Concil. pag. 1284.

(*) in epist. ad Carol. Magn. pro Synodo Nicæ. 2. par. resp. 17. to. 8. Concil. pag. 1590.

Agit de hoc ipso more doctissimus P. le Brun, (c) quem legas volo. Sed ad ostendendum perstitisse post vetusta illa tempora tam laudabilem consuetudinem, non abs re erit & præsentem Ecclesiæ consuetudinem indicare: quæ enim extabant probata Martyrum acta, aut illa Breviario inseruit, aut certe ex iis brevem historiam texuit, quam ii saltem nossent, qui eas preces, quas Breviarium continet, recitare jubentur: quam quidem consue-

(c) tomo 2. in Missam seu Litur. diss. 3. art. 1. §. 9. pag. 97. editionis Veron. & diss. 4. art. 3. pag. 128.

suetudinem haud recentem esse fortasse innuunt, quæ jam retulimus, & manifesto ostendunt vetusta Breviaria: quibus si auctoritatem Joannis Belethi adjunges, haud improbandam auctoritatem adjunges. Hic sane cap. 62. libri illius, quem *de divinis officiis* inscripsit, hæc in rem præsentem ait: *Proinde vero libri Passionarii leguntur in ipsis diebus Martyrum. Sed horum aliqui teste Gelasio apocryphi sunt &c.*

IV. Hujus autem consuetudinis cum aliæ fortasse non paucæ extiterint causæ, tum ea sane extitit, quam his verbis describit Gregorius Turonicus: (*d*) *Homines rudes sanctos Dei, quorum agones relegunt, attentius venerantur*: Cupit autem (quod sæpe diximus) Ecclesia, ut venerationem Sanctis adhibeamus. Adeo vero eidem Ecclesiæ cordi fuit, ut Martyrum gesta nobis nota forent, ut quoniam perrara supererant omnino integra (quod tum aliis quidem veterum monumentis, tum certe ex Augustini monitis constat) (4) ea, quæ sibi nota erant, fidelibus enunciabat, præfationibus Missæ inserens gesta illustriora sancti illius, cujus festa dies agebatur. Et his quidem præfationibus refertissimi sunt ii Sacramentorum libri, qui Leoni, Gelasio, & Gregorio Magno tribuuntur: nec his sane carent vetusta Missalia Ambrosianum, & Bobiense. En fortasse origo martyrologiorum, aliorumque hujus generis librorum, de quibus mentionem facit Gregorius Magnus, (*e*) hæc elocutus. „ Nos pene omnium Martyrum „ distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno „ codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in „ eorum veneratione Missarum solemnia agimus; non „ tamen in eodem volumine quis qualiter passus sit, in„ dicatur, sed tantummodo nomen, locus, & dies pas„ sionis ponitur.

(*d*) *De gloria Martyrum* cap. 64.


(*e*) ad Eulogium Episcopum Alexandrinum lib. 7. indi. 1. epist. 29. In edit. Patrum S. Mauri lib. 8. indict. 1. epist. 29.

V. Tum vero deficientibus actis, si de eo martyre, cujus festa dies celebrabatur, sermonem adhuc volebat instituere Episcopus, orationis argumentum ex ea virtute, & constantia, quam martyr habuerit necesse est, desumebatur, excitabanturque populi ad gratias Deo agendas,

(4) *Cum aliorum martyrum vix gesta inveniamus, quæ in solemnitatibus eorum recitare possimus, hujus passio in Canonico libro est.* Sermone olim 93. de diversis, nunc 315. num. 1.

das, ad constantiam martyris celebrandam, ad imitationem denique virtutum earum, quas in martyre commendabant. Id nisi communis persuasio nos fallit, præstitisse videntur Augustinus in eo sermone, qui in nova serie 326. est, (*) & subsequentibus decem: & S. Valerianus homilia 15. & duabus subsequentibus, quæ inscribuntur *de bono martyrii*,

(*) alias 30. ex Vignerianis,



CAP.

CAP. XIV.

Convivia, quibus pauperes exsaturarentur, in Martyrum festis fuisse acta, Paulini Nolani, Nectarii (si Nectarium esse vis allegandæ homiliæ auctorem) & Gregorii Turonici testimoniis probamus. Eucharistiam quoque sumptam Paulinus Nolanus, Augustinus, & Gregorius Turonicus indicant. Etiam cantatos hymnos, & psalmos ex probabilibus aliis monumentis eruimus.

I. QUantum vero reprehendit Ecclesia immoderata illa, sumptuosaque convivia, quæ divitum luxuriam, & pravam cupidinem alerent, tantum commendavit, approbavitque illa, quibus pauperum fames saturaretur. Profecto ille idem Paulinus, qui, ut nuper vidimus, paulo alienior fuit ab iis conviviis, tam & si sacris, ad quæ non pauperes modo, verum etiam ceteri omnes admitterentur, Pammachium tamen miris afficit laudibus, quod lautum, pinguissimumque convivium in sacra æde pauperibus reficiendis instruxisset. (a)

II. Nectarius quoque (si Nectarii esse vis eam orationem, quam alibi attulimus) eos commendat, (*) qui hymnum gratiarum actionis *glorioso Martyri Theodoro exhibentes, latum, ac splendidum festum ei celebrarunt: frumentumque coquentes, & pauperibus distribuentes, fecerunt eorum salutem omnibus manifestam*.

III. Sed cur ea omitto, quæ auctor eorum commentariorum in Job, quæ olim Origeni adscribebantur, hac de consuetudine tradit? En illa (*) „ Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus convocantes fideles „ una cum Clero, invitantes adhuc egenos, & pauperes, „ pupillos, & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra „ in memoriam requiei defunctis animabus, quorum memoriam celebramus.

IV. Quin etiam ex Paulino, aliisque intelligimus, voto facto promissa fuisse hujus modi convivia, (b) & diligentissime, ac splendide a viris probis ea fuisse apparata: intelligimus quoque, Deum interdum miraculis ostendisse,

(a) Vide epistolam Paulini ad Pammachium olim 37. in nova editione 13. n. 11. & 12.

(*) Suri. 9. Novem. tom. 6. pag. 235.

(*) lib. 3. pag. 902. tom. 2. edit. Paris. 1733.

(b) Vide Carmen in Natali XII. v. 72. iterum v. 313. & sequentibus.

se, sibi acceptissima esse eadem convivia. Vades allego Paulinum, (c) & Gregorium Turonicum, (d) quos consule; quibus adde, si vis, ea, quæ idem Gregorius Turonicus libro II. *miraculorum* S. Martini cap. 23. de Vivasto narrat.

(c) Carmine XII. in S. Felicem v. 15.
(d) in libro, quem *de gloria confessorum* inscripsit cap. 5.

V. S. Eucharistiam a fidelibus in festis martyrum sumptam, edocere videtur Paulinus: nimirum hæc eloquitur. (*)

(*) natali x. S. Felicis v. 185.

Namque hodie bis eam geminata novatio comit,
Dum gemina antistes gerit illic munera Christi;
In geminos adytum venerabile dedicat usus,
Castifico socians pia Sacramenta lavacro:
Sic pariter templum novat hostia, gratia fontem.

Quod si paulo oscurior tibi videtur Paulinus, audi Augustinum hæc expressius loquentem „ (e) In eo quippe loco, „ ubi posuit carnis exuvias, sæva tunc multitudo convene„ rat, quæ propter odium Christi, sanguinem funderet „ Cypriani: ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ „ propter natalem Cypriani bibit Sanguinem Christi; & „ tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani „ Sanguis bibitur Christi, quanto devotius ibi propter „ nomen Christi sanguis fusus est Cypriani.

(e) n. secundo sermonis olim 113. *de diversis*, in nova serie 310. estque 2. in S. Cyprianum.

VI. Eucharistiæ quoque proxime ante Sanctorum festivitatem, aut ipso festivitatis die sumptæ meminit Gregorius Turonensis (f) hisce verbis: „ Igitur cum immi„ nente festivitate Pontificis Turonum advenisset, prostra„ tus coram sepulcro, & orationi incumbens, devotissime „ beati antistitis auxilium flagitavit, deportatusque iterum „ a suis, ante sanctam absidam tumuli ponitur. Cumque „ expletis Missis, populus coepisset sacrosanctum Cor„ pus Redemptoris accipere, illico dissolutis nodis, qui „ genua nexa tenebant, in pedes erigitur.

[f] libro 2. miraculorum S. Martini cap. 47.

VII. In festivitatibus Sanctorum hymni etiam, Cantica ex Scripturis desumpta, & Psalmi canebantur. Fortasse ad locum hunc spectat, quod Hieronymus num. 16. Vitæ S. Pauli Eremitæ de Antonio narrat his verbis: *Igitur obvoluto, & prolato foras corpore, hymnos quoque, & psalmos de christiana traditione decantans &c.* Sed sane quod ad psalmos attinet, certa res est, psalmos in Christianorum festivitatibus consuevisse cantari. Testatur id Augustinus enarratione 2. in Psalm. 21. num. 1. 2. 28. & 29. Si er-

ergo quoniam inter festivitates Martyrum natalitia recensebantur, in his quoque psalmi, & hymni cantabantur. Et hinc fortasse provenit, quod in Sanctorum festivitatibus D. Augustinus, aliique Patres psalmos explanarint, desumentes scilicet titulum ex psalmo nuper cantato: consuevisse enim prius cantari psalmum mox explicandum, intelligimus ex enarratione Augustini in Psalm. 86. numero ipso primo. *Psalmus, qui modo cantatus est.... cum vestra caritate tractandus, modo est propositus a beatissimo præsente Patre nostro.* Et enarrationem in Psalm. 138. sic exorditur. *Psalmum nobis brevem paraveramus, quem mandaveramus cantari a lectore: sed ad horam, quantum videtur, perturbatus, alterum pro altero legit. Maluimus nos in errore lectoris sequi voluntatem Dei, quàm nostram in nostro proposito.*

VIII. Verum cur alia perquiro, quando perspicue, indubitateque idem Augustinus indicat psalmos, & cantica ex Scripturis desumpta, aut certe versiculos horum aliquos (quid enim aliud sunt ii, quorum meminit hymni, laudesque ex Scripturis excerptæ?) fuisse in Martyrum festis cum gaudio prolatos? Quid quæso dilucidius, & in rem præsentem aptius produci poterit verbis illis numeri sexti sermonis 280. (*) En illa: *Gratulamur eis,* (Martyribus) *precantur pro nobis. Illi corpora sua tanquam vestimenta straverunt, cum pullus dominum portans in Jerusalem duceretur: nos saltem velut ramos de arboribus cædentes, de scripturis sanctis hymnos, laudesque decerpimus, quas in commune gaudium proferamus.*

(*) olim 103. de diversis.

IX. Hymnorum concentum in hisce solemnitatibus fuisse usitatum, alia quidem multa ostendunt, sed illud in primis, quod (g) de Ephrem Syro narrat Theodoretus, Valesio interprete. *Et quoniam Harmonius Bardesanis filius cantica quædam olim composuerat, & modorum suavitati impietatem admiscens, audientium animos demulcebat, & ad exitium pertrahebat; ipse modorum compositionem ab illo mutuatus, pietatem canticis permiscuit, & suavissimum simul, ac utilissimum medicamentum audientibus exhibuit. Atque hæc cantica festos Martyrum dies lætiores, ac splendidiores etiamnum efficiunt.* Idem etiam Theodoretus hymnos in Sanctorum solemnitatibus fuisse cantatos, rursus edocet, in oratione 8. quam *de Martyribus* inscripsit, Zenobio Acciajolo interprete hæc elocutus. *Neque vero ad hæc per annum semel, aut bis, aut quinquies adventamus, sed in eis sæpe numero dies festos peragimus, sæpe diebus singulis eo-*

(g) libro 4. historiæ cap. 27. editionis Christo: Valesii vero 29.

rum Martyrum Domino laudes, hymnosque cantamus. Ad quem quidem morem respexisse Paulinum versiculis illis, quos mox allegabo: *Ferte Deo pueri laudem &c.* simillimum veri est.

X. Quod si manifestius adhuc testimonium afferri vis, subministrabit illud tibi idem Paulinus (*b*) hæc inquiens....

. . . . . tunc ergo solutis
Cœtibus a templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies, sumta dape, cœpimus hymnis
Exultare Deo, & psalmis producere noctem.

Et rursus versu 499. Natalis IX.

Ingredere hæc psalmis recinens Antistes, & hymnis.

His adde si vis ea, quæ Nicolaus I. Bulgaros instruens tradit, quæque propterea hic non allego, quia mox ea adducam.

XI. Et hæc quidem satis ostendunt præclarissimis, vetustisque Patribus placuisse eum, de quo agimus morem. Monumentum tamen aliud adjungere libet, quibus efficacius refellantur ii, qui morem eum oderunt. Subministrat illud vir egregius Marchio Scipio Maffejus, cujus cum alia multa sint in bonas litteras merita, hoc nostris temporibus rarum admodum etiam habet, ut nonnulla vetustorum Patrum, quæ putabantur amissa opera in lucem eduxerit. Sermonem nempe quem S. Petronius Veronensis Episcopus in translatione S. Zenonis, ideoque festa illius die ad populum habuit, idem præclarissimus Maffejus edidit, in quo quod ad rem nostram attinet hæc valde apta occurrunt (*),, Nunc vero honoremus Ecclesiam Dei sermo-,, nis officio, vocalibus cantilenis &c.,, Quid enim vocales cantilenæ esse poterant nisi hymni, & psalmi, quos populus in ea solemnitate caneret?

XII. At sane omittendum non est, inter Ambrosii hymnos illum ipsum extare, quo nunc etiam, sed dispertito, in Apostolorum, & Martyrum solemniis Ecclesia utitur, incipitque ad hunc modum *Æterna Christi munera.* Novimus autem ex Ambrosio (*i*) ex Paulino in vita S. Ambrosii (*) & ex Augustino (*k*) multo cum Mediolanensium emolumento Ambrosii hymnos fuisse cantatos. Simillimum quoque veri est Prudentii hymnos ab eo fuisse compositos, ut canerentur in eorum Martyrum solemniis, in quorum honorem compositi sunt, & excitaretur populus ad sanctam hilaritatem, ad gratias agendas Deo, ad Martyrum imitationem, & laudes, denique ad preces, & obsequia erga eosdem Martyres; has quippe ob causas spiritualia cantica, psalmi, & hymni

(*b*) natali 7. in S. Felicem poemate 23. v. 114.

(*) Animadvers. littera. (osservazioni Letterarie) tom. VI. pag. 232.

(*) n. 13.

(*i*) Serm. de Basilicis n. 34.

(*k*) 9. Confess. cap. 7. alias n. 15.

mni in festis Martyrum canuntur; quamquam etiam ajunt multi propterea etiam hæc cani, quia id Martyribus ipsis valde acceptum est, & his quoque cantibus una fit Deo acceptissima triumphantis, & militantis Ecclesiæ jubilatio & laus.

CAP. XV.

Ea enumerantur, quæ diebus Martyrum festis fieri permisit Ecclesia. Ad hoc genus pertinent castæ quædam a pueris actæ choreæ: moderata convivia: templorum ornatus: unguenti, & balsami in templis effusio: concentus musici: munera, & epistolæ ad amicos missæ: denique vestitus ornatior, atque elegantior.

I. At ad ea tandem progrediendum est, quæ fieri permisit Ecclesia. Quoniam vero festivitates omnes, ideoque etiam Martyrum solemnitates magna cum hilaritate, & lætitia celebrabantur a Christianis; multa illi invenere, quibus suam hilaritatem proderent. En cur castas quasdam puerorum choreas permisit, (quod quidem ex versiculo 109 natalis III. S. Fælicis mox allegando constat) imitantium scilicet Davidem, qui ad testificandam eam, qua sancte agebatur, hilaritatem, coram arca saltabat, atque ludebat: (*a*), quem quidem morem ab Italis neglectum, nunc etiam, si vera sunt quæ audivi, servat Hispania. En cur convivia appararent, quæ si sine luxu instructa, & divinis laudibus sint condita, nunquam reprehensa sunt ab Ecclesia: immo visa etiam illa est approbasse, dum ea fieri primum permisit Sanctissimus Episcopus Gregorius Neocæsariensis (*b*), tum celebravere in hisce festivitatibus Alexander Alexandriæ Episcopus prædecessor Athanasii, aliique Sanctissimi Viri. (*c*) Quem quidem morem approbavit Chrysostomus (*) arbitratus *nempe martyrem e propinquo spectatum .... minime sinere, ut voluptas in peccatum effundatur, sed tamquam pedagogum, aut patrem optimum oculis fidei conspectum risum comprimere &c.* approbavit quoque Theodoretus (*d*) dum hæc ait ,, Petro, Paulo, Thomæ, Ser-,, gio, Marcello, & Leontio ...... aliisque Sanctis ,, Martyribus solemnia populari epulo peraguntur: pro-,, que illa veteri pompa, pro turpi obscænitate, atque ,, im-

(*a*) 2 Reg. 6. v. 5, & 16. & 1 Para. 13. 8. & rursus 15. 20.

(*b*) Id narrat Gregorius Nissenus in vita S. Gregorii Thaumaturgi.

(*c*) Attulimus cap. 2. n. 7. hujusce dissertationis Sozomeni & Rufini testimonia id attestantia.

(*) hom. in S. Julianum tom. 2. pag. 671. ad hæc verba respondent pag. 678.

(*d*) De Curandis Græcorum affectionibus oratio: 8.

„ impudentia fiunt modestæ, castæ, ac temperantia plenæ „ festivitates, non illæ quidem ad ebrietatem usque produ- „ ctæ, neque commessantium lascivia, & cachinnis dissolu- „ tæ, sed divinis canticis personantes, sacrisque sermonibus „ audiendis intentæ, in quibus ad Deum preces non sine san- „ ctis lacrymis, ac suspiriis summittuntur „ Quid quod haud fortasse parca non tamen immoderata convivia in Sanctorum festivitatibus fieri palam permisit Gregorius Magnus, in ea epistola quam scripsit Mellito abbati? (*e*) Quod si Gregorio Turonico habemus fidem, non defuere miracula, quibus constaret Deo minime invisas esse copiosiores dapes diebus festis sumptas. Vide quæ narrat ille capite 16. libri II. miraculorum S. Martini & capite tertio libri quem de *Vitis Patrum* scripsit: in quo quidem capite agitur de Sancto Abraham Abbate. His adiunge, si vis, ea quæ narrat Rufinus lib. 2. de Vitis Patrum capite septimo (*f*) & Sulpitius Severus Dialogo 3. n. 13. Nimirum ex horum primo disces tantam exquisitarum epularum copiam divinitus fuisse missam ad anachoretas, quibus post asperrima jejunia non aliud supererat, quod in die Paschæ comederent, nisi panes aridi, herbæque sale conditæ; *ut usque ad diem Pentecostes, quotidie ministrata sufficerent, certi quod hæc sibi a Deo solemnitatis gratia missa sint*. Ex altero vero, idest Sulpitio Severo intelligimus, *ad primum jactum reti permodico immanem Escem fuisse captum*, quo scilicet veluti lautiori dape S. Martinus die Paschatis recrearetur.

(*e*) lib. 9. epist. 71. in editio. S. Mauri lib. xi. epist. 76.

(*f*) in Apollonio.

Atque his quidem, nisi copiosi esse volumus, facile contenti erimus. Tamen si alios hujus consuetudinis testes produci optas, obsequor libens, & primum profero Paulinum cap. 38. vitæ S. Ambrosii: quippe narrat Ambrosium Sanctissimum Mediolanensium Episcopum, quique reliquis diebus jejunio *corpus suum macerabat* prandere consuevisse *die Sabbati, & Dominico, vel cum natalitia celeberrimorum Martyrum essent*; tum rursus allego Theodoretum, qui (*) de Juventino, & Maximiano impio Juliano imperante martyrii palmam consecutis, hæc eloquitur. *Istos Antiochia venerata .... ad hodiernum usque diem quotannis festo, & epulo publico eos honorifice celebrat*. Vide pag. 246. Analectorum Græcorum Muratorii.

(*) lib. 3. histo. cap. 14. at in Vale. edit. 15.

II. Quod si minus antiqua (non despicienda illa tamen) monumenta afferri sinis, omissis reliquis, ea statim proferam, quæ Ordines Romani a Mabillonio evulga-

gati præbent. Horum primus in die Paschatis & reliquis hebdomadæ illius diebus, qui antiquitus solemnes, & festivi erant, hæc habet. (*) *Deinde descendunt primates Ecclesiæ ad accubita, invitante notario Vicedomno, & bibunt ter, de Græco semel, de Pactis semel, de Procoma semel. Postquam biberint omnes presbyteri, & omnes diaconi, seu subdiaconi; vel omnes acolythi per singulos titulos, redeunt ad faciendos Vesperos, & bibent de dato presbyteri. Hæc ratio per totam hebdomadam servabitur usque in Dominicam in Albis.* Et ne a Sanctorum festivitatibus discedam, ordo Romanus XI. hæc de convivio in die S. Stephani celebrando tradit. (*) *Qua finita (Missa) rediens ad palatium coronatus, acceptis laudibus a Cardinalibus & Judicibus, & dato presbyterio, sive manibus, & convivio celebrato, sicut supra scriptum est, sic omnes recedunt.*

(*) to. 2. musei italici pag. 38.

(*) pag. 130.

Digna sunt quoque quæ referantur ea quæ de convivio in die S. Andreæ solemniter celebrando occurrunt: quæ quidem describere hic libet: (*) *Mane canitur Missa super altare Beati Andreæ, ut omnis populus cum benedictione lætus recedat. Præfectus cum adjutorio decimæ illuminat Ecclesiam, & facit prandium curiæ.* Et hæc quidem eo de more satis sint dicta: plura de eo intelligere si cupis, ea consule, quæ vir præstantissimus, & de omni litterarum genere praeclare meritus Muratorius multa cum laude disseruit in ea disquisitione, quam de *Agapis sublatis* inscripsit; (g) quo etiam in argumento præclare licet paucis se se exercuerunt optimi fratres Ballerinii. (h) At ad alia sermonem convertamus.

(*) pag. 153.

III. Templa sane, & Sanctorum tumuli diebus festis eorum ornabantur. At hunc morem inter eos, quos Ecclesia approbat, recenseri alii volunt, non inter eos, quos tantum permittit. Utcunque se habeat res, eam consuetudinem haud obscure indicat Paulinus primum quidem Natali 3. (i) iis versibus:

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis.
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
* * * * * * * * * * *
Ferte Deo pueri laudem, pia solvite vota,
Et pariter castis date carmina festa choreis.
Spargite flore solum, prætexite limina sertis;

Pur-

(g) Extat ea pag. 241. voluminis illius, quod *Anecdota græca* appellavit Patavii typis Seminarii 1709.

(h) adnotat. 18. in tractatum 15. libri primi S. Zenonis Veronensis.

(i) v. 98. & sequentis.

Purpureum ver spiret hyems, sit floreus annus
Ante diem, sancto cedat natura diei:
Martyris ad tumulum debes & terra coronas.

tum rursus natali sexto (k) hæc elocutus.

Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
Officii sumtu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.
Hi leves titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.
Ast alii pictis accendant lumina ceris,
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent;
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.
Martyris hi tumulum studeant perfundere nardo,
Et medicata pio referant unguenta sepulchro.

An vero non his consentiunt ea, quæ idem Paulinus tradit Natali XI. v. 397. & sequentibus? quibus quidem in locis etiam innuit morem, cujus meminere Eusebius, & Prudentius v. 195. & subsequentibus hymni tertii libri peristephanon, & alii veteres: scilicet ut in festivitatibus multo major, quàm diebus reliquis, cereorum numerus accenderetur, qua de re commodius alibi agemus. At ornata templa in festivitatibus omnibus monet D. Leo (l) hæc elocutus: „ Si enim rationabile, & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem „ mentis ostendere; si ipsam quoque orationis domum „ propensiore tunc cura, & ampliore cultu, quantum „ possumus, adornamus: nonne dignum est, ut anima „ christiana; quæ verum, vivumque Dei templum est, „ speciem suam prudenter exornet; & redemptionis suæ „ celebratura Sacramentum, omni circumspectione præ„ caveat, ne ulla eam macula iniquitatis obfuscet, aut „ duplicis cordis ruga dedecoret? „ Nimirum cum hæc quoddam non leve letitiæ argumentum forent; consuevissent vero Christiani magno cum splendore, atque hilaritate festos dies agere, adeo ut Augustinus (m) *dies solemnissimos* Martyrum festivitates appellet; mirum non est, si ut hilaritatem, & lætitiam suam proderent, templa, & martyrum tumulos sumptuosius ornarent. Et sane hilaritatis ostendendæ causa, templa olim Fideles ador-

(k) v. 19.

(l) in serm. 3. de Quadragesima in serie Quesnelii 40. n. 1.

(m) in serm. olim 30. ex Sirmondianis, in nova serie 315. n. 1.

dornasse, tum Leo nuper citatus, tum Gregorius Turonicus libro secundo historiæ Francorum cap. 29. & 31., aliique nos edocent; quibus quidem adjunge si vis ea, quæ Rationale *Divinorum Officiorum* a Durando compositum, & Ordo Romanus XI. & XII. (*) hac de consuetudine adnotant.

(*) Muse. Itali. to. 2. pag. 159. & 218.

IV. Quamvis vero unguenta, & balsama; quorum meminit Paulinus versibus nuper allegatis Natalis 6. & Prudentius in libro peristefanon hymno X. in S. Hippolitum v. 193.

Balsama diffundunt, fletibus ora rigant.

non satis ab omnibus approbarentur; qui ad animum tamen offerentium respiciebant, non improbabant: ut enim obsequium, ac venerationem proderent suam, hujus modi dona offerebant, quæ sane Dominus ipse, dum viveret, non recusavit; & ignoscendum est illis, si quid ob imperitiam peccant: Etenim & ignoscendum putavit Paulinus rusticis iis, qui epulo Martyres honorari arbitrabantur.

. . . . . ignoscenda tamen puto talia, parvis
Gaudia quæ ducunt epulis: quia mentibus error
Irrepit rudibus, nec tantæ conscia culpæ
Simplicitas pietate cadit &c. (*)

(*) Natal. IX. v. 263.

Durandus porro in libro 1. Rationalis Divinorum Officiorum alias non contemnendas affert causas, cur templa ornentur. Audite illum (*n*) hæc edocentem: „ In præcipuis festivitatibus thesauri Ecclesiæ in publicum eduntur propter tria. Primo propter considerationem cautelæ, ut videlicet appareat, quàm cautus fuerit in servando, qui illum servare tenetur. Secundo propter solemnitatis venerationem. Tertio propter oblationes in memoriam illorum, qui prius ea Ecclesiæ obtulerunt. Quod autem Ecclesia intus, & non extra festive ornatur, mysterialiter innuit, quod omnis gloria ejus ab intus est.

(*n*) in titulo de *Picturis, Cortinis, & ornamentis Ecclesiæ.*

V. Concentus musicos, quibus divinæ laudes, & Sanctorum præconia concinuntur, recense inter ea, quæ Ecclesia in diebus festis fieri finit. Neque enim, quod ajunt aliqui, eos vetat Ecclesia, quæ novit allici hoc modo ad templa Fideles, abducique ab iis voluptatibus,

qui-

quibus fas non est oblectari: nos jubet tantum, dum ad templa a musicis concentibus allecti accurrimus, in templis orare, aliaque pia opera non omittere, cujus rei causa instituta sunt festa. Quod si oblectationem ex musicis concentibus capimus, id sinit Ecclesia: immo gaudet, quod modum invenerit, quo Fidelium suorum pietatem alat, & honestissima eorum animos compleat voluptate.

VI. Ad hoc ipsum caput refer liberalitatem quandam, quæ si olim in Christianis haud rara eluxit, festivitatum tempore præsertim eluxit. Quisque pro viribus munera largiebatur; si divites erant, atque amplis opibus, munificentiora: si pauperes, tenuia munuscula ad amicos mittebant. De Constantino Magno hæc narrat Eusebius: (o) „ Simul ac dies Paschæ illuxerat, Servatoris nostri munificentiam imitari studens, universis gentibus, provinciis, ac populis largam manum porrigebat, opulentissima donans omnibus munera. „ Contra tenuia munuscula, uti nuper dixi, a pauperibus ad amicos mittebantur. Hac super re elegantem habemus, & ingeniosam S. Hieronymi Epistolam ad Eustochium, (p) ex qua quidem multa describere præsentis temporis non est. Indicat quoque fortasse eundem morem Laodicena prima Synodus canone 37. sed certe Basilius, (q) aliique veteres illius meminere.

VII. Affinia munusculis dona sunt epistolæ, in quibus amicis precamur fausta. At hujusce generis epistolas festivitatum tempore ad amicos missas, novimus ex Theodoreti, aliorumque etiam epistolis.

VIII. Ad hoc denique caput revoca antiquam Christianorum consuetudinem, qui ut hilaritatem suam, & lætitiam diebus festis ostenderent, elegantioribus vestibus se se induebant. Id testatur Leo Magnus, cujus nuper verba produximus, quæque hic repetere, si vis, poteris. His ea adde, quæ ad rem præsentem narrat Rufinus: (r) nempe Josephum quendam sanctissimum Anachoretam dono misisse *alia vestimenta meliora, quibus solebat uti die festo;* notumque est, S. Antonium in quoddam hilaritatis, lætitiæque sacræ argumentum, tunicam Pauli, quam in sportæ modum ex Palmæ foliis ille sibi contexuerat, secum abstulisse, & diebus solemnibus Paschæ, & Pentecostes, quoad vixit, fuisse usum. (s)

(o) lib. 4. vitæ Constantini cap. 22.

(p) erat olim 19. at in Veronensi editione 31. est.

(q) in epist. olim 403. in edit. Patrum S. Mauri 232.

(r) lib. 3. de vitis Patrum cap. 47.

(s) Vide n. 16. vitæ D. Pauli primi Eremitæ a S. Hieronymo conscriptæ.

Secu-

Seculo Ecclesiæ XII. id observasse Fideles manifestum faciunt verba illa Joannis Beleth, qui eum morem approbat, quæ quidem verba mire ad rem nostram facientia hic recensere operæ pretium erit: (t) *Est autem iste dies* (Paschatis) *omni alia solemnitate solemnior, exceptis tamen solemnitatibus Trinitatis, usque adeo, ut qui possint, solemnes vestes induere debeant non secus, atque in aliis solemnitatibus.*

(t) cap.95. pag.215.



CAP. XVI.

Vindicantur ab objectis ea, quæ superiori capite diximus.

I. ADversus ea, quæ antecedenti capite tradita sunt, pauca quædam objici possunt, quæ peculiarem operam, atque animadversionem efflagitant. Quoniam vero si singula in totidem capita distribuerem, minutior æquo capitum divisio fieret, universa uno complectar capite, ab iis exorsus, quæ objiciunt ii, quibus displicet, in numero eorum, quæ permittit Ecclesia, nos posuisse convivia. Nempe monent, hæc constanter ab Ecclesia fuisse interdicta. Animum scilicet, inquiunt, non ventrem pasci in festis ea vult: neque ullo permisit tempore id, quod otium, segnitiemque, discordias quoque, & jurgia fovet. Templa quoque ornari non sinit. Intelligit nempe, ab his abduci homines a pietate, & a precibus Deo fundendis. Dum scilicet ad elegantiam, & magnificum apparatum adhibent animum, eum ad Deum non efferunt. Quid quod moderationi Christianæ ab omni pompa, atque ostentatione abhorrenti illud magnificentiæ genus odiosum fuit, atque injucundum, quod divitum oculos oblectat, pauperibus non prodest. Porro id agimus, cum templa, Sanctorum festis, ad omnem hilaritatem, & magnificentiam ornamus, pauperes non vestimus, neque animam nostram virtutibus honestamus. Audiant qui templa, viasque in Sanctorum festivitatibus adornant, & interea vera animæ ornamenta non curant, quibus eos verbis compellat Chrysostomus: (a) ,, Quod igitur tum fecistis, forum coro- ,, nantes, & lucernas accendentes, & lectos ante offici- ,, nas componentes, & tamquam nuper civitate nata, ,, festum agentes, hoc aliter per omne facite tempus, ,, non floribus, sed virtute vos coronantes, lumen per ,, opera in anima vestra accendentes, spirituali gauden- ,, tes lætitia, & Deo assidue pro his omnibus gratias age- ,, re non desinamus.

II. Eadem fuit Nazianzeni sententia, quam quidem Oratione 38. perspicue exprimit, (b) hæc elocutus. ,, Quo circa non ut in publicis festis fieri solet, sed di- ,, vine, non mundane, sed supra mundane, non nostra, ,, sed nostri, vel, rectius loquar Domini: non quæ in-

,, fir-

(a) homilia xxi. ad populum Antiochenum n. 4. idest postremo.

(b) tom. 1. pag. 614.

„ firmitatis sunt, sed quæ curationis: non quæ creationis, sed quæ recreationis, celebremus. Id autem qua ratione consequemur? Nempe si nec domus vestibula coronis cingamus, nec choros agitemus, nec vicos ornemus, nec oculum pascamus, nec aurem cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deliniamus, nec gustui lenocinemur.„ Et rursus in Oratione 4. (c) „ Ac primum quidem, Fratres, festum celebremus, non corporis nitore, non vestitus mutatione, ac magnificentia, non comessationibus, & ebrietatibus, quarum fructum cubilia, & impudicitias esse didicistis: nec floribus vicos cingamus, nec unguentorum turpitudine mensas, & vestibula ornemus: nec visibili lumine splendescant domus, nec tibicinum cantu, plausibusque personent: hoc enim more Gentiles novæ Lunæ festum celebrant. At nos ne committamus, ut ad hunc modum Deum honoremus, ac præsens tempus iis rebus, quæ minime decent, extollamus: verum animi puritate, & mentis hilaritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est, divinis contemplationibus, & cogitationibus, quæ super sanctum candelabrum excitentur, atque universum terrarum orbem luce perfundant.

(c) quæ est invectiva secunda contra Julianum pag. 129.

III. Porro verba illa Nazianzeni: *Nec aurem cantu mulceamus*, plane ostendunt, Ecclesiam non permisisse fidelibus, ut cantu diebus festis aures suas demulcerent; ideoque falli eos, qui putant concentus quosdam a christiana pietate alienissimos, quos in templa quorumdam mollities intulit, illi non displicere. Ex iisdem Nazianzeni verbis intelligimus etiam, ab Ecclesia eorum consuetudinem non approbari, qui elegantioribus vestibus diebus festis induuntur: *Fratres, festum celebremus, non corporis nitore, non vestitus mutatione, ac magnificentia &c.* Munuscula vero, & epistolas fausta deprecantes neque approbavit, neque approbare illa potest, ut pote veterum superstitionum (sicut & priora illa) invisas, odiosasque reliquias; Hactenus adversarii. Nos ad eorum dicta respondeamus.

IV. Ais Ecclesiam odio habere, atque adeo jugiter habuisse convivia tam & si moderata diebus festis, ideoque in Martyrum solemnitatibus celebrata. Id si ita est, dic amabo, cur ii quos attuli laudatissimi Patres eadem convivia agi permiserunt? Age etiam, dic, cur Ecclesia ipsa abstinentiam solvit sextæ feriæ, aut Sabbathi, si in hos inci-

incidat dies festivus natalis Domini, sinitque Christianos ea die carnibus vesci? Age denique dic, cur antiquitus eandem abstinentiam solvebat nonnullis celebrioribus Sanctorum solemnitatibus. Dubitas, num vera eloquar? Audi quæ Optimus Nicolaus I. Romanus Pontifex Bulgaros instruens hoc de argumento scripsit (*) „ Sexta vero feria passionem dominicam, & Apostolorum mæstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis, & pinguedine gustus noster arcendus est, præter si nativitas domini, & Epiphaniorum ejus, aut festivitas beatæ Matris Domini, & intemeratæ Virginis Mariæ, seu Apostolorum principum Petri, & Pauli, atque Sancti Joannis Baptistæ, ceu beati Joannis Evangelistæ, nec non & clavigeri cæli germani, Andreæ scilicet Apostoli, quin & beati Stephani protomartyris ipso die fortassis evenire contigerit. Nam quod Sancta Ecclesia, ut fidelis anima in festivitate eorum jejunia, vel abstinentias, quæ non sunt perpetuo voto proposita, solvere debeat, Dominus testatur in Evangelio, dicens. (*) *Mulier cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Mulierem dicit Sanctam Ecclesiam. Sicut enim mulier nato in in hunc mundum homine lætatur, ita Ecclesia in vitam futuram fidelium populo migrante digna exultatione repletur .... Quod si de ejus nativitate lætatur, non jejuniis, non abstinentiis, non denique ullis debet ipso vacare die mæroribus. „

(*) responf. seu cap. 5. tom. 9. Concil. pag. 1538.

(*) Joan. 16.

V. Vides itaque convivia, si moderata illa sint, neque christianæ pietati, neque voluntati Ecclesiæ adversari: idque sanctissimorum virorum exemplis, Ecclesiasticis decretis, & frequenti experientia declarari. Propterea vero ab Ecclesia permissa ea esse puto, quia in eorum numero moderata convivia sunt, quibus christiana etiam hilaritas, & lætitia fovetur. Vult autem Ecclesia, (quod sæpe diximus, & vetustissimis etiam edictionibus significatur) (*d*) cum hilaritate, & lætitia festa agi. Non absimilem sane ob causam lib. 2. Esdræ (*e*) invitatos novimus populos ad convivia die festo celebranda. *Comedite pinguia, & bibite mulsum*, (inquiebant Nehemias, Esdras, & Levitæ universo populo) *& mittite partes his, qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Et re vera *abiit omnis*

(*d*) Vide li. 7. Const. Apostoli. capite 37.
(*e*) cap. 8. v. 10. & 12.

po-

populus, ut comederet, & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam. Aliam etiam ob causam convivia moderata permittit Ecclesia, ut scilicet populi, quos diei proxime præcedentis jejunium, sæpe etiam longum iter afflixerat, lautiori dape recreentur. Videmus similiter, Ecclesiam piissimam matrem paschali tempore jejunii legem omnino tollere, ut quoniam longa esuries, & asperiora jejunia fideles suos extenuarunt, vires reparare hi possint paschalibus epulis: & tempore ipso Judaicæ legis, postquam populus diu precatus fuerat Dominum; non injucundo convivio reficiebatur. Hoc modo (*f*) *cum complesset* (David) *offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. Et partitus est universæ multitudini Israel tam viro, quam mulieri singulis collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo: & abiit omnis populus, unusquisque in domum suam.* Quid? nonne etiam in libro Judith hæc extant? (*) *Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto jejunio refecerunt* Achior. Tamen optat Ecclesia, ut ita fideles in conviviis reparent vires, ut eas non opprimant; possitque ab iis obtinere, quod obtinuit Synagoga a Bethuliæ civibus; ut scilicet adhuc post convivium *per totam noctem intra Ecclesiam orantes peterent auxilium a Domino.* (*g*)

(*f*) 2 Reg. cap. 6. v. 18.

(*) cap. 6. v. 20.

(*g*) cap. 6. v. 21.

VI. Immerito porro dicis templorum apparatus ab Ecclesia improbari. Immo potius approbat, si magnificentia cum pietate jungatur, & discant populi ab exteriori ornatu, quo oblectantur, animam præstantius Dei templum virtutibus instruere. Id si neglexerint, Deus, & Ecclesia templorum magnificentiam minus probabunt, & fortasse id audiemus a Domino, quod olim Synagoga audiit. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum* (*h*). Debent itaque Christiani multo majorem curam impendere in virtutibus acquirendis, quàm in ornandis templis. At dum ad virtutes contendunt, etiam templa ornare cum laude poterunt. Nonne magnificentia, & elegantia apparatus allicit ad templa populos, eosque avertit a mundanis, levissimisque spectaculis, pauperes pascit, dum eorum opera utitur in hujus modi ornatu, divitum liberalitatem exercet, dum suas opes divino consecrant cultui?

(*h*) Malach. 2. 3.

VII. Sed Sanctis Patribus id, inquis, displicet. At quibus? Chrysostomo nimirum, & Nazianzeno. Verum enim vero nisi male percepi Chrysostomi sensa, procul dubio Chryso-

ſoſtomus non condemnavit apparatus & pompam viarum, ſed optavit, ut Cives Antiocheni ab Urbis excidio divina beneficentia nuper ſervati, magis ad agendas Deo gratias, quàm ad vias ornandas incumberent. Nolo tamen hac de re mihi ſuccenſeas. Fateor, ſi vis, a Chryſoſtomo condemnari apparatum, & pompam viarum: propterea vero reprehenſa hæc dicam, quia cum dignitate, & majeſtate chriſtiana, ea de qua tunc agit pompa, non conveniebat, aut quia dum ad hæc unice fideles incumbebant, animam virtutibus excolere negligebant.

VIII. Cur vero Nazianzenum etiam objicis, quando quidem manifeſto liquet immoderatam, vel futilem, levemque, aut potius ſimillimam Gentilium ſpectaculis, & luſibus pompam ab eo reprehendi? quamquam ad ejus verba ſi diligentius advertis, non templorum, ſed viarum apparatum tantum modo reprehenſum intelliges, ſi tamen reprehenditur: nam is tantum modo viarum apparatus reprehendi poſſe videtur, qui a pietate chriſtiana alieniſſimus eſt. An non id apertiſſime tradit Helias Cretenſis in Commentariis ad allegata Nazianzeni verba? (i) Jam ad alia me verto.

IX. Non eſt profecto, quod quis nobis obtrudat, a Patribus, atque ab Eccleſia concentus muſicos fuiſſe condemnatos, quos quidem manifeſto conſtat ab ea fuiſſe approbatos. Quod ſi interdum damnavit Eccleſia, eos damnavit, qui cum decore, & pietate chriſtiana pugnant, & theatro, non templo conveniunt. Hujus generis fuiſſe arbitror concentus illos, quos in ſacras vigilias quorundam mollitudo invexerat, quoſque merito expulſos tradit Auguſtinus. (k) Ceterum pios, devotoſque concentus nunquam damnat Eccleſia, ſed approbat. Nonne hæc jam dudum protulit ille idem D. Gregorius Nazianzenus, cujus verba adverſus nos objecerunt? (l) *Hymnos pro tympanis aſſumamus, pſalmodiam pro fœdis modulationibus & cantibus, plauſum grati animi indicem, & canoram manuum actionem pro theatricis plauſibus*. Quidquod interdum hoſce concentus videtur juſſiſſe eadem Eccleſia, aut certe inſinuaſſe? Sic Nicolaus I. „ (m) ſciendum eſt, quoniam idcirco in diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, ut liberius ad Eccleſiam ire, pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus inſiſtere . . . . valeat Chriſtianus &c. Et manifeſtius Canon 15. Concilii Enhamenſis (n) anno 1009. in Anglia celebrati. *Genitricis namque Domini noſtri, almæ videlicet Mariæ, feſta ſolemnia, primo cum jeju-*

(i) n. 7. tom. 2. pag. 986.

(k) enarratione ſecunda in Pſalmum 32. n. 5.

(l) oratione quarta non longe ab orationis fine pag. 130.

(m) in reſponſis ad conſulta Bulgarorum capite, ſeu reſp. XI. Concil. tom. 9. pag. 1540.

(n) tom. 11. Concil. pag. 1072.

ju-

juniis, *& postea cum suavisona melodiarum cantilena*, *honorifice ab omnibus celebrentur solemniter*. *Festa quoque Apostolorum cunctorum similiter cum jejuniis*, *concentibusque spiritualibus summopere colenda sunt*. An ut æmuletur Ecclesia Davidis, aliorumque piissimorum virorum pietatem, qui in tympano, & choro laudabant Dominum? An ut imitetur Angelorum concentus, & ea cantica, quibus in cælis divinæ laudes concinuntur? (o) Sed ad utrumque, nisi fallimur, illa respexit.

(o) Vide Apoca. cap. 5. v. 8. & 9. iterum 14. v. 3. denique 15. v. 3.

X. Cum Nazianzenus vestium nitorem, majoremque elegantiam diebus festis quæsitam videtur reprehendere, aut de iis loquitur, qui exteriorem tantum cultum, & vestium splendorem requirebant, animam vero virtutibus ornare minime studebant, aut (quod aliis placet) S. Doctoris verba illo explicanda sunt modo, quo Scripturas quasdam comparationem verbis absolutis indicantes interpretamur, veluti illud: (*) *non est grandis culpa*, *cum quis furatus fuerit*, ideſt longe minor est, quàm adulterium, de quo mox sermo est. Illud quoque (*) *holocaustis non delectaberis*: ideſt minus delectaberis, quàm delecteris corde contrito, & humiliato. Quis porro in dubium vertat, num præstet animam virtutibus, quàm templa velis ornare? at dum primum agimus, quod laudabilius fateor, alterum etiam agere possumus, laudabile illud quoque.

(*) Prov. 6. 30.


(*) psal. 50. v. 18.

XI. Unum adversariis restare video ex eo desumptum, quod hæ consuetudines ab Ethnicis desumptæ sint. Hoc quidem de argumento alibi copiose agam: hic quasi in antecessum paucis dicam, ab Hebræis fortasse desumpta esse illa. Et sane ex sacris Machabæorum libris discimus, (p) *festum dedicationis templi fuisse actum in canticis*, *& citharis*, *& cyniris*, *& in cymbalis . . . . oblata fuisse holocausta cum lætitia*: *ornatam fuisse faciem templi coronis aureis*, *& scutulis*: *dedicatas portas*, *& pastophoria*, *& impositas eis januas*. At vide quàm liberaliter tecum agam. Fateor, si tu vis, ab Ethnicis desumpta esse illa. An propterea illaudabilia? Minime vero. An nescis (quod jam pridem advertit Hieronymus ad Magnum scribens) (*) in *Moyse ipso*, *& Prophetis quædam assumpta esse de Gentilium libris*? multosque veterum ritus excepisse Ecclesiam, ut eos santificaret? Superstitio itaque tantum modo ab Ethnicis desumi nequit, & quidquid superstitioni affine est, aut ab ea derivatum. Si quid rectum per se est, tam & si illud ab Ethnicis desumpserimus, rectum erit adhuc, & pro-

(p) Vide librum 1. cap. 4. v. 54. & sub.

(*) epist. olim 84. nunc 70. n. 2.

probum. Concludamus igitur nec reprehensas re vera fuisse a veteribus magistris nostris, nec reprehendi posse consuetudines nostras, undecumque provenerint, quando probæ illæ sunt; ideoque reprehendi non posse morem, quem nunc etiam servamus, quum templa ornamus, quum munuscula, & epistolas fausta precantes diebus solemnioribus ad amicos mittimus: aliàs caritatis & comitatis officia non pauca adhibere prohiberemur, quòd ea apud Ethnicos in more posita fuerint.



CAP.

CAP. XVII.

Finis festivitatum in Sanctorum honorem institutarum.

I. TAm & si ritus nostros omnes oderint Protestantes, & improbent, fereque moneant, temere, & inconsulto, sæpe etiam improbe a nobis cuncta agi, festorum tamen in Sanctorum honorem institutorum celebratio iis præsertim displicet, monentque, in ea potissimum re desipere Pontificios, & in superstitionem incidere. At si quis ritus, quos in iisdem festis observare consuevimus, & fines sanctissimos, quos sibi tum proponit Ecclesia, paulo attentius inspexerit, apertissime percipiet multum errare eos, qui hæc effutiunt. Siquidem & præclarissimos ob fines Sanctorum festa a nobis aguntur, & ea, quæ in his agi Ecclesia a nobis vult, rectissime agi vult.

II. Ut nihil hic interea de ritibus dicam, & a fine festivitatibus hisce proposito exordiar, sane tum communem festivitatibus omnibus, tum etiam peculiarem, suumque finem, & scopum habent Sanctorum festivitates. Communis festivitatibus omnibus is est, quem constitutiones, quas *Apostolicas* appellant, lib. 7. cap. 37. his verbis proponunt. „ Domine Deus „ omnipotens, tu mundum per Christum fabricatus es, „ & sabbatum hujus fabricationis memoriæ dedicasti, „ quia in eo ab operibus faciendis requiescere fecisti, ad „ leges tuas meditandas: item festos dies ad capiendam „ animis nostris lætitiam constituisti, ut in mentem ve„ niret sapientiæ a te conditæ, quemadmodum nostra „ causa, quod ortum est ex muliere, in se subsistere fecit. „ Ex quibus quidem verbis intelligimus, ad recolendam memoriam divinorum beneficiorum, ad cultum Deo præstandum, ad solatium denique nostrum festivitates esse institutas. Sed cur aliud omittis emolumentum, ad quod judice Isidoro respexit Ecclesia, dum dominicæ diei, alia etiam tum Domini Jesu, tum Virginis Deiparæ, tum Angelorum, & Cælitum reliquorum varia festa celebrari præcepit? Id vero iisdem ipsis exprimam verbis, quibus expressit idem Isidorus: (*a*) „ Omnes autem festivi„ tates pro varietate religionum, diversaque in honorem „ martyrum tempora ideo a viris prudentibus instituta „ sunt, ne forte rara congregatio populi fidem minueret

(*a*) lib. 1. de Officiis cap. 35. sub titulo de Fe[illegible]eniis.

„ ret in Christo. Propterea ergo dies aliqui constituti „ sunt, ut in unum omnes pariter convenirent, ut & „ conspectu mutuo, & fides crescat, & lætitia major „ oriatur.

III. Festivitates vero in Sanctorum honorem peculiariter sunt institutæ, ut Deo gloria detur & laudes, tum ob victoriam de tyrannis, de Dæmone, & vitiis, Christi gratia, & virtute relatam: tum ob ea sanctissima exempla, quæ admiramur in sancto illo, cujus agimus festivitatem. Secundo, ut sancti illius, cujus festivitatem agimus, memoriam honoremus, laudes celebremus, cultum promoveamus, vicemque rependamus Sanctis ob eam lætitiam, qua illi, dum a peccatis ad Deum convertimur, afficiuntur. Tertio, ut sicut nos honore, cultuque prosequimur Sanctos, ita nos illi patrocinio atque interventu suo protegant, foveantque: & hoc modo nexus, & communio, quæ triumphantem inter, & militantem Ecclesiam adest, emineat, & augeatur. Denique ut per Sanctorum exempla, & virtutes, quas recolimus, veneramurque, ad eorum imitationem accendamur.

IV. Num negabis gloriam, laudesque Deo tribui in festis martyrum ob victoriam de Tyranno, Dæmone & vitiis Christi gratia, & virtute ab eisdem martyribus relatam, quum id manifesto exprimat liber Sacramentorum Gregorii in præfatione Missæ S. Marcellini, & Petri, quæ hujusmodi est? „ Vere dignum .... æterne „ Deus: Apud quem semper est præclara vita Sanctorum, „ quorum nos pretiosa mors lætificat, & tuetur. Quapropter martyrum tuorum Marcellini, & Petri gloriosa „ recensentes natalitia, laudes tibi referimus, & magni„ ficentiam tuam supplices exoramus, ut quorum sumus „ martyria venerantes, beatitudinis mereamur esse consor„ tes:„ Exprimat quoque liber Sacramentorum, quem Leoni Magno, ut dixi, tribuit vir doctissimus Joseph Blanchinius, in precibus, quas præfationes esse arbitror, in festivitate Sanctorum Tiburtii, & Valeriani, (a quibus incipit codex) recitatis?„ Vere dignum. Tibi enim fe„ stiva sollemnitas agitur, tibi dies sacrata celebra„ tur, quam Beati Sancti Tiburtii martyris tui sanguis, „ in veritatis tuæ testificatione profusus, magnifico no„ minis tui honore signavit. Et ideo cum Angelis. „ Vere dignum. Tuas enim, Domine, virtutes, tuas-

„ quæ

„ que victorias admiramur, quotiens in Ecclesia tua horum dierum festa celebrantur, quos insignes Confessorum tuorum, & Martyrum palmæ, ad perennem memoriam, solemnemque lætitiam fidelibus populis sacraverunt. Cui præfationi simillima illa est, quam in eodem festo proponit liber Sacramentorum Gregorii hisce verbis:
„ Vere dignum ..... Et te in Sanctorum Martyrum tuorum festivitate laudare, qui semper es mirabilis in tuorum commemoratione Sanctorum, & magnæ fidei largiris affectum &c.

Eadem fere edocet Guillielmus Durandus: (*b*) Nam inter causas, ob quas sancta Ecclesia Sanctorum festivitates celebrat, sexto loco hanc enumerat: *Propter honorem Divinæ Majestatis, quoniam illos honorando, in eis honoramus, & mirabilem prædicamus, qui ipsos sanctificavit.*

(*b*) lib. 7. Rationalis Divin. Officior. cap. 1.

V. Ad memoriam vero passionis virtutumque Sanctorum retinendam, honorandamque ideoque cultum promovendum institutas esse eorumdem Sanctorum festivitates edocuit Ecclesia Smyrnensis. (*c*) Id etiam indicat Basilius Magnus, homiliam in S. Julittam sic exorsus. „ Quæ de Beata Martyre prædicatio se offert vobis depromendam, hujusce est causa congregationis. Hunc enim diem vobis indiximus celebriter agendum, quippe qui memoriam renovat magni illius certaminis, quod in muliebri quidem corpore &c. Affinia tradit S. Augustinus enarratione in Psal. 63. (*d*) Et hanc fortasse ob causam festivitates martyrum, *memoriæ martyrum* sunt appellatæ.

(*c*) apud Eusebium lib. 4. cap. 15.

(*d*) n. 1.

VI. Propterea quoque esse institutas, ut eorumdem Sanctorum laudes celebremus, cultumque promoveamus, tradunt sæpissime Patres, qui eam ob rem panegyricis orationibus Sanctos celebrant, & auditores hortantur, ut eos Sanctos, quorum festa agunt, venerentur, & colant. An non id indicat Basilii Oratio in 40. martyres num. 1.? Guillielmi vero Durandi monitis obsecutus sum, dum monui, festa Sanctorum ideo etiam agi, ut vicem iisdem Sanctis rependamus ob eam lætitiam, qua illi, dum a peccatis ad Deum convertimur, afficiuntur. Itaque capite 1. libri 7. Divinorum Officiorum sic ille eloquitur: „ Ecclesia Sanctorum festa multis de causis celebrat. Primo ut eis vicem rependamus, quia ipsi jam celebrant festum de nobis: quoniam gaudium est in Cælo Angelis Dei, & animabus justis super uno peccatore pœnitentiam agente.

VII. Porro id, quod tertio loco dixi, scilicet agi a nobis Sanctorum festivitates, ut sicut illos nos honore, cultuque prosequimur, ita nos illi patrocinio, atque interventu suo protegant, foveantque, & hoc modo nexus ille, qui triumphantem inter, & militantem Ecclesiam adest, emineat, & augeatur, sic expedio. Profecto communio, & nexus, cujus memini, iis innititur, quæ fusius adduxi, quum de huiusmodi communione de Sanctorum intercessione agens differui, (*) & ad ea fortasse respexit Guillielmus Durandus, dum hæc ait: (*) *Eos* (Sanctos) *honorando rem nostram agimus, nam eorum festivitas nostra est: Unde & Apostolus: Omnia nostra sunt, nos autem Christi: caritas enim omnia communia facit*. Reliqua vero didici ex Augustino (e) hæc elocuto: *Populus Christianus memorias martyrum religiosa sollemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur &c.* Ad quæ verba profecto respexit Isidorus libro 1. Offic. cap. 34. (quod si integrum legeris, operæ pretium facies.) Quem sequitur Guillielmus Durandus lib. 7. Offic. cap. 1.

(*) differt. 3. cap. 20.
(*) cap. 1. lib. 7. Rationalis Divin. Officior.
(e) lib. 20. contra Faustum cap. 21.

VIII. Et sane quod idcirco etiam sint institutæ Sanctorum festivitates, ut per eorum exempla, & virtutes, quas recolimus, veneramurque, ad imitationem accendamur, tradit Augustinus non modo in eo loco, ex quo nuper verba depromplimus, verum etiam enarratione in Psal. 88. (f) in sermone olim 92 *de diversis* nunc 317.: (*) rursus in sermone olim 30. ex Sirmondianis nunc 325. (*) Isidorus quoque nuper citatus, & ne multos afferam, Cæsarius, sive alius, cui tribuis sermonem olim 47. de *Sanctis* inter Augustinianos nunc 225. in appendice: (*) sic vero is effatur. *Solemnitates martyrum exbortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat*. Et multo ante istos Ecclesia Smyrnensis, referente Eusebio lib. 4. cap. 15. Valesio interprete, hæc scribens. *Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos*. Præstabit etiam ea consulere, quæ tradit Chrysostomus homilia in martyres (g).

(f) n. 14. in fine.
(*) n. 1.
(*) n. 1.
(*) n. 1.
(g) n. 1. pag. 667. tom. 2.

CAP.


CAP. XVIII.

De probitate agimus festivitatum in Sanctorum honorem celebratarum, & earum rerum, quas eædem festivitates aut important, aut complectuntur.

I. Volebam equidem ab hac disputatione abstinere, & superiori capite finem statuere susceptæ de festis in Sanctorum honorem institutis tractationi. Sed adhuc progredi, ritusque nostros a Protestantium reprehensione tueri cogunt Catholicorum quorumdam efflagitationes. Queruntur scilicet hi, multa effutita esse ab adversariis, quæ quamquam negligi merentur, tamen neglecta a nostris, audaciam illis, atque animum addunt. Hæc ipsa revinci oportere, repellique, ideoque ostendi, non modo antiquos esse, & sanctissimos ob fines institutos ritus eos, quibus festa in Sanctorum honorem agimus; verum etiam undique probos, & laude dignos. Sic autem statim id exequor. Quis merito in dubium vertet, ea quæ ab Ecclesia instituuntur, agunturque, proba ne sint, an non? Quippe ipsa sancta & impolluta Agni sponsa est, ideoque a sordibus abhorret maxime. Non ergo in se, neque in ritibus, quos ipsa adhibet, admittet sordes. Columna est quoque, & firmamentum veritatis, ideoque noscet, quænam improba, quænam proba sint, eligetque proba, rejiciet improba. Illa itaque, quæ commendabit, approbabitque, proba erunt, improba vero, quæ illa rejiciet. Superest ergo, ut de iis tantum disputare possimus, quæ permittit illa. At si animadverteris, non coacte ab illa permitti, quæ in festivitatibus agi diximus a fidelibus, neque ea reprehendi, facile intelliges, tacite ab illa approbari. Proba igitur erunt, quoniam improba ab illa non approbantur. Et sane ubi agnovit, aliquid illaudabile in Dei, aut Sanctorum cultum irrepsisse, continuo illud sustulit. Si ergo ea non aufert, quæ in Sanctorum festivitatibus permitti ab ea diximus, reliquum est, ut a reprehensione remota sint.

II. Ad hæc sane si respicerent, qui Catholicorum consuetudines damnant, mitius nobiscum agerent. At quoniam hujusmodi consuetudinum probitas non modo ex iis, quæ nuper produximus, aut ex iis, quæ proxime præcedentibus capi-

pitibus attulimus constat, verum multo etiam plus constabit, si ea solverimus, quæ easdem consuetudines impetunt, illa afferamus, dissolvamusque, quæ objiciunt. Porro quoniam de festis Sanctorum agimus, non ea hic referam, diluamque, quæ adversus festa omnia urgent ii, qui ab Ecclesia catholica defecerunt, verum ea tantum hic referam, diluamque, quæ peculiariter adversus Sanctorum festivitates objiciunt. Quoniam ergo in tres partes dividi mos est præsentem tractationem, quarum prima ad institutionem, celebrationemque festivitatum simpliciter inspectarum pertinet; alteram sibi adsciscit institutio, & celebratio festivitatum eo quo agunt Pontificii modo: tertia peculiariter agit de festivitatibus Sanctorum, & de consuetudinibus, quas in iisdem sanctorum festivitatibus observant Pontificii, aliò amandatis duabus prioribus partibus, postremam hanc tantum inquisitioni nostræ subjicimus, in qua tamen nonnulla attingentur, quæ ad secundum caput commode pertinent.



CAP.

CAP. XIX.

Recensemus eas Protestantium objectiones, quas intorquent adversus institutionem festivitatum in Sanctorum honorem actarum, & consuetudines, quas in festis in Sanctorum honorem actis Pontificii servant.

I. NOn levium sane, neque paucarum rerum defensionem suscipimus, cum institutionem in primis, tum ritus in Sanctorum festivitatibus adhibitos ad defendendum suscipimus. Porro primos impetus excipit institutio, & celebratio ipsa festivitatum in Sanctorum honorem. Monent nempe festa in Sanctorum honorem institui, celebrarique non posse. Scilicet (inquiunt) Deus sibi reservavit festorum dierum celebrationem, utpote pertinentem ad virtutem religionis. Ea de re si dubites, multa quidem eam ostendunt, sed duo præsertim; institutio, & cœremoniæ ritusque adhibiti in die festo. Et institutio quidem hæc præbet. Extat in Decalogo præceptum de festorum celebratione. *Sabbata sanctifices*. Cum itaque in Decalogo non aliud præceptorum genus extet nisi eorum, quæ Deum & proximum respiciunt, proximum vero procul dubio non respiciat festorum celebratio, reliquum est, ut Deum respiciat. Si vero Deum respiciunt festa, & nos adhuc ea in Sanctorum honorem celebramus, quis non videt, rerum ordinem hoc modo perverti; & dum festa in Sanctorum honorem instituimus, præstantius dirigi ad minus præstans; festa scilicet Deo sacra ad Sanctorum honorem, & cultum. Id sane evincit a Pontificiis præponi Deo Sanctos, plurisque fieri ab iis Sanctorum, quàm Dei cultum, id monentibus Scholasticis omnibus, quorum consensione indubitatum est vetustum illud effatum: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Hinc vero evenisse putamus, ut quamvis Judæi Angelos, & si vis, Sanctos mortuos honore aliquo fortasse affecerint, illis tamen docente Damasceno (*) festos dies utique non sacraverint. Cæremoniæ vero, ritusque in die festo adhibiti palam ostendunt Sanctorum honori eos omnino dicari non posse. Nimirum sine sacrificio, divinisque laudibus, hymnisque & psalmis nullum agitur festum. Hæc tamen ita ad Deum referuntur, ut

(*) Damasceni testimonium attulimus cap. I. n. I.

ut ad ſanctos nulla referri ratione poſſint id palam tradente Auguſtino (5). Cur ergo ad Sanctos referuntur feſta ipſa, quorum ſanctificatio, ut ita loquamur, in hiſce rebus ſita eſt? Deme ſacrificium, deme divinas laudes, deme hymnos, & pſalmos, quænam erit diei feſti ſanctificatio? Ad hæc: ſi probitas in hujuſmodi feſtivitatibus ineſt, reprehendi illæ, minuique non poſſunt: quod enim probum eſt laudari, augerique æquum eſt. At viri ſanctiſſimi ferre æquo animo non potuerunt, ſæpe etiam tollere ſtuduerunt Sanctorum feſtivitates. Hoc modo S. Bernardo diſplicuit feſtum Conceptionis. Pius V. doctus, ſanctuſque Pontifex Præſentationis feſtum e Breviario, ac Miſſali ſuſtulit. Trevirenſes Doctores, aliique probi, & litterati Viri ſanctorum feſta abolere, aut certe, quoniam non id omnino poterant conſequi, imminuere ſtuduerunt. Vide ne multa afferam quæ tradit Thomaſſinus in ſuo tractatu *de feſtis* lib. I. cap. XI. Quis itaque ad hæc advertens probas putabit eſſe Sanctorum feſtivitates? Et quod ad feſta ipſa in Sanctorum honorem inſtituta pertinet, hactenus.

II. Quod ſi ad illa, quæ in hujus modi feſtivitatibus uſitata ſunt, ſermonem velimus convertere, multo plus illas improbabis: deteges quippe in iis manifeſtos ſuperſtitionis, immo etiam idololatriæ fontes: multa quoque invenies putidiſſima, & nugacia. Scilicet Miſſa, in qua Sacrificium ſuum collocant Pon-

(5) Uni Deo Sacrificia offerri poſſe docet Auguſtinus capite 4. libri 10. *de Civitate*, ex quo alibi verba protulimus: hymnos vero in Dei laudem tantum modo cani poſſe docet n. 1. enarrat. *in* pſalm. 72. En quæ ille tradit. *Quid eſt defecerunt hymni David filii Jeſſe? Hymni laudes ſunt Dei cum cantico: hymni cantus ſunt continentes laudem Dei. Si ſit laus, & non ſit Dei, non eſt hymnus: Si ſit laus, & Dei laus, & non cantetur, non eſt hymnus. Oportet ergo, ut ſit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei, & canticum.* Eadem repetit num. 17. enarrationis in pſalmum 148. Indicat autem Dei tantum modo laudes in pſalmis contineri, quum hæc ait. *Pſallite ergo non nomini veſtro, ſed nomini Domini Dei veſtri. Vos pſallite, ille laudetur &c.* (enarrat. in pſalm. 65. num. 3.) In quam etiam ſententiam hæc expreſſius inquit num. 2. enarrationis in pſalmum 146. *Vis ergo pſallere? Non ſolum vox tua ſonet laudes Dei, ſed opera tua concordent cum voce tua &c.*

Pontificii, in Sanctorum honorem, ut nuper diximus, celebrant, ideoque Sanctis tribuunt sacrificium, latriæque cultum; quippe hujus modi cultus a sacrificio sejungi non potest: Psalmos etiam, hymnosque recitant; Atqui psalmi procul dubio ad Deum tantum referri possunt; nempe laudes divinas, aut preces ad Deum fusas tantum modo continent. Hymni etiam diriguntur ad Deum id edocente, quod nuper diximus, Augustino. Aut ergo, dum in Sanctorum festivitatibus hæc Sanctis canimus, Deo peculiares demimus laudes, ut eas Sanctis demus, aut totidem Deos facimus, quot Sanctos colimus. Id vero satis est, ut dicatur a Pontificiis divinum cultum tribui Creaturis, & eos in idololatriam incidere. At si fortasse idololatriam evitant, superstitionem minime effugere ii possunt. Quis superstitionis expertes dicet panegyricas illas orationes, quibus utique decorant Sanctorum festivitates? An non eæ a Gentilibus emanarunt? qui propterea orationes panegyricas nuper mortuis elaborarunt, ut iis commota plebs inter Heroas, & Semideos laudatos homines poneret. A Gentilibus quoque anniversariæ celebrationes ortæ sunt, monente Cyrillo (b) hoc ad *Græcorum vetustissimorum imitationem fieri, apud quos ii, qui in Marathone ceciderant, anniversariis laudibus coronati fuerant.* Inter putidula vero, & nugacia, ideoque aut improba, aut improbis proxima enumerantur concentus, templorum & viarum ornatus, epistolæ fausta deprecantes, & id genus alia, quorum seriem longe consultius est præterire, quàm peculiari sermone refellere: quippe a majestate, dignitateque, & severitate christiana alienissima. Hæc adversarii; quorum impetus sic propulsamus.

(b) lib. 6. contra Julianum.

CAP. XX.

Dissolvimus objectiones superiori capite allatas.

I. Subtiliter, si vis, excogitata sunt ista, & speciem quidem veritatis aliquam habent, at veritatem ipsam non sunt assecuta. Ut vero eo ipso quo obiecta sunt ordine diluamus, dubitasse fateor nonnullos, num præceptum illud *Sabbata sanctifices*, qualibet sui parte ad Deum respiciat. Scilicet ea pars, quæ cessationem & quietem præcipit, non Deum, sed hominem, (ne eum scilicet nimii labores opprimant) respicit. Id si verum est, ea præceptorum Decalogi divisio, quam tradis, ut nempe vel Deum, vel proximum respiciant ista præcepta, imminuta est. Nimirum præceptum aliquod extat, (illud ipsum nempe de quo agimus) quod hominem etiam, cui imponitur, illiusque commodum, & temporale emolumentum respicit. Hinc mirum non est, si quies, quam festi dies efflagitant, præcipi possit non modo a Deo, sed ab hominibus etiam, iis scilicet, ad quos spectat hominum labores, & otia moderari, ideoque Principibus, & Ecclesiæ Præsulibus; & eam ob causam fortasse evenit, ut (quod Manuel Comnenus in ea lege quam refert Balsamon ait) (a) Principes interdum jusserint festos agi dies eos, quibus iidem Principes nati erant, aut Principatum adepti. Id confirma, si vis, ex eo Christi monito (b) *Sabbatum propter hominem factum est:* super quæ verba consule Cornelium a Lapide. At fac Deum respicere. Si non ex eorum numero præceptorum esse probas, quorum objectum Deus solus esse possit, id minime assequeris, quod tu vis. Scilicet video Deum præcepisse adorationem sibi adhibendam fore. *Deum tuum adorabis*. Augustinus tamen (c) sinit hominem adorari, purgatque Abraham, quod adoraverit populum terræ. Num etiam ignoras veritos quoque non fuisse multos piissimos Principes indicere, ne eorum nomen temere in juramentis adhiberetur? quum tamen nosent vetuisse Deum ne temere divinum nomen in juramento adhiberetur.

(a) ad titulum VII. Nomocanonis Photii.

(b) Marci 2. v. 27.

(c) quæst. 61. in Genesim.

II. Nolo tamen hac de re disputemus; fateorque, si vis, ad Deum ita respicere festa, ut in alterius honorem agi non possint. Vide quàm comis sim. Ajo vero, si diligentius, & severius res inspiciatur, primario in Dei honorem (etenim ex iis honor aliquis secundario etiam

àd

ad Sanctos pervenit) agi ipsa festa, quæ in Sanctorum honorem nos agere dicimur: appellari vero in Sanctorum honorem instituta, aut celebrata, quòd Sancti laudentur, & eadem festa instituendi, & celebrandi in Dei honorem ex sanctorum victoriis Dei gratia, & virtute relatis occasionem desumat Ecclesia. Nimirum in Dei honorem ea & instituta, & celebrata perpetuo fuisse, & nostris ipsis temporibus celebrari, alia quidem fortasse indicant, sed certe Sacrificium uni Deo oblatum, quo nullum caret festum. Hæc sane potissima festi sanctificatio est, ideoque Deo non sanctis dicatur, sacraturque festum. Consuevimus autem interdum id alicui tribuere, & ab eo denominationem desumere, qui non auctor est, sed occasio. An id negabis, quando Gregorius Nissenus convocatum a S. Theodoro ad Ecclesiam populum dicit, cum illius convocandi tantum modo occasio is fuerit? (6) Et hæc quidem priorem objectionis partem plane dissolvunt. Duo tamen addere libet; quorum primum est: effatum illud, quod objecerunt: *propter quod &c.* revocari a multis, nec immerito in dubium: ajunt scilicet interdum referri præstantius ad minus præstans, nec tamen magis amari minus præstans. An non Deus dirigit incarnationem Verbi ad hominum salutem? nec magis diligit ille salutem hominum, quàm verbi incarnationem. Alterum vero, quod addo, istud est: in eo ipso numero primo capitis primi hujusce dissertationis, quem allegarunt, ostensum esse a nobis festivitates, quæ a Pontificiis in Sanctorum honorem celebrantur, aliqua fortasse ex parte ab Hebræis ipsis repeti posse. Ad eum itaque locum lectorem amando.

III. Hisce porro animadversionibus facile dissolvuntur reliqua, quæ objecerunt. Erit aliquando tempus, quo adver-

 fus

(6) „ Vos qui populus Christi, qui grex Sanctus, ac regale „ estis Sacerdotium, qui undique & ex Urbibus, & ex a- „ gris catervatim confluxistis, unde signo itineris acce- „ pto ad hunc sacrum locum venistis? Quis vobis huc „ veniendi feriam, ac quasi præstitutam necessitatem im- „ posuit? . . . . . An palam est quod Sanctus martyr „ ex militaribus ordinibus tuba cecinit, & multos ex „ diversis regionibus excitatos ad suæ requietis locum, „ ac sedem vocavit, non ad bellicum instruens appara- „ tum, sed ad dulcem, ac maxime Christianos utique de- „ centem pacem cogens.

ſus eos, quibus Miſſæ in Sanctorum feſtivitatibus celebratæ diſplicent, Deo bene juvante plenius diſputabimus. Nunc paucis ſic eos refellimus. Sanctis non offeruntur Miſſæ, ſed Deo, cujus laudes canimus, cui ſacrificium offerimus propter relatas divina gratia a Sanctis victorias, cui etiam gratias agimus propter relicta nobis a Sanctis præclara virtutum exempla. Quia vero Sanctos in iiſdem Sacrificiis commendamus, prædicamuſque, noſque eorum patrocinio concredimus, ideo Miſſæ in *Sanctorum honorem celebratæ*, aut etiam *Sanctorum Miſſæ* appellantur; veluti Miſſa Apoſtoli Petri, aut Martyris Laurentii, antiquo ſane, nec improbando more. Id profecto non ex privato aliquo auctore didicimus, ſed ea proponimus Tridentini ſenſibus, monitiſque adhærentes: quippe hæc ſanctiſſimum illud Concilium tradit. (*) ,, Et quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum ,, Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit; non tamen illis ,, ſacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit; unde nec ſacerdos dicere ſolet, offero tibi ,, ſacrificium Petre, vel Paule; ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ,, ipſi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum ,, memoriam facimus in terris. ,, Quod monitum jam pridem protulerat Auguſtinus; & ſane priora ipſa Tridentini verba reperies in lib. 20. contra Fauſtum (*) & deſcripſit D. Iſidorus lib. 1. Officiorum (*) reliqua vero Tridentini verba, & ex Auguſtini, & ex aliorum etiam Patrum libris deſumpta fuiſſe commodius alibi oſtendemus: quo etiam in loco de Miſſis ediſſeram in Sanctorum honorem celebratis. Et de prioribus objectionis tuæ partibus ſatis.

(*) ſeſſ. 22. cap. 3.

(*) cap. 21.

(*) cap. 15.

IV. Sed ne quidem tuæ argumentationis partes aliæ movere nos debent. Nempe quod deſumis ex pſalmis, & hymnis, quos in Sanctorum ſolemnitatibus canit Eccleſia, facili negotio evitamus. Quid enim abſurdum eſt dicere Deo recitari eos pſalmos, & hymnos, ut laudes illi tribuantur, & gratiarum reddantur actiones pro victoriis, quas Sancti retulere divina virtute, & gratia? Sed quid opus eſt multa hoc de argumento proferre? quando quidem ea quæ numero 7. & ſubſeq. capitis 14. protulimus apertiſſime declarant valde fundatum hunc eſſe morem, eoſque errare qui illum levitatis, aut ſuperſtitionis accuſant. Cave vero putes temere a nobis tum fuiſſe traditum, propterea etiam ſpiritualia cantica & pſalmos in Sanctorum ſolemnitatibus,

cani

cani, quia acceptum id iisdem Sanctis est. Id enim vero nos docet Joannes Damascenus (*) hæc elocutus. *Quibus enim rebus Deus colitur, iisdem quoque servi ipsius oblectantur. Quibus autem Deus offenditur, iisdem etiam milites* (idest Sancti) *offenduntur. Quo circa in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in compunctione quoque & egenorum miseratione, quibus & Deus potissimum colitur, nos qui fideles sumus, colere Sanctos oportet.*

(*) lib. 4. de fide. Orthodo. cap. 26. in editio: le Quien, 15.

V. Neque vero objecta Augustini auctoritas me deterret. Si diligentius duo priora testimonia expendis, videbis, aut fallor, tum loqui Augustinum de iis hymnis, de quibus in veteri testamento, & in Evangelio fit mentio, ideoque de iis hymnis, in quibus tantummodo Deo laudes concinuntur. Atqui ii hymni, qui ab Ecclesia in martyrum festis canuntur, potissimum quidem Dei laudes continent, at Martyrum etiam laudes complectuntur: idque jam pridem usitatum est in Ecclesia. An non Martyres prædicant octavus Ambrosii hymnus, & plerique ex iis, quos comprehendit is Prudentii liber, qui peri stephanon seu de *Coronis* inscribitur? At dicere adhuc potes nonnullos veteres, quum de hymnis habuere sermonem, Dei laudes tantummodo memorasse, quia Sanctorum laudes laudes Dei sunt: Sanctorum quippe merita a Dei gratia, & virtute sunt, ideoque ad Deum referuntur, velut fluvius ad fontem, & originem suam. Haud absimili ratione postremum testimonium dissolvis; neque vero opus est, ut multa ad responsionem hanc nostram confirmandam adjungam, nam per se patet. Jam reliqua prosequor.

VI. In eo porro, quod ab imminuto festivitatum numero, aut ex eo quod aliqua earum viris optimis displicuerit, generatim eruunt, haud laudabiles esse earundem festivitatum & institutionem, & ritus; imperite (absit verbo invidia) videntur facere. Enimvero festivitatum numerus imminui interdum potest, tam & si recte institutæ sint illæ. Nempe vel imminui potest, ut eas, quæ supersunt, ferventius agant Christiani, vel quia non sine gravi incommodo quotidiana prope modum festa agerentur. Sane Clemingius, Gerson, aliique, qui festorum numerum imminui optaverunt, ii quoque, qui re ipsa imminuerunt, hanc consilii sui rationem esse dixerunt, quod si minor fieret festivitatum, qui mirum in modum tum excreverat numerus, commodius, sanctiusque eas populi celebrassent. At minime omnium illis displicuere festivitates ipsæ: quæ si illis displicuissent,

sent, curassent, ut omnes abolerentur; quod sane non præstitere. Fieri autem potest, ut ea res, quæ in se inspecta proba est, reddatur nimietate, atque excessu illaudabilis. Quis ignorat Messalianos propter immoderatum, imprudensque orandi studium, ideoque reliquarum rerum omnium contemptum & despicientiam merito fuisse damnatos? (7) An non etiam jejunium sanctum est, & a Deo ipso præceptum? Si quis tamen jugiter jejunans reliquis operibus piis, aut iis ipsis, quæ incumbunt, redderetur ineptus, illaudabiliter jejunaret. Innotescet porro ex his, cur festum Præsentationis e Breviario sustulerit S. Pius V. Metuebat scilicet Optimus Pontifex, ne multiplicatis S. Mariæ festivitatibus, deinceps remissius eas celebrarent fideles, ideoque hanc minus celebrem sustulit. Atqui æquius duxere Pontifices, qui Pium V. subsecuti sunt, eandem festivitatem restituere; & re vera paucos post annos Breviario reddita est. Quòd porro Bernardus objectus est, nihil nocet nostræ causæ. Etenim is festa Virginis Deiparæ non improbavit, sed tantum optavit, ut in festo Conceptionis illius celebrando, Romanæ Ecclesiæ sententiam perquirerent Lugdunenses, nec temere, & inconsulto Romano Pontifice id agerent. Hæc ipsa, aut affinis solutio reliquis hujus generis objectionibus adhiberi facile poterit. Prætereo vero pleraque eorum, quæ adversus nos adduxere. Cur enim in iis immorabor, quum nuper ea plane soluta sint?

VII. Ut itaque in iis consistam, quæ nondum attigi: fateor statim a veteribus panegyricas orationes in mortuorum funere, & anniversariis eorum obitus diebus fuisse recitatas. At si mortui pro meritis celebrantur, quid eo in more reperies quod condemnes? Num demendæ sunt probis laudes, quòd interdum laudentur ii, qui laude digni non sunt, aut laudentur magis, quàm eorum virtus exposcat? Profecto Cyrillus, cujus auctoritatem adversus nos urgent, hoc ipso ar-

(7) „ Postremam ponit Epiphanius Massalianorum hæresim: „ quod nomen ex lingua Syra est. Græce dicuntur Ευχῖται „ ab orando sic appellati. Tantum enim orant, ut eis, qui „ hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cum Do„ minus dixerit, *Oportet semper orare, & non deficere*; & „ Apostolus, *Sine intermissione orate*: quod sanissime sic ac„ cipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi: „ isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicarentur inter hæ„ reticos nominandi. „ Augus. de hæres. n. 57.

argumento (quod appellare poteris a fortiori) retundit Julianum, evincitque propterea etiam laudabilem esse eam Christianorum consuetudinem, qua anniversariis martyrum festis eos celebrant, quòd hanc ipsam vicem reddiderint veteres iis, qui fortiter pro patria, & avitis legibus dimicarunt.

VIII. Postremum sic brevi dissolvo. Putidulas appellent adversarii nostri (ut iis libet) quasdam Catholicorum consuetudines, quas tamen Ecclesia adhiberi non præcipit: Nos sane multo aliter de iis sentimus; sed si cavere ab iis velint, quis illos cogit, ut eas adhibeant? nemo enim vero illos jubet, ut epistolas, aut munuscula ad amicos mittant Tantum illos enixe rogo, ne id reprehendant, quod a reprehensione alienissimum esse alibi luculenter ostendi. Vide num. 10. capitis 16. proxime superioris.

IX. Procul igitur, procul absint eæ contumeliosissimæ reprehensiones, quibus festivitates nostras, atque illas in primis, quas in Sanctorum honorem celebramus, carpere solent Protestantes. Satis perspicue demonstratum arbitror multa temere adversus eas esse effutita, multa quoque tam levia, ut statim refelli possint. Quo circa inconsulto, atque imprudenter ii agunt, qui suam a Catholica Ecclesia defectionem in has causas referunt, & babilonicam idololatriam sibi detexisse videntur in ritibus, quos hactenus, & exposuimus, & defendimus. (*) Verum quoniam locus hic latissime patet, & plurima adhuc supersunt eorum, quæ ad pertractandum suscepimus, neglectis maledictis, quibus nos adversarii lacescunt, ad reliqua honoris, venerationisque erga Sanctos argumenta orationem convertamus.

(*) Vide VValemburch to. 2. pa. 222.

De præparationibus, quæ ad Sanctorúm Festivitates vigiliis, jejuniis, aliisque piis operibus fiunt.

Quoniam docentibus Sanctis Patribus, si Sanctorum patrocinium, atque interventum optamus: oportet primo loco, ut nos, [*] *Sancto illi, cujus patrocinium exposcimus* (*) frequentibus insinuemus officiis; quatenus pro nobis apud Dominum peculiaris intercessor invigilet, & vitam nostram dignationis suæ favore commendet: *recte, sapienterque a majoribus nostris institutum est, ut Sanctorum festivitates, quibus ipsi beneficentiores esse consueverunt, piis operibus præveniremus. Porro hæc ad tria summa capita revocantur: id est ad Vigilias, ideoque etiam ad orationes & preces, quarum causa instituta Vigiliæ sunt: ad Jejunium, sub quo vocabulo comprehenditur quidem potissimum abstinentia a cibo, & potu, at comprehendi etiam ab Ecclesiasticis Doctoribus consuevere quæcumque sponte adhibentur corporis afflictationes: denique ad eleemosynas, & affinia caritatis erga proximum argumenta. De his singillatim loquemur.*

(*) (*huic patrono*)

(*) Valerianus hom. 17. quę tertia est inter eas, quæ inscribuntur de *bono martyrii* to. 1. Sirmondi pag. 390.

CAP.

CAP. XXI.

Vigiliæ, & preces, ac primo quidem Vigiliæ. Statim exponimus, quid de Vigiliis ad pertractandum seligamus, tum monumenta afferimus, quibus ea consuetudo comprobetur.

I. MUlta forent de Vigiliis, de quibus primo agere instituimus, digna quæ referrentur, si generatim de iisdem differere in animo haberemus. At quoniam de iis tantum Vigiliis agere volumus, quibus Sanctorum festivitates prævenire consueverunt fideles, multo pressior tractatio hæc erit. Hæc itaque tantummodo de iis trademus: monumenta, quibus ea consuetudo comprobetur: tempus quo ea desiit: (cujus rei occasione de Vigiliis, quibus alias festivitates præveniebant fideles etiam agemus) exponemus denique illius probitatem, utilitatemque. Statim autem primum expedio. Nocturnas vigilias crebro quidem; sed præsertim noctibus festos dies proxime præcedentibus a Christianis fuisse actas, adeo frequentibus, adeo perspicuis veterum testimoniis novimus, ut dubitari ea de re minime possit. Hoc argumentum luculenter pertractant Baronius, (*a*) Florentinus, (*b*) aliique multi, ad quos vos amando. Porro inter festos, solemnioresque dies fuisse enumeratos eos, quibus relatam gloriosa morte a martyribus de Diabolo, & Tyranno victoriam celebrat Ecclesia, superioribus capitibus manifesto, ut arbitror, declaratum est. Hos itaque dies vigiliis prævenire consueverant fideles. Tamen, si vis expressissima afferri ad eum morem comprobandum veterum loca, non diu laborabo, ut multa, eaque apertissima recenseam. Nonne id palam eruitur ex eo Ambrosii libro, quem *de Virginitate* edidit? Conqueritur scilicet (*c*) paucos convenisse ad Vigilias nocte festivitatem Sanctorum Petri, & Pauli proxime præcedente agendas. Vigilias quoque a cuncto populo fuisse actas pridie translationis, ideoque festivitatis sanctorum Gervasii, & Protasii, ex num. secundo epistolæ Ambrosii ad Sororem (*d*) discimus. *Ibi vigiliæ tota nocte &c.*

II. Eandem consuetudinem uti antiquus ita præclarissimus doctor Augustinus indicat, (*e*) dum psalmum septuagesimum secundum in pervigilio sancti Cypriani a se

(*a*) in adnotatione ad Martyro. Roma. ad Vigili. Epiphan. lit. A. locisque Analium ibi indicatis.

(*b*) Exercitat. 2. in Martyrolog. vetus. Roma. Eccle. pag. 195.

(*c*) cap. 19. n. 125.

(*d*) in edit. Amerbachii, & Erasmi 84. in Romana 54. in editio. Patrum S. Mauri pri. clas. 22.

(*e*) in epist. seu libro ad Honoratum, quæ quidem epistola in antiqua serie 120. in nova 140. est cap. 5. aliàs n. 13.

ſe explicatum fuiſſe dicit, & ad eam explicationem legendam Honoratum hortatur. *Hunc pſalmum ſeptuageſimum ſecundum nocte, qua illuceſcebat ſolemnitas beatiſſimi Cypriani, per miniſterium noſtrum expoſitum lege, & diligenter adverte*. Ad eaſdem vigilias nocte feſtivitatem S. Cypriani proxime præcedente actas reſpicit idem Auguſtinus capite quinto ſermonis olim 115. *de diverſis*, nunc in ſerie ſermonum 311.

III. At quis ea negligat, quibus ex Paulini Nolani teſtimonio indubitate noſcas vigilias nocte præcedente diem feſtivum S. Fælicis peractas fuiſſe a fidelibus? Duo ex illius libris profero, ſed perſpicua teſtimonia. Primum deſumo ex poemate XXII. olim XVI. ſeptimo vero in Natali S. Fælicis v. 113. ſcribit quippe ad hunc modum.

. . . . tunc ergo ſolutis
Cætibus a templo Domini, poſtquam data feſſis
Corporibus requies, ſumpta dape, cæpimus hymnis
Exſultare Deo, & pſalmis producere noctem.

Extat alterum in poemate 26. Natali vero IX. ejuſdem S. Fælicis v. 554. & hoc eſt:

. . . . & nunc ecce frequentes
Per totam, & vigiles extendunt gaudia noctem,
Lætitia ſomnos, tenebras funalibus arcent.

& mox

. . . . caſtis ſanctos quoque vocibus hymnos
Perſonat, & Domino cantatam ſobria laudem
Immolat.

IV. Gelaſium his addo præclarum ſane Pontificem, quique ſumma cum laude ſub finem quinti Eccleſiæ ſæculi Chriſtiano populo præfuit. Nempe ſi illi tribuis (uti plerique tribuunt) eum Sacramentorum librum, quem præpoſito Gelaſii nomine optimus Cardinalis Thomaſſius edidit, plane intelligis eo tempore noctibus proxime præcedentibus Sanctorum feſtivitates vigilias fuiſſe a fidelibus frequentatas. Extant enim in eo libro Miſſæ celebrandæ in Vigilia Sanctorum Gervaſii, & Protaſii: rurſus in vigiliis S. Joannis Baptiſtæ: ſanctorum Joannis, & Pauli: Apoſtolorum Petri, & Pauli, aliæque hujus generis multæ.

V. Ad hæc fere tempora referre poteris, quæ de vigiliis a Perpetuo Turonenſi Epiſcopo per ſolemnitates diſpoſitis ex Gregorio Turonico diſcimus. Ea ſi recitem, operæ pretium me facturum ſpero. En itaque illa. (*f*) „ Hic

(*f*) lib. X. hiſtor. Francorum cap. 31. ideſt poſtremo.

(Per-

„ (Perpetuus) instituit jejunia , vigiliasque, qualiter
„ per anni circulum observarentur ; quod hodieque apud
„ nos tenetur scriptum, quorum ordo hic est . . . De
„ Vigiliis. Natali Domini in Ecclesia. Epiphania in Ec-
„ clesia. Natali S. Johannis ad Basilicam Domini Mar-
„ tini. Natali S. Petri Episcopatus, ad ipsius Basilicam.
„ VI. Kalendas Aprilis. Resurrectione Domini nostri Je-
„ su Christi, ad Basilicam Domini Martini. Die quin-
„ quagesimo in Ecclesia. Passione S. Joannis, ad Basili-
„ cam in Baptisterio. Natali Sanctorum Apostolorum Pe-
„ tri, & Pauli, ad ipsorum Basilicam. Natali S. Mar-
„ tini, ad ejusdem Basilicam. Natali S. Simphoriani, ad
„ Basilicam Domini Martini. Natali S. Lidorii, ad ejus
„ Basilicam. Natali S. Briccii, ad Domini Martini Basili-
„ cam. Natali S. Hilarii, ad Domini Martini Basilicam.

Sed quoniam Gregorium Turonicum testem allegavimus, alia etiam ejusdem loca, quibus idem mos comprobetur, producamus. Caput octavum, & vigesimum libri *de gloria Confessorum* consule; caput quoque duodecimum libri 2. *Miraculorum S. Martini*. Nempe apertissime vigiles noctes proxime ante Sanctorum festivitates ex his etiam duobus locis manifesto comperies.

VI. Gregorio Turonico Gregorium alterum jungo illius æqualem, Romanum nempe Pontificem, uti appellatione, ita præclaris in Ecclesiam meritis Magnum: neque hic aliud vigiliarum genus recenseo, nisi illud, quo Sanctorum festivitates prævenerunt Christiani. Paucas ex illo probationes seligam, easque fere desumptas ex libro quem *Sacramentorum* appellari mos est. In eo describitur missa in Vigilia S. Joannis Baptistæ. (nisi sint illæ duæ, una scilicet, ut puto, in noctis initio, quo prima Vigilia peragebatur; altera proxime post mediam noctem: hinc *primam Missam de nocte* hanc appellat:) Item alia in Vigilia Sanctorum Petri, & Pauli: rursus duæ pridie festivitatis S. Laurentii. Neque prætermittitur Missa celebranda in Vigilia Assumptionis, in Vigilia S. Matthæi, Apostolorum Simonis, & Judæ, omnium Sanctorum, & Sancti Andreæ. Atque huc pariter pertinent Missæ dicendæ in Vigilia Apostolorum, in Vigilia unius Martyris, in Vigilia plurium Martyrum, in Vigilia unius Confessoris, in Vigilia plurium Confessorum: denique in Vigilia Virginum. Quas quidem vigilias etiam extra UrbemRomam agi consuevisse(si ex una potest esse conjectu-

ra de ceteris) facile assequimur ex iis, quæ de S. Cassio Narniensium Episcopo idem Gregorius narrat: (g) eum scilicet dum sacris vigiliis diem festum Sanctorum Petri, & Pauli præeuntibus adesset, leni calore fuisse correptum &c.

(g) num. 9. homiliæ 37. in Evangel.

VII. At sunt, & alia veterum testimonia, quibus indubitate percipias subsequentibus etiam sæculis eam consuetudinem perstitisse. *Ex Romano antiphonario* (inquit Amalarius de vigilia Apostolorum Petri, & Pauli agens) (h) *posui duas Vigilias in nostro Antiphonario. Primam solet Apostolicus facere in noctis initio, quæ fit sine invitatorio, quoniam ea hora non invitatur populus ad Vigilias: populus enim invitatur ad Vigilias, ea hora noctis, de qua dicebat Propheta David*: Præveni in maturitate, & clamavi. *Si quis vult discere, quæ sit illa hora, legat S. Augustinum super psalmum decimum octavum, invenietque ibi maturitatem esse positam pro media nocte. Ea hora ingreditur Clerus, & populus ad secundam Vigiliam, & cantatur invitatorium.*

(h) de Ordine antiphonarii cap. 60.

VIII. Si sæculo Ecclesiæ undecimo, aut fortassis etiam duodecimo (quod equidem reor) edita sunt Constitutiones illæ, & cæremoniale, quæ ex Monasterio *S. Petri de Musciano* Florentinæ Diæcesis nobis supersunt (infelices sane ex miserando naufragio reliquiæ,) tum aliis etiam haud infrequentibus diebus, tum certe in Sanctorum festivitatibus sacras vigilias matutino tempore fuisse a populo actas, conjicere facile possumus. Audi quid tradatur capite 18. libri septimi „ Matutinales Missas „ certis diebus populo celebramus, & certis diebus intermittimus. Propter Novitios itaque, vel potius Sacristas, ipsos dies commemoramus, quibus eas celebramus. Omnibus diebus dominicis, & feriis secundis, & feriis sextis, exceptis his, qui suo loco prænotati sunt. In omnibus solemnitatibus Domini. Idem in Nativitate, Circumcisione, & Epiphania ejus. A Capite jejunii cotidie usque ad Cænam Domini. Per totam ebdomadam Paschæ. Per totam ebdomadam Pentecostes. In omnibus festivitatibus Sanctæ Mariæ: vel Apostolorum, & omnium Sanctorum. In omnibus autenticis, vigiliis videlicet, quas universalis Ecclesia observat. Præterea in Natalitiis Sanctorum, vel Sanctarum Fabiani, & Sebastiani. Agnetis. In conversione Sancti Pauli Apostoli. In natale S. Blasii. Agathæ. In cathedra S. Petri. In natale S. Matthæi Apostoli. Georgii. Marci E-

„ van-

„ vangelistæ. In inventione Sanctæ Crucis. In apparitio-
„ ne Sancti Michaelis. In natali Sanctorum Nerei, &
„ Achillei. Theodori Episcopi. Viti, & Modesti. Ger-
„ vasii, & Protasii. Quirici, & Julittæ. Mariæ Magda-
„ lenæ. Apollenaris: Pantaleonis. In Vincula S. Petri.
„ In natale S. Xisti Papæ, & martyris. Donati Episco-
„ pi, & martyris. Yppoliti, & Cassiani. Genesij. Pon-
„ tiani, & aliorum. Augustini. In decollatione S. Joan-
„ nis Baptistæ. In natali S. Reguli Episcopi. In exalta-
„ tione S. Crucis. In dedicatione Basilicæ S. Michaelis.
„ S. Reparatæ Virginis. Lucæ Evangelistæ. Martini E-
„ piscopi. Ceciliæ Virginis. Prosperi Episcopi. Nicolai
„ Episcopi. Zenonis Episcopi. Luciæ Virginis. Sancto-
„ rum Innocentium. Silvestri Papæ. Sane sciendum est,
„ quia in matutinali Missa, quæ populo dicitur, hoc offi-
„ cium cantamus, pro quo populum concurrere scimus &c.

IX. Apertissima sunt quoque, & dignissima quæ referantur, ea, quæ Concilium Oxoniense, quod anno 1222. celebratum fuisse putatur, de Vigiliis capite octavo statuit. (*) „ Hæ sunt Vigiliæ statutæ ad vigilandum. Vi-
„ gilia Nativitatis Domini, vigilia Paschæ, vigilia Pen-
„ techostes, Litania major, tres dies Rogationum, vi-
„ gilia S. Joannis Baptistæ, vigilia Apostolorum Petri,
„ & Pauli, vigilia S. Laurentii, vigilia Assumptionis
„ Beatæ Mariæ, vigilia S. Bartholomæi, vigilia S. Mat-
„ thæi, vigilia Apostolorum Simonis, & Judæ, vigilia
„ omnium Sanctorum, vigilia S. Andreæ, vigilia S. Tho-
„ mæ Apostoli.

X. Quid vero si Theologum, haud multis fortasse annis hoc Concilio antiquiorem (*i*) adsciscamus, qui hoc nobis caput absolvat, simulque dictis suis exponat quantum is mos (qui tamen imminui tum cœperat) in festis saltem Patronorum in plerisque regionibus ea etiam ætate vigeret? Is Joannes Belethus Theologus Parisiensis est: Etenim capite undecimo libri illius, quem *de Divinis Officiis* scripsit, ea tradit, ex quibus palam constet eam consuetudinem tum minime fuisse prorsus sublatam; & ab ea quidem, si arcerentur abusus, qui per quorumdam pravitatem irrepserant, ab eodem Beletho approbatam.
„ Solebant enim (inquit ille) majores nostri illa nocte,
„ quæ proxime festum præcedebat, vigilare, unde & vi-
„ gilias appellabant dies festa proxime præcedentes, ad
„ quas conveniebant juvenes, & puellæ, cantatores, &
„ lu-

(*) Tom. 13. Concil. pag. 1071.

(*i*) Vide quæ de Joanne Beleth tradit Oudinus tom. 2. pag. 1589.

„ lusores, ficut adhuc fit in plerifque regionibus, ut in „ Pictavia, præcipue in festis Patronorum Ecclesiarum. „ Sed quoniam multa inde nafcebantur incommoda, in- „ ftitutum fuit, ut in locum vigiliarum fuccederent je- „ junia, ut eo demum modo commeffationes fuperfluæ, „ & ebrietates, quæ crebo contingebant, tollerentur e „ medio. Quod in ea forma ab Ecclefia ita difpenfatum „ accepimus. Si quis tamen jejunaret, & vigilaret, is „ utique haud male faceret: nihil enim vetat bonum du- „ plicare. „ Capite vero 20. eas feftivitates recenfet, quibus facræ vigiliæ aliqua faltem ex parte celebrabantur „ Quapropter (inquit ille) aliter ftatutum eft, ut „ vel tempore ultimæ nocturnæ vigiliæ univerfi circa „ diei crepufculum furgerent . . . . In me- „ moriam, & recordationem illius tam laudabilis con- „ fuetudinis etiam nun Ecclefia æftivali tempore no- „ cturnum officium celebrat, tempore nimirum primæ „ nocturnæ, quod nos vigilias vocamus, tam & fi ali- „ quanto tempeftivius . . . . . Verum ne quis dubitet, „ quibus feftis vetus illa obfervetur confuetudo, fcien- „ dum eft in tribus illis vigiliis, fcilicet Joannis Baptiftæ, „ Petri, & Pauli, & Affumptionis Beatæ Mariæ. Quo- „ niam hæ funt præcipuæ folemnitates, quas in æftate ha- „ bemus.

XI. Atque his quidem monumentis, quibus ea adjungere merito potes, quæ ut *Ordinibus Romanis* deinceps allegabimus, eruere recte poffumus, quantum ii errent, qui primis ipfis Ecclefiæ temporibus, nempe regnante Conftantio, vel certe proxime poft, fublatas prorfus, atque aboletas fuiffe facras vigilias ajunt: quos fane revincere fi quis cupit, alia quidem argumenta, quæ mox attingam, conjicere adverfus eos poteft; fed hæc ipfa, quæ attulimus, ad eos redarguendos aptiffima reor; ifque procul dubio evincitur mos, quem dixi, ducendi fcilicet vigilem, infomnemque in Ecclefia noctem eam, quæ celebrem, feftamque Sanctorum diem præcedit.

CAP.

CAP. XXII.

Ea argumenta primum afferimus, quibus permoti sunt, qui dixerunt sub finem saeculi III. a Concilio Eliberitano, tum rursus saeculo quarto a Constantio Imperatore, deinceps etiam ab Ambrosio Mediolanensi Archiepiscopo, denique a Concilio Altisiodorensi fuisse sublatas sacras vigilias a Christianis in Templis actas; tum ea adducimus, quibus manifesto evincitur diu etiam post celebratum Concilium Altisiodorense easdem sacras vigilias perstitisse.

I. Tamen desiisse sacras Christianorum Vigilias, quum persecutorum ira desiit, non pauci putant. Cur enim, inquiunt, noctu adirent Ecclesiam ii, quibus die adire liceret? Ad haec: aucta Ecclesia, imminuta est Christianorum virtus, utpote iis experimentis minime exercitata, quibus subdebatur, quum Imperatorum persecutiones in Ecclesiam exardescebant. Non ergo conveniens erat, ut permitterentur in Ecclesia vigiliae, quarum occasione facilior criminibus pateret aditus. Quid quod novimus re vera fuisse sublatas? Nonne eae submotae jam pridem sunt a Concilio Eliberitano, cujus hic quintus, & trigesimus Canon est? (a) *Placuit prohiberi, ne foemina in Coemeteriis pervigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis, scelera latenter committant.* Immo iterum a Constantio Imperatore in edicto ad Cerealem his verbis: (b) *Aboleantur Sacrificia nocturna Magnentio auctore permissa, & nefaria deinceps licentia repellatur. Datum IX. Kalen. Decem. Constantio Augusto VI. & Constant. Ces. II. Coss.* Sublatae sunt rursus ab Ambrosio Sanctissimo, ac doctissimo Mediolanensium Episcopo, idque rogatu Monicae matris Augustini. Testatur id Augustinus in sermone 25. ex iis, quos recitavit *fratribus in Eremo*: Cujus quidem verba ipsa statim profero. (*) *Tales non solum Romani erant, non solum Papienses, & Ravennates, sed etiam Mediolanenses: de qua turpi consuetudine dolebat Mediolani mater illa, quae me carne, & spiritu in Christo regeneravit, & institutum est, ipsa instigante, a Patre nostro S. Ambrosio, ut vigiliae cassarentur, vel cessarent a cunctis,*

ut

(a) Tom. 1. Concil. pag. 596.

(b) lib. 16. Codicis Theodosiani titulo x. de Paganis, Sacrificiis & Templis; lege 5. pag. 265. tom. 6. edition. Jacobi Gothofredi Lugdun. 1665.

(*) Tom. VI. pag. 328.

ut homicidia, & fornicationes a fidelibus deponerentur. Solum tamen jejunium mentis, & corporis cum eleemosyna Mediolanensis Ecclesia fidelibus reliquit. Quæ quidem veterum monumenta si tanti non æstimas, ut plane sublatas putes vigilias, alia continenter profero perspicua plane, atque indubitata. Quid expressius fingi potest verbis illis, quibus canones tertius, & quintus Concilii Altisioderensis, seu ut alii appellari jubent, Autisiodorensis illas proscribunt? *Non licet compensos* (*) (inquit canon tertius,) (*) *in domibus propriis, nec pervigilias in festivitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes, aut ad arbores Sacrivos, vel ad fontes vota exsolvere*: At audi etiam Canonem quintum. *Omnino, & inter supradictas conditiones, pervigilias, quas in honore S. Martini observant, omninodis prohibete.* Porro hujus Concilii Canones summo in honore jure meritoque sunt. Celebratum est quippe illud anno 578, ideoque ante Gregorium Magnum, ante Isidorum Hispalensem, aliosque præclaros Episcopos quorum sollicitudine, & cura Altisioderensis Concilii edictio observata est. Hæc nonnulli, qui, ut dixi antiquissimis Ecclesiæ temporibus sublatas arbitrantur Sacras Vigilias.

II. Ut ostendamus falli eos, qui hæc tradunt, primo quidem recolenda sunt ea monumenta, quæ capite superiori allegavimus, tum alia etiam addenda, quibus manifesto ostendatur Vigilias in Ecclesia iis etiam sæculis fuisse continuatas, quibus sublatas putant; postea sensum objectorum Canonum explicabimus: edocebimus denique quantum fidendum sit auctoritati sermonis 25. *ad fratres in Eremo.*

III. Profecto vigilias tempore illo ipso, quo post diuturnam afflictionem tranquilla pace fruebatur Ecclesia, a Christianis fuisse actas præter ea, quæ jam attulimus, argumenta multa testantur. Athanasius in Apologia ad Constantium, Vigiliarum meminit hæc elocutus. *Nox erat, multique ex populo ad proximam Synaxim in orationibus pervigilabant, cum dux exercitus &c.* Consulas quoque opto (si eumdem morem veterum monumentis comprobare vis) quæ tradit Socrates libro 2. (*c*) nec prætermittenda sunt quæ tradit Theodoretus lib. 2. histor. cap. 14. editionis Valesiii, & Cassiodorus in historia tripartita. (*d*)

IV. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 9. ejusdem

(*) legunt alii *compensas*.

(*) Tom. 6. Concil. pag. 645.

(*c*) cap. 8. editio. Christo. & 11. editionis Valesii.

(*d*) lib. 5. cap. 20.

dem moris meminisse videtur, dum hæc effatur: *Nocte ad sapientiam nihil commodius est, in hac enim sæpissime de Deo cogitamus; lectioni, contemplationique divinarum Scripturarum vacamus, psallitur, oratur.*

V. At palam meminit Ammianus Marcellinus. (e) *In statione* (inquiens) *primis tenebris observata Custodum absentia, qui die festo christiani ritus in Ecclesia pernoctabant.*

(e) lib. 28. cap. 6. in fine.

VI. Nonne etiam Basilius non modo a multo jam tempore sacras vigilias a Christianis actas, verum etiam sua ætate usitatas his verbis comprobat? (f) *Visum est Patribus nostris beneficium vespertini luminis non silentio suscipere, sed statim ut apparuit, gratias agere. At quinam fuerit pater illorum verborum: lucernariæ gratiarum actiones; dicere non possumus; populus tamen antiquam edit vocem &c.* Et clarius in Commentariis in psal. 114. sic ea commentaria exorsus. *Jam inde ex nocte media, quum ad hoc dicatum Martyribus templum veneritis, ipsorum Martyrum Deum per hymnos usque ad horam hanc diei, nostrum expectantes adventum*: seu ut apertius visi sunt vertisse Patres S. Mauri: *Jam dudum occupato hoc sacro Martyrum templo a media nocte ad hanc usque meridiem diem Martyrum, dum adventus noster expectaretur, hymnis placare perrexistis.*

(f) Ad Amphilochium de Spiritu Sancto cap. 29. alias n. 73.

VII. Easdem quoque sacras vigilias ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo Viro Sanctissimo fuisse approbatas, argumentis non levibus intelligimus. Epistolam, quæ Irenæo scripta est, ad hunc modum exorditur. (g) *Inter legendum, cum paululum requievissem animo, quia lucubratione destiteram, versiculum illum cæpi mecum volvere, quo vesperi in vigiliis usi fueramus. Speciosus forma &c.* His ea adjunge quæ tradit Sermone 19. in Psalm. 118. n. 17. & 18.

(g) in edit. PP. Benedictinorum 29. in edit. Amerbachii, & Erasmi undecima est. In Romana vero tomo secundo extat.

VIII. Quid quod Augustinus li. 9. Confess. (i) non leve testimonium de vigiliis ab Ambrosio cum plebe sua celebratis præbet, & primas in iisdem vigiliis Monicam matrem suam tenuisse affirmat? Quin etiam ex eodem Augustini loco intelligimus curasse Ambrosium, ut psalmi, & hymni in vigiliis canerentur, ut scilicet populo tædii tolleretur occasio.

(i) cap. 7. n. 15.

IX. S Hieronymus in epistola ad Eustochium scripta, (k) præclara multa edocet, ex quibus traditam, commendatamque vigiliarum consuetudinem non pauci eruunt. Consule, ne cuncta indicem, numerum 17. 18. & 37. ejusdem

(k) olim 22. in nova edit. Veronensi rursus 22.

dem epistolæ. Sed manifesto sacras vigilias ea ætate actas approbat, dum in epistola ad Riparium (*l*) numero præsertim tertio, & in peculiari libello Vigilantium retundit vigilias damnantem. (*m*) Rursus eamdem consuetudinem innuit in epistola ad Sabinianum lapsum: (*n*) *Tota Ecclesia* (inquiens) *nocturnis vigiliis Christum Dominum personabat, & in diversarum gentium linguis unus in laudibus Dei spiritus concinebat &c.*

X. Illustre etiam illud est, quod S. Joannes Chrysostomus in homilia in Martyres, Frontone Ducæo interprete, eloquitur. (*o*) *Noctem vertistis in diem per sacras istas vigilias: nolite rursus diem in noctem per ebrietatem, & crapulam, ac meretricios cantus convertere &c.*

Ad vigilias quoque confugisse Antiochenos terræ motu nuper territos, testatur idem Chrysostomus in homilia post terræ motum, quam ediderunt Patres Benedictini. (*p*) Quin etiam Chrysostomum sacras vigilias maxime approbasse ex aliis haud dubiis monumentis liquet: sed ea quæ Socrates, & Sozomenus scriptis tradidere, perspicua in primis sunt, ac dignissima quæ referantur. (*q*) *Joannes veritus, ne quis ex simplicioribus hujus modi canticis* (iis scilicet, quibus Ariani errores miscuerant suos) *ab Ecclesia abstraheretur, quosdam ex Catholica plebe, quæ sub ipso erat, eis opposuit, qui nocturnos perinde hymnos decantando, & Arianorum circa hæc studium obscurarent & suos in professione rectæ fidei confirmarent.* Tum narrare pergit quanta cum celebritate nocturnas vigilias Catholici agerent, dissidiumque propterea ortum, Arianis scilicet Catholicos aggressis. Idem discimus ex Sozomeno hæc etiam addente (*r*) *Catholici vero, cum ex hujusmodi causa hymnos eo quo diximus modo canere cæpissent, in hunc usque diem ita perseverarunt &c.*

XI. Augustini tempore sacras vigilias frequentatas fuisse ex illius libris intelligimus. Allegavimus nuper testimonium desumptum ex lib. 9. *Confessionum*, (*s*) ex quo discimus quanto Ambrosii, & Mediolanensium studio eædem vigiliæ fuerint actæ. Alia perinde perspicua aliis in locis tradit ille, veluti in Sermone olim 38. ex Sirmondianis, nunc 360. qui recitatus dicitur *ad Vigilias Maximiani*: idest, ut fere explicant, in vigiliis S. Maximiani. Rursus Sermonem olim 97. *de diversis*, nunc 219. sic exorditur. *Beatus Paulus Apostolus exhortans nos ad imitationem suam inter alia multa suæ virtutis insignia, dicit etiam in vi-*

(*l*) olim 53. Veronensi editione 109.

(*m*) n. 10. alias cap. 4.

(*n*) olim 48. in Veronensi edit. 147. n. 4.

(*o*) extat to. 2. pag. 668. n. 1.

(*p*) tom. 2. pag. 718. n. 1.

(*q*) lib. 6. cap. 7. in edit. Valesii 8.

(*r*) lib. 8. cap. 8.

(*s*) cap. 7. alias nu. 15.

vigiliis sæpius. Quanto ergo alacrius in hac Vigilia, velut matre omnium sanctarum vigiliarum, vigilare debemus, in qua totus vigilat Mundus? . . . . *Quamquam tam clara sit Vigiliæ hujus celebritas toto Orbe terrarum, ut etiam illos vigilare carne compellat, qui corde non dicam dormiunt, sed tartarea impietate sepulti sunt. Vigilant etiam ipsi nocte ista, de qua etiam visibiliter redditur, quod tanto ante promissum est. Et nox sicut dies illuminabitur* . . . Quin etiam subsequentes quinque Sermones in hisce vigiliis recitati creduntur. Immo Possidius in indiculo librorum Augustini Sermones viginti tres in Paschæ vigiliis eum recitasse affirmat. *Per Vigilias Paschæ tractatus viginti tres.* Prudens interim omitto, quæ facile proferre possem ex enarratione in Psalmum 85. quam fere arbitrantur in pervigilio festivitatis Sancti Cypriani fuisse recitatam, sed certe in pervigilio alicujus solemnitatis recitata est. Hæc inquam, aliaque hujus generis multa, quæ nullo negotio, si vellem, ex Augustino producerem, prudens omitto, ne videar in uno consistere Augustino, & negligere ceteros.

cap. 10.

XII. An leve tibi videtur, quod docet Cassianus, qui his fere temporibus inter primos Scriptores habitus est? Ad Apostolica sane tempora referendas esse sacras vigilias docet ille: at eas quoque suo adhuc tempore continuari testatur. (*q*) „ Quas (vigilias) a tempo„ re prædicationis Apostolicæ, quo Religio, ac fides „ Christiana fundata est per universum Orientem, idcirco „ statutum est illucescente Sabbato debere celebrari, quod „ Domino, & Salvatore nostro sexta Sabbati crucifixo „ discipuli adhuc recenti ejus passione perculsi pervigi„ les tota nocte manserunt, nullatenus somni quie„ tem oculis suis indulgentes. Quam ob rem ex illo tem„ pore deputata vigiliarum solemnitas usque in hodier„ num diem per universum Orientem similiter observatur.

(*q*) lib. 3. de institu. renunciantium cap. 9.

XIII. S. Leo tum alibi sæpe, tum certe in iis sermonibus, in quibus jejunium Pentecostes, decimi mensis, & reliqua hujus generis indicit, vigilias jejunio jungit. Hoc modo in fine sermonis primi *de jejunio* Pentecostes. (*r*) *Quarta igitur* (inquit) *& sexta feria jejunemus. Sabbato autem apud Beatissimum Petrum Apostolum vigilias celebremus, cujus nos orationibus & spiritalibus inimicis, & a corporeis hostibus confidimus liberari: per Dominum nostrum*

(*r*) in editio. Quesnellii 76.

Jesum Christum &c. Consimilem finem imponit Sermoni quarto ejusdem tituli, & Sermoni primo, tertio, quarto, quinto, septimo, & nono *de jejunio septimi mensis*, & reliquis fere omnibus generis.

XIV. S. Leoni si Chrysologum addam, sanctissimo, eloquentissimo, & doctissimo Pontifici parem ætate, & meritis Episcopum addam. Quantum autem sacris vigiliis Chrisologus faveat, disces ex Sermone XXIV.

XV. Haud ita multo post in Africa sacras vigilias fuisse frequentatas intelligimus ex libro 2. Victoris Vitensis *de persecutione Vandalica*: Nempe ex eo libro vigiliarum tempore ab Eugenio Carthaginiensi Episcopo cæcum Fælicem nomine illuminatum fuisse edocemur. Vide numerum 17. ejusdem libri.

XVI. Iis fere temporibus magna cum sanctitatis, & doctrinæ fama Arelatensem Ecclesiam rexit Cæsarius. Sacris vigiliis eum enixe patrocinatum fuisse haud inepte eruunt multi ex verbis illis homil. 33. (s) *Si institores aurifices maturius vigilant, ut possint corporis necessaria providere: nos non debemus ante lucem ad Ecclesiam surgere, ut peccatorum indulgentiam mereamur accipere?*

(s) in Biblioth. Maxi. Patrum, seu Lugdu. to. 8. pag. 852. litt. D.

XVII. Concilium Matisconense secundum anno fortasse 585. celebratum summo in honore est apud Gallos. Atqui istud Concilium in ipso Canone primo hæc exhibet. (*) *Noctem quoque ipsam, quæ nos inspiratæ luci inaccessibili reddidit, spiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea... Sed oremus, & vigilemus operibus sacris, ut digni habeamur in regno fieri hæredes Salvatoris* „ Ad noctem porro quæ dominicam diem anteit, plerique referunt Canonem hunc, qui, si vera est (uti probabilis procul dubio est horum explicatio) frequentes eorum temporum vigilias innuit.

(*) Tom. 6. Concil. pag. 673.

XVIII. Non abs re fortasse erit, si ea hic referens quæ Agnellus de Mariniano agens, ab Episcopo probo exposcit, lectorem admonebo inter ea sacras recenseri vigilias. En quæ dixi Agnelli verba (t) „ Videte quales inter utrumque, Rex ut demoliatur corpora; „ Episcopus, ut coronetur anima: Rex ut captivos ducat „ rebelles, Episcopus, ut emat captivos, redimat, & absolvat. Iste ut quieta nocte somnum ducat, ille nocte „ tota in laudibus persistat divinis.

(t) cap. 1. pag. 129. tom. 2. rer. italic.

Porro ad eundem Marinianum scribens Gregorius Magnus quem alibi allegavi, ea tradit, ex quibus intelligas tum mi-

„ minime desiisse sacras vigilias. (u) „ Præterea nec hor-
„ tor, nec admoneo, sed districte præcipio, ut jejunare
„ minime præsumas . . . Sed a vigiliis quoque temperan-
„ dum est.

(u) Epist. 28. lib. 9. indictio. 4. in edit. PP. S. Mauri 33. libri 11. indict. 4.

XIX. Similiter S. Isidorus junior lib. 1. officiorum cap. 22. vigiliarum antiquitatem prædicat, consuetudinem vero commendat maxime. Quod si verba, quæ Concilium Aquisgranense Ludovico Pio imperante celebratum, canon. 129. (x) & Rabanus lib. 2. Institutionis Clericorum cap. 9. Isidoro tribuere videntur, re vera ex Isidoro desumpta sunt; ex eo discimus inter hæreticos numerandos esse quosdam homines *superfluas existimantes sacras vigilias, & spirituali operi infructuosas, dicentes jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici græco nomine nyctages* (legunt alii nictazontes) *hoc est somniculosi vocantur*. Quod si postrema hæc citati capitis verba Isidoro demas, Concilio Aquisgranensi, & Rabano profecto non demes, ideoque iis Doctoribus, quorum testimonio, atque auctoritate sacræ vigiliæ octavo, & nono Ecclesiæ sæculo comprobantur.

(x) to. 9. Concil. pag. 486.

XX. Enim vero octavo labente sæculo Theodulphus Aurelianensis Episcopus vigilias ab omnibus celebrari voluit: dum capite 24. Capitularis, quod anno 797. editum fuisse plerique putant, direxitque ad Presbyteros Parochiæ suę, hæc eloquitur. (y) *Conveniendum est Sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad Ecclesias: conveniendum ad vigilias, sive ad matutinum Officium*.

(y) tom. 9. Concil. pag. 189.

XXI. Vigilias nono sæculo actas quis neget? quando quidem id manifesto traditur tum in libro Amalarii *de Ordine Antiphonarii* cap. 60. *de Vigiliis Apostolorum Petri, & Pauli* (quod quidem caput jam allegavimus) tum in capitulari Caroli Calvi, tit. 29. n. 13. (z)

(z) pag. 120. to. 3. operum Sirmondi.

XXII. Sæculo X. permansisse eundem morem Itatherius Veronensis Episcopus sæpe allegatus in Synodica Epistola haud obscure edocet hæc elocutus. *Omni nocte ad nocturnos surgite*. (a)

(a) tom. 1. Spicilegii Lucæ d' Acherii pag. 377. edit. Parisinæ an. 1723.

XXIII. Num ad decimum, an ad undecimum, aut potius ad duodecimum sæculum spectent, ea, quæ *de benedictione, seu receptione Canonicorum sæcularium ex antiquis Chartulariis, & Registris Ecclesiæ Parisiensis* se descripsisse affirmat optimus Martene, qui in priore editione ea inseruit tomo tertio, idest est postremo eorum, quos *de antiquis Ecclesiæ ritibus* inscripsit; (x) incertum habeo. Com-

(x) in editione postrema [num Mediolani peracta sit, num Antuerpię, hic discurrere opus non est] extant hęc to. 2. pag. 508.

Compertum tamen est mihi vigilias indici solemnioribus quibusdam festivitatibus. En verba ipsa, quibus id planissime intelligas (y) „ Media nocte psallunt cum cappis, „ & cappuciis nigris toto anni tempore, excepta septimana Paschæ . . . . Sed officium solemnius persolvunt circa occasum solis, cum lucernis, ac cereis accensis; ad quod fit major concursus fidelium, quia negotia per urbem peracta sunt: fitque ad illud officium „ mutatio cantus ad singulos psalmos, & in Dominicis, „ & in solemnioribus diebus, quando triplex facta est „ vigilia nocte præcedente. „ Sed quovis sæculo scripta sint illa, sane sacras vigilias etiam diu post sæculum decimum fuisse usitatas ex eo persuadeor, quod sæculo decimo tertio manifeste indictas videam.

(y) sub titulo de *Officio Divino diversis horis celebrando* pag. 102. tom. III. prioris editionis, postremæ vero 509.

XXIV. Duodecimo, aut fortasse tertio decimo sæculo vixisse videtur auctor sermonis olim 251. inter Augustinianos; de tempore (z) quippe ex eo libro Divinorum Officiorum, qui Alcuinum in fronte præfert (sed nisi nos virorum optimorum sententia fefellit, sæculo undecimo conscriptus est) verba aliqua exscribit. Hic vero auctor num. 3. palam ad sacras vigilias celebrandas Auditores hortatur. *Veniat ergo* (inquiens) *cuicumque possibile sit, ad vespertinam, atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non possit, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis.*

(z) nunc 280. in appendice.

XXV. Sane Ecclesiasticas vigilias post ea etiam in festivitatibus actas innuit Durandus(*) innuere etiam videtur Concilium Viennense anno 1311. coactum. (*) Indicat quoque ea Clementis constitutio, quę appellari solet *Clementina Gravi*: (*) *de celebratione Missarum*, cujus quidem verba, quod ad rem præsentem attinet, audire præstat. *Nonnulli etiam tam Clerici, quàm laici, præsertim in festorum certorum vigiliis, dum in Ecclesiis deberent orationi insistere, non verentur in ipsis, earumque cæmeteriis choreas facere dissolutas . . . . . . Convenienter, & debite celebretur divinum diurnum, ac nocturnum officium.*

(*) Ratio. div. Offi. lib. 6. cap. 7. n. 8.
(*) pag. 43. to. 15. Concil.
(*) in Clementi. lib. 3. tit. 14. de Celebrat. Missar. cap. 1.

XXVI. Sed cur hæc describere pergo, quando quidem id compertissimum faciunt Ecclesiastici ii libri, quos to. 2. Musæi italici edidit Clarissimus Mabillonius, & unum quemque eorũ *Ordinem Romanum* appellavit? Pauca ex iis referam, sed expressissima. Atqui in commentario præposito his libris hæc recitat Mabillon ex vetere historico. (a) *Gregorius III. item* sæ-

(a) pag. xlv.

institnit, ut in cæmiteriis circumquaque positis Romæ in die natalitiorum eorum, luminaria ad Vigilias faciendas, & oblationes de patriarchio per oblationarium deportarentur &c. In ordine Romano primo (*b*) hæc reperi. *Feria V. Cænæ Domini. Media nocte surgendum est, & tangitur signum.* (Ad quæ verba idem Mabillon hæc adnotat: *Ergo etiam hoc triduo Romani nocturnas vigilias faciebant media nocte*) & mox, nempe Sabbato Sancto. (*c*) *Media nocte surgendum est.* Vide etiam quæ præcipiuntur in appendice ad eundem Ordinem num. 4. (*d*) Numero porro octavo ordinis XI. (cujus quidem libri auctorem fuisse ait Benedictum B. Petri Canonicum, qui illum direxit *ad Guidonem de Castello tunc Cardinalem S. Marci qui post modum factus est* Cælestinus II.) hæc reperi. (*e*) *Hic prælibatus ordo debet esse in omnibus nocturnis stationibus Sancti Petri:* in diurnis *vero tantum quinque solidi. Sed Dominus Papa in nocturnis, & in diurnis accipit* XX. *solidos . . . . . Media autem nocte surgens audito signo Dominus Papa.* Et n.27. ejusdem Ordinis hæc traduntur (*f*) *In Epiphania statio ad Sanctum Petrum, ubi Dominus Papa cum tota curia cantat versus . . . . . . Nocte vero media surgit, & omnes ordines cum eo congregantur ad altare S. Leonis, ibique cum processione sicut prælibatum est, incensando altaria usque ad Corpus, ubi facit vigilias trium lectionum.* Num. 60. ejusdem ordinis XI. (*g*) hæc lego „ In Ascensione Domini statio ad „ Sanctum Petrum, ubi Dominus Pontifex cum Episcopis, „ Cardinalibus, Diaconibus & ceteris scholis debet canta- „ re Vesperas; &, sicut in nocturnis stationibus, media nocte „ surgere, incensando altaria; prius ad corpus vigilias cele- „ brare, deinde in choro ante altare-majus easdem vigilias incipere „. Similia traduntur num. 63. num. 66. nu. 69. & 70. in quorum postremo hæc habentur. *In festivitate S. Laurentii Dominus Pontifex in basilica ejus in agro Verano, ubi requiescit cum omnibus scholis facit Vesperum, & Officium per totam noctem.* His adde quæ num. 76. ejusdem libri, (*h*) & in additione ad eundem Ordinem ex codice Vallicellano occurrunt ad hunc quidem morem evincendum aptissima.

(*b*) pag. 19.
(*c*) pag. 24.
(*d*) pag. 32.
(*e*) pag. 122.
(*f*) pag. 130.
(*g*) pag. 147.
(*h*) pag. 152. & 153.

Perstitisse etiam Romæ tempore Alexandri III. vigilias sacras etiam pridie festivitatum Sanctorum comprobant excerpta ex libro *Petri Mallii Canonici S. Petri ad Alexandrum III. quem quidem librum idem Mabillon evulgavit* (*i*) in ipso quippe initio ejusdem libri hæc exgi-

(*i*) pag. 158.

tant. *Hæ sunt nocturnales stationes Sancti Petri. Dominica tertia adventus Domini, quæ dicitur de Gaudete. Epiphania Domini, Ascensio Domini, Pentecostes, festivitas S. Petri, & octava ejus, festivitas S. Andreæ.* Quid quod §. VII. aliàs num. 14. Ordinis Romani XII. qui a Cencio de Sabellis compositus creditur, hæc mire rem nostram confirmantia adinveni? *In Assumptione ejusdem Sanctæ Mariæ taliter fit. Dominus Papa etenim vadit ad Vesperas cum Cardinalibus: quibus cantatis, Dominus Papa ibi remanet, atque jacet; & in propria persona debet in nocte cantandis Vigiliis interesse.* Et paucis interjectis. *Summo mane Dominus Papa dicit Orationem, & celebrat Missam. Qua finita, revertitur ad palatium. Est notandum, quod sicut dictum est superius, ita fit in Vigiliis solemnitatum omnium patriarchatuum Urbis.* Consule etiam obsecro quæ traduntur titulo XLI. (*k*) titulo XLIII. titulo XLIV & titulo XLV. ejusdem libri: manifesto quippe ex his intelliges nocte præcedente festivitates sancti Petri, sancti Laurentii, & sancti Pauli Apostoli, & in dedicatione Ecclesiarum sanctorum Petri, & Pauli vigilias fuisse celebratas. Quin etiam ex eo Petri Amelii libro, qui ab eodem Mabillon evulgatus est, apertissime intelliges XIV. etiam sæculo (Urbani quippe VI. in eo libro sæpe fit mentio) a Pontifice & Cardinalibus sacras vigilias nocte præcedente solemniores festivitates fuisse actas. Adeat lector titulum CXI. CXX. & CXXVI., & tum sane indubitatam dictis meis præstabit fidem.

(*k*) alias n. 69.

XXIV. Atque etiam ad sacras vigilias comprobandas afferre commode poteris eos canones, & reliqua Ecclesiastica monumenta, in quibus psalmorum lucernariorum mentio fit. Igitur non modo commode adducetur Epiphanius, quem citat Petavius, (*l*) non modo Canon nonus Concilii primi Toletani, qui ab omnibus fere adducitur, (*) verum ii etiam, qui a Petavio afferuntur; ii quoque, quos in confirmationem laudati Canonis noni Concilii Toletani producit doctissimus Binius (*m*). Et his quidem satis revinci eos puto, qui, ut sæpe dixi, in ipso seculi quarti initio ab Ecclesia sublatas vigilias putant. An sublatum id dicere audebis, cujus tot ab eo tempore superfuerunt, tamque indubitata argumenta?

(*l*) in fine animadversionum ad Expositionem Fidei Epiphanii.
(*) tom. 2. Concil. pag. 1472.
(*m*) in notis ad eumdem Canonem pag. 1486. tom. 2. Concilior.

CAP.

CAP. XXIII.

Ea dissolvimus, quæ in ipso capitis superioris initio posita sunt.

I. AT evellamus est opus eos, qui fortasse nonnullorum animis inhærent scrupuli propter illa argumenta, quæ in superioris capitis exordio ex quorumdam sententia protulimus: Ad quæ, ut per ordinem respondeam, fateor equidem aliqua ex parte defiisse priscorum Christianorum pietatem, quando sublatis persecutionibus aucta Ecclesia populos plurimos in suum recepit sinum: scilicet defiere experimenta meliora, quibus eorum virtus probaretur. At non propterea fateor sublatam fuisse prorsus aut e Christianorum cordibus pietatem, aut ab Ecclesia priscos ritus. Ea quæ nuper adduximus hic repete, nullusque, ut arbitror, ea de re supererit hæsitationi locus. Cave vero putes hanc tantum fuisse causam, cur vigilias celebrarent antiqui Christiani, quod eos non finerent Imperatores convenire diurno tempore ad Ecclesiam. Alia nempe rationum momenta eos ad id agendum impellebant, quas quidem rationes commodius mox recensibimus. Cur vero fingis majorem Christianorum partem quarto, aut quinto sæculo adeo improbam fuisse, ut in scelus converterent sanctissimam institutionem: quando novimus plurimos sanctitate spectatissimos eo tempore floruisse? Eorum porro, qui vigiliis ad sui perniciem, & aliorum scandalum abutebantur causa rem optimam & jam pridem usitatam submovere noluerunt prudentissimi Patres: immo pro viribus abusus si qui irrepserant, sustulerunt, (a) & eos quos tollere non potuerunt, toleraverunt: sacras vero vigilias commendaverunt, & approbaverunt. Pulcre Hieronymus in Epistola ad Riparium, (b) & in peculiari libello contra Vigilantium scripto (c) ea de re differit, monens malorum causa non esse maxima pietatis occasione, summoque emolumento fraudandos probos. Venio ad Patres Eliberitanos.

II. Ais Patres Eliberitani Concilii vigilias ab Ecclesia propter quorumdam scandala exturbare studuisse. Id si ita est, eorum sententiæ reliquorum Ecclesiæ Præsulum

(a) Vide Augustini Sermonem 311. cap. 5:
(b) olim 53. nunc 109. n. 3.
(c) cap. 4. n. 10.

consensio minime accessit: maluerunt quippe Ecclesiæ Præsides, ea quæ tollere non poterant mala vigiliarum occasione enascentia tolerare, quàm vigilias ipsas abolere. At fortasse plurimum falleris quum arbitraris sacras vigilias ab eo Concilio prorsus fuisse interdictas. Diligentius obsecro objectum Canonem expende; tum porro intelliges sacras vigilias iis Patribus minime displicuisse. Vetuere quidem agi a mulieribus in cæmeteriis vigilias: at ne ullum quidem apicem indicas, quo constet jussisse etiam ne eæ a viris agerentur. Porro id mihi satis est, ne eorum auctoritate me flecti sinam, qui sacras vigilias Eliberitanis Patribus displicuisse asseverant. An displicuisse dices sacras vigilias Chrysostomo? Minime vero. Quis enim id displicuisse Chrysostomo dicet, quod adeo commendavit? Tamen referente Palladio (*d*) quantum actas a viris sacras vigilias is approbavit, tantum vigilias, quæ in Ecclesiis a mulieribus agerentur reprehendit, condemnavitque „ Hortabatur populos (inquit Palla„ dius) ut in nocturnis precibus assidui essent; horum„ autem uxores domi remanerent. „ Et hæc quidem objecto Canoni facilis, & valde probabilis solutio adhiberi potest. At quid si dicere audeam Eliberitanos Patres non prorsus a sacris vigiliis removisse mulieres, sed ab iis tantum vigiliis, quæ in cæmeteriis fierent? Si ergo in publicis Ecclesiis agerentur, ab iis minime arcebantur fæminæ. Num alienum a verisimili putas ea cæmeteria, quorum meminere hi Patres abdita quædam, & ambagiosa esse loca, ubi persecutionum tempore laterent, sacraque mysteria celebrarent Christiani? Profecto si hæc cæmeteria Romanis cæmeteriis similia erant, obtegendis, ideoque patrandis etiam sceleribus non leve commodum subministrare videbantur. Id Episcopi in eo Concilio coacti, ut Christianis eriperent, ab iisdem cæmeteriis nocturno tempore prohibuere mulieres, ne scilicet omnium oculis subductæ liberius peccarent. Audi quæ de Romanis cæmeteriis tradit Prudentius, & si (quod valde probabile est) (8) Romanis Hispaniæ cæmeteria similia erant, plane perspicis rectissime ve-

(*d*) in vita S. Joannis Chrysostomi cap. 5.

(8) Idcirco valde probabile reor Hispaniæ cæmeteria Romanis fuisse similia, quod ea cæmeteria, quæ in aliis etiam

vetuiſſe Eliberitanos Patres, promiſcuos fœminarum, & marium nocturno tempore conventus haberi.

Haud procul extremo culta ad pomaria (e) vallo
Merſa latebroſis crypta patet foveis.
Hujus in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores ſummo tenus intrat hiatu,
Illuſtratque dies limina veſtibuli.
Inde ubi progreſſu facili nigreſcere viſa eſt
Nox obſcura loci per ſpecus ambiguum,
Occurrunt celſis immenſa foramina tectis,
Quæ jaciunt claros antra ſuper radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde receſſus,
Arcta ſub umbroſis atria porticibus.
Attamen exciſi ſubter cava viſcera montis
Crebra tenebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea ſolis
Cernere fulgorem, luminibuſque frui. (f)

& de Eliberitana Synodo nolo plura.

III. Cur porro legem a Conſtantio latam objicis, cum ea procul dubio Paganorum vigilias reſpiciat? Nonne id etiam comprobat titulus, qui eſt de *Sacrificiis paganorum*? nonne id comprobat auctor? Magnentius nempe: (*Magnentio Auctore*) ideoque expreſſo dæmonum cultui addictiſſimus Imperator? (*) Nonne id denique eventus comprobat? An ignoras Conſtantinum, Conſtanrium, & reliquos Chriſtianos Imperatores ſacras vigilias frequentaſſe, eundemque Conſtantinum (g) peculiariter ornaſſe, (ut ita loquar) illuſtraſſeque vigilias, innumeris propemodum facibus accenſis, quibus nocturnæ tenebræ depellerentur?

IV. Jam vero aggredior objectos Canones duos Concilii Altiſſiodorenſis. Canon tertius vigilias in Eccleſia agi omnino non vetat; immo jubet, ſi quis votum habuerit, eum in Eccleſia vigilare. Vetat ergo fieri privatos fidelium conventus, vigiliaſque domi celebrari: *Non licet compenſos in domibus propriis, nec pervigilias in feſtivitatibus Sanctorum facere .... Sed quicumque votum habuerit in Eccleſia vigilet.*

Dd 2

(e) alii pomaria.

(f) Pruden. de Coronis hym. x. verſ. 153.

(*) Niceph. lib. 7. cap. 21.

(g) Vide Euſebium de *Vita Conſtantini*, lib. 4. cap. 22.

tiam regionibus, interdum reperta ſunt, haud abſimilia appa-ruerint Romanis cæmeteriis, quorum ambagioſas, obſcuras, & plurimas vias, deſcripſere clariſſimi viri Arringhius, Boſſius, & Buldetus, & nuper etiam Joannes Marangoni (*) eruditus, & accuratiſſimus ſcriptor.

(*) in eo libro quem inſcripſit *Acta S. Victorini illuſtrata &c.*

gilet. Vetat quoque fentibus, aut arboribus facrivis, aut fontibus vota fieri, fed matriculæ, aut pauperibus ea reddi præcipit: fufpicor autem matriculæ nomine indicari Ecclefiam Paræciæ principem: ad quam fcilicet ruftici, de quibus omnino videtur loqui, conveniebant: appellabatur autem matricula, tum ut ea fecerneretur a principe Urbis Bafilica, in qua Epifcopus refidebat: tum etiam ut fecerneretur a ruralibus Oratoriis, in quibus Parochus minime degebat. Alias quoque fuperftitiofas confuetudines ab Ecclefia eliminat, quarum exactiorem notitiam temporis vetuftas abftulit. En explicatio obfcuri illius Canonis. *Non licet compenfos &c.* Porro fidelium conventus, & ecclefiafticas vigilias in privatis domibus fieri merito vetuit: tum propter eas caufas, ob quas id vetuerat Gangrenfis Synodus, tum ut ea peccandi pericula fubmoveret, quæ in vigiliis, fi in privatis domibus fierent, multo plura, & majora occurriffent. Reliqua vero, quæ prohibet, merito prohibet, improba enim funt. Venio ad Canonem quintum.

V. Si ad quartum Canonem proxime præcedentem refpexere ii Patres, fuperftitionem palam complectebantur eæ vigiliæ, quas in honore Domini Martini deinceps Synodus agi non finit. Si ad primam partem Canonis tertii refpexerunt, eas in privatis domibus agi vetant. Scilicet *ea verba omnino & inter fupradictas conditiones* ita explico, ut fignificent omnino, fi fub prædictis conditionibus, ideft fi privatis in domibus, aut fuperftitiofe vigilias in honorem S. Martini agere velint; vos prohibete eas agi: neque enim Sancti devotione fuperftitioni immixta honorantur: fuperftitioni autem mirum in modum addictiffimos fuifse eos populos certa res eft: Quis enim ferat ea, quæ canone tertio, aut etiam ea, quæ canone quarto Synodus illa profcripfit? (*) *Non liceat ad fortilegos, vel ad auguria refpicere, non ad caragios, nec ad fortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut de pane faciunt afpicere, fed quæcumque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat*. En, me quidem judice, quem fenfum habeat celebratiffimus Canon V. Concilii Altifioderenfis. *Omnino & inter fupradictas conditiones, pervigilias quas in honore S. Martini obfervant, omnimodis prohibete*. Porro hanc rectam effe hujufce Canonis interpretationem, tum frequens vigiliarum ufus fubfequentibus etiam temporibus in Gallia retentus comprobat, tum præfertim crebræ vigiliæ in honorem S. Martini (ad eum enim procul dubio refpi-

(*) pag. 643. to. 6. Concil.

picit Synodus) approbante Ecclesia deinceps actæ. Consule ne cuncta referam, eos quatuor libros, quos Gregorius Turonicus *miraculorum S. Martini* inscripsit. Quippe sæpissime is meminit vigiliarum in honorem S. Martini sua ætate actarum. Atqui vixit ille extremis sæculi sexti annis, ideoque post celebratam Synodum hanc.

Ad hæc: Synodo huic, quæ diæcesana fuit, non provincialis, præfuit Aunacharius Altisiodorensis Episcopus, qui modo Concilii Matisconensis II. decretis subscripserat. Porro inter decreta Matisconensis secundi Concilii adest illud, quo sacras vigilias nocte dominicam diem proxime præcedente agere jubentur fideles, cui quidem Concilio utpote provinciali, immo potius ab universis fere Galliæ Episcopis celebrato minime obstitisse Aunacharium credibile est. Quin etiam vigilias Paschatis, Natalis, & aliarum solemnitatum & approbavit Altisiodorensis Synodus, & modum, quo agi illæ debeant præscribit. An non hæc tradit Canon XI? Non ergo vigilias omnes sustulit Synodus illa, sed tantum improbas sustulit.

VI. Aggredior nunc denique ea, quæ objecta sunt ex sermone 25. in eorum numero, qui inscribuntur: *Ad fratres in Eremo*, tributique sunt aliquando Augustino. Postremo loco de iis agere decrevi, ne miscerem germana vetustorum temporum monumenta cum lucubrationibus fictis, & temere Augustino suppositis. Consule, obsecro, quæ Patres Benedictini, & Pennotus (k) de horum Sermonum auctore, & stilo edocent. (i) Illud constat, neque multum antiquos esse eos, neque docto, nec probo viro horum aliquos esse adscribendos. Quis enim eum probum putet, qui fabulas Augustini obtentu venditet? Paucis itaque respondete errare horum sermonum auctorem, si putat vera esse, quæ narrat: mentiri si falsa noscens, narrat tamen. Quod ad rem nostram attinet; sane ex dictis constat *cassatas* minime fuisse ab Ambrosio vigilias. Nemo vero nostris temporibus se persuaderi sinit a nugaci hoc Scriptore, cujus auctoritas plane nulla est, nisi forte quis consuetudines aliquas tertii decimi sæculi, quo tempore vixisse hujusce sermonis auctorem simillimum veri est, ex eo discere cupiat.

(k) in peculiari libro quem inscripsit *Defensio Censuræ .. in Sermones ad Eremitas*.

(i) in admonitione præposita iis sermonibus, quos in appendice tomi sexti ediderunt. pag. 303.

CAP.

CAP. XXIV.

Agimus de tempore, quo sacris vigiliis impositus est finis.

I. NOstris temporibus *in Occidente* sacras vigilias a Monachis tantummodo frequentatas indubitata res est. Scilicet si vigiliam noctis Natalem Domini praeeuntis excipias, raris sane in locis Clerus saecularis eas agit: populus vero nullas omnino; nisi fortasse excipias eam vigiliam, quam servat Assisiensis populus nocte praeeunte festivitatem S. Francisci, & Lauretanus nocte praecedente quarto idus Decembris, qua quidem nocte Lauretum translatam ab Angelis fuisse eam sacram domum, quam olim Deipara Virgo incoluerat, veterum scriptis, & antiqua fama proditum est. Sane a Concilio *apud Pontem Audomari* anno 1279. celebrato Canone X. haec praescribuntur. (a) *Firmiter inhibemus, ne vigiliae, & choreae in caemeteriis, & sacris locis fiant: praecipientes, quod transgressores canonice puniantur.*

(a) pag. 607. to. 14. Concil.

II. Licet autem ita interpretentur nonnulli Canonem hunc, ut vigilias in caemeteriis, & extra templa in porticu templorum vetuerit agi Concilium hoc; plerique tamen prorsus sublatas ajunt Ecclesiasticas vigilias a Canone isto. Nimirum iis temporibus desiere re vera hae vigiliae: quod intelligimus ex variis monumentis eorum temporum. Nonne id indicat Sermo 25. *ad Fratres in Eremo*, quem quidem jam allegavimus? Nonne Gualterius Pictaviensis Episcopus anno 1280. eas saltem sustulit, quae a peregrinantibus fiebant? *Cum ex nocturnis vigiliis* (inquiens) *quae a peregrinantibus in Ecclesiis fieri consueverunt, plerumque contingat Ecclesias ipsas sanguinis, vel seminis pollutione faedari, & alia enormia committi.* (b)

(b) apud Thomassinum de Jejuniis part. 2. cap. 14. n. 12.

III. Saeculo subsequente celebratum est Concilium Palentinum apud Vallisoletum, anno scilicet 1322. cui quidem Concilio praefuit Apostolicae Sedis Legatus Guillelmus Sabinensis Episcopus. Porro in eo Concilio vigilias deinceps agi cap. 21. vetitum est. (c) *Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in Ecclesiis fieri aliquorum simplicium devotio introduxit, nefanda saepe, ac enormia sub hac boni specie committuntur, ipsas fieri de caetero firmiter probibemus.*

(c) pag. 264. to. 15. Concil.

IV. S.

IV. S. quoque Carolus Borromeus in prima Synodo Mediolani acta (*d*) omnino vetuit vigilias in Ecclesiis fieri, ea excepta, quæ agitur nocte præeunte Natalis diem. *Rector cujusvis Ecclesiæ pernoctationes, aut nocturnas vigilias in ea post hac nemini permittat, sed sub noctis horam Ecclesiarum fores claudat. Neque ullo pacto quemquam præter Sacerdotes admittat, nisi nocte Natalis Christi Domini cum Missa celebratur.*

(*d*) cap. 57. to. xxi. Concil. pag. 61.

V. Porro, quamquam nullo Concilii generalis, aut Romani Pontificis decreto vigiliæ desierint, immo noverimus Concilium Generale Viennense anno 1311. celebratum adnitente Pontifice Clemente studuisse, ut potius emendarentur, quàm ut tollerentur plane vigiliæ: quod ostendit Clementina *Gravi*: de *celebratione Missarum*, fere tamen desiere: nam si paucissima quædam exempla excipias; veluti Synodi Parisiensis (*e*) anno 1500. coactæ in qua vigiliæ Paschatis, & Pentecostes præcipiuntur: *Pernoctanter jejunare, & observare injungimus*: & vigilias adhuc agant Florentini Canonici, & fortasse alii pauci, non modo populus, verum etiam Clerus sæcularis a publicis vigiliis abstinet. Maluit scilicet Ecclesia, quoniam irritos conatus suos effecit populorum pravitas, neque antiquæ sanctitati restituere potuit vigilias sacras, bonos hoc emolumento privare, quàm improbis, & perditis hominibus nefariorum scelerum occasionem permittere. Enim vero sæculo ipso quintodecimo Nicolaus Clemangius Archidiaconus Barocensis tam improbe actas eas, de quibus agimus, vigilias narrat, ut nulla jam spes foret primorum sæculorum puritatem illis reddere. *Ex illa antiqua vigiliarum consuetudine plerique adhuc nostris temporibus in nonnullis præcipuis celebritatibus vigilias agunt, sed turpes, & erubescendas. Alii namque in templis ipsis cum impudicis carminibus choreas ducunt. Alii totis noctibus cum Dei in verbis singulis abnegatione, Sanctorumque injuriosa execratione ad talos ludunt &c.* Sed hac de re vide Clemangium ipsum sensa sua Michaelis Altisioderensis Episcopi auctoritate confirmantem: id enim quod de festivitatibus tradit ille, (*f*) haud incommode ad vigilias, quæ festivitates præeunt, tranferri potest. *Sanctæ memoriæ Michael Altisiodorensis Episcopus propter detestabiles insolentias, quas in diebus festis fieri videbat . . . . . . majorem longe partem dierum festorum synodalibus in illa Diœcesi edictis coli consuetorum a coarctatione observantiæ pia motus consideratione relaxavit: salutarius existimans, Deo-*

(*e*) apud Thomassinum de jejun. par. 2. cap. 14. n. 13.

(*f*) apud Thomassinum de Festis lib. 1. cap. xi. pag. 148. & 149.

Deoque acceptius vineam amputare, aut propagines ducere, quam inerti torpendo otio, crapulæ, & ingurgitationi, ceterisque maleficiis superius explicatis insistere. Id ipsum fere discimus a Beleto, aliisque probatissimis Scriptoribus, quos deinceps de jejuniis Sanctorum festivitates præcedentibus agentes, allegabimus.

VI. Propterea vero dixi in *Occidente* sublatas Vigilias, quia ut audivi, vigilias adhuc in festivitatibus observant Græci. Utinam diu servent, at eo spiritu servent, quo easdem vigilias Ecclesia instituit, & per plura sæcula Christiani veteres egerunt.



CAP.

CAP. XXV.

Ex adversariorum objectionibus desumpta occasione probas, ideoque etiam utiles fuisse vigilias sacras, & positivis argumentis, & objectorum solutione ostenditur: tum aliqua adjunguntur de precibus, & iis diuturnioribus præparationibus, in quas visi sunt Fideles mutasse vigilias.

I. AT ad eos etiam convertenda est oratio, qui de sacrarum vigiliarum vetustate, ac continuatione minime solliciti, earum probitatem impugnant; immo ex hoc ipso argumento facile Catholicos revinci ajunt, qui quaslibet consuetudines statim laudant, quas Ecclesia interdum usurpavit, aut sancti Patres commendavere. Vigiliæ nempe improbæ sunt, (ajunt isti, contenduntque) tam & si crebræ olim fuerint, easque interdum Patres multis laudibus celebraverint. Quis enim id improbum non judicabit, quod nefandis criminibus non modo occasionem, facilitatemque, verum etiam ansam quandam præbet, & tenebris suis ad ea veluti invitat, & allicit? Atqui vigiliæ, de quibus agimus, nocturnique conventus id re ipsa præstant. Cui enim ignotum est vetustum adagium?

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat, Liber, amorque metu:

Ad hæc: si probæ forent vigiliæ, eas minime sustulisset Ecclesia; quæ enim proba sunt, si quid illaudabilis in ea illabitur, emendat quidem, & corrigit, sed non tollit Ecclesia; ne scilicet dum zizania eradicare studet, evellat triticum, & malorum hominum causa bonos privet emolumento. Hæc adversarii.

II. At non propterea sentio minus probas eas esse vigilias, quas diuturna Ecclesiæ consuetudo comprobavit, Virorum sanctissimorum exempla, aliaque momenta sane non levia confirmarunt. Profecto optimi Doctores nostri eam in rem multa congerunt: aliqua equidem veluti suprema capita delibabo. Ut hic nihil dicam de utilitate, quæ populo in Ecclesia oranti summa provenit, consistamque in

ipsa vigiliarum inspectione; si de vigiliis iis loqueris, quæ diem statim subsequuntur; cum eæ propterea sint institutæ tum ut Deo agantur gratiæ ob concessum diei spatium, tum ut homo latebras cordis sui diligenter investiget, suaque opera perquirat, expendatque, & emendet si quid irrepsit emendationis indigum: Quis in dubium vertet, num probæ appellari debeant, an non, vigiliæ illæ, quæ harum rerum sanctissimarum profecto causa sunt institutæ? At habent etiam reliqua vigiliarum genera peculiarem aliquam pietatis formam, ob quam illas maxime commendes, & approbes. An non probabis vigilias eas, quæ sub mediam noctem incipiunt? Nimirum a media nocte diem, quæ viginti quatuor horarum integrum spatium complectitur, exordiri omnes fere consueverunt. Porro si tum vigilas Deum obsecrans, diei primitias illi offers, incipisque in ipso diei initio veneratione, cultu, atque obsequio promereri, ut is te impensius amet, tueatur, & beneficiis afficiat.

III. Vigilias vero, quæ auroram, aut ipsum solis ortum proxime præeunt, an non probas intelligis, quòd *solem ad Dei benedictionem* (*) *præveniens*, in eorum te collocas numero, quibus ut benedicat, *vigilat Deus*? Quamquam cui tandem persuadebunt probas non esse vigilias eas, ex quibus maxima emolumenta proveniunt? An non eæ vigiliæ hoc commodum nobis afferunt, ut exsequi nos faciant id, quod verbis illis tradidit Paulus (*) *orantes omni tempore, in spiritu*? Id sane mihi videtur innuere Basilius, dum num. 4. homiliæ in S. Julittam hæc ait. „ Tota igitur nox non sit velut peculiaris quædam, ac „ præcipua somni sors: neque patiare mediam vitæ partem inutilem tibi esse per somni soporem: sed dividatur tibi noctis tempus in somnum, & precationem: „ immo somnus ipse sit exercitatio pietatis . . . . Si orabis „ sine ulla intermissione &c. „. Ille sane sine intermissione orat, qui parum temporis somno indulgens, reliquam noctis partem in precibus ad Deum fusis impendit. An non iis pessimorum hostium tentationes præcavemus, prævenimusque scelestas artes, & dolos? Pulcre, ut solet, Leo magnus (*a*) *Vita hæc nostra* (inquit) *in medio insidiatorum, in medio præliorum est. Si nolumus decipi, vigilandum est, si volumus superare, pugnandum est*. Similiter Ambrosius (*b*) *Multa illo in tempore tentamenta proserpunt. Tunc fervet carnis illecebra; tunc tentator illudit; coquitur* ci-

(*) Sap. 16. 28.

(*) Eph. 6. 18.

(*a*) Serm. 1. de Quadrages. in serie Quesnellii 38. cap. 3.

(*b*) in psal. 118. v. 62. serm. 8. n. 45. & 46.

cibus, potusque digeritur, stomacus æger, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaque aut quiescenti calor soporis augetur, aut vigilanti nondum plenior refusus est vigor, qui errorum cavere possit incursus. Tunc igitur tentator assistit, tunc retia jacit, quibus turbare possit mentem improvidam. Tunc spiritales nequitiæ tenebras offundunt, tunc omne nefas suadere contendunt, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroris testis. Tunc varias disceptationes pectori dormitantis infundunt, ut primo de statu mentis dejiciant reluctantem, & impellant ad erroris assensum. En cur (ut iterum Ambrosii verbis utar) (c) *illo maxime tempore deprecari Deum, & propria debeamus deflere peccata: nec solum præteritis veniam postulare, sed etiam præsentia declinare, futuris cavere.* An non diuturna luce precibus ad Deum fundendis opportunior est nox, cujus quies, & alta silentia orantis animum non perturbant? *Bona est* (inquit Hieronymus, seu alter quisquis ille est auctor Epistolæ, aut fortasse sermonis *de observatione vigiliarum*) (d) *diurna meditatio, sed efficacior nocturna, quia per diem necessitates variæ obstrepunt, occupationes distrahunt mentem, sensum duplex cura dispergit. Nox quieta, nox secreta opportunam se præbet orantibus, aptissimam vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expeditum, collectum sensum, intentum hominem divinis conspectibus sistit.* An non etiam habet nox aspectus suos, & elegantissimam faciem; qua ad Dei laudes, & præconia invitat? Id sane res ipsa & Chrysostomus (e) adtestantur: *Non ideo* (inquiens) *facta est nox, ut totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc opifices, nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus. Surge & tu, & vide astrorum choream, profundum silentium, magnam quietem. Obstupesce Dei tui miram dispensationem. Purior tunc est anima, levior, subtiliorque tunc est, sublimia videt, & expedita est. Tenebræ ipsæ, silentiumque multum in compunctionem inducere sufficiunt. Si autem, & cælum videris, quasi innumeris interpunctum oculis, omni voluptate frueris statim concepta opificis sapientia. Inflectitur Deus nocturnis precibus, si quando tu quietis temporibus facias lamentatorum tempus.* Quid quod ipsa somni paucitas ad sapientiam, virtutemque assequendam plurimum prodest? Etenim si *tot tentationibus plena est terra, ut non immerito tota ipsa tentatio debeat appellari*, (Bernardum audis loquentem) (f) *pervigili circumspectione opus est, & oratione ne inducamur in eam.*

(c) Ibidem nu. 45.

(d) ex eo multa desumpsit Lupus de Oliveto in regula Monachorũ, sub titulo *de Vigiliis*, quam quidem Regulam *ex veris D. Hieronymi sententiis collectam fuisse* affirmat ille idem Marianus Victorius (in præfatione in eam regulam, pag. 219. edit. Plantini) qui in tom. 9. ideoque in appendicem rejecerat Epistolam hanc, seu sermonem quem in ea serie 36. loco invenies:

(e) hom. 26. in Acta Apostolo. n. 3.

(f) Sermon. 5. in Psal. *Qui habitat*; n. 5.

Tales Vigiliæ (inquit iterum Bernardus) (*g*) *abluunt nos a sordibus, quas contraximus per somnolentiam resoluti, dum oblivione quadam a via salutis intepuimus, ac torpuimus.*

(*g*) Serm. de *sex hydriis Spiritualibus*, in edit. Mabillonii 55. n.2. vol.2. pag. 472.

IV. Cujus quidem rei non eam tantummodo afferre poteris causam, quam vir Optimus olim tradidit (*h*) *Satietas somni* (inquiens) *mentem, sensumque hominis stupidum, ac pigrum reddidit, vigiliæ autem tam sensum, quam mentem subtiliorem, ac puriorem efficiunt*, ideoque percipiendæ divinæ voci aptissimam : verum etiam aliam me quidem judice validiorem. Deus scilicet, qui ab homine vinci non patitur, dum pariles, immo multo uberiores vices, ut ita loquar, diligentiæ, ac studiis nostris rependere, nostraque remunerari vult obsequia, tanto illi acceptiora, quanto Mundus somno mersus eorum est parcior; & promptius, & liberalius in vigilantes sua dona, ac beneficia dispergit. Ad hæc, & ad ea etiam, quæ Joannes Belethus cap. 21. libri quem de *Divinis Officiis* inscripsit, si quis respiciat, neque improbas ut puto, ideoque neque inutiles nobis sacras vigilias appellare audebit.

(*h*) Vitæ Patr. lib. 3. n. 2.

V. Jam vero dissolvis, quæ objecta sunt. Scilicet nox precibus Deo fundendis aptissima est. Quod si ea abutuntur nefarii homines, sibi tribuant, non Ecclesiæ, quæ probe intelligens Dei esse diem perinde, ac noctem, Deumque ipsum jussisse, laudes suas nocte cani, (*i*) divinis laudibus (quantum in illa est) noctes destitui noluit, iisque privari Fideles emolumentis, quæ ex sacris vigiliis proveniunt. Fateor porro tandem vigilias sublatas fuisse ab Ecclesia, sed ipsa eas sua sponte non sustulit, immo tum etiam frequentavit, quum aliqui iis abutebantur, noruntque omnes, iis quibus sacræ vigiliæ ob quorumdam crimina displicere cæperant, hæc reposuisse Hieronymum ,, . (*k*) Error ,, autem & culpa Juvenum; vilissimarumque mulierum, qui ,, per noctem sæpe deprehenditur, non est religiosis hominibus imputandus : quia & in vigiliis paschæ tale quid fieri ,, plerumque convincitur; & tamen paucorum culpa non ,, præjudicat religioni, qui & absque vigiliis possunt errare vel in suis, vel in alienis domibus. Apostolorum fidem Judæ proditio non destruxit. Et nostras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ non destruent : quin potius pudicitiæ vigilare cogantur, qui libidini dormiunt ,, . Tamen multorum crimina , quæ impedire se posse dif-

(*i*) *tuus est dies, & tua est nox*. Psal. 73. 16. *mandavit Dominus .... nocte canticum ejus*. Psal. 41. 9.

(*k*) n. 10. alias cap. 4. libri adversus Vigilantium.

diffidebat Ecclesia, nisi vigilias ipsas tolleret, eam vel invitam compulerunt, ut antiquissimum, & laudatissimum ritum aboleret, Deum scilicet imitata, qui muneribus, & gratia sua illos sæpe privat, qui iis abutuntur, nec margaritas ante Porcos projici permittit. Maluit itaque hoc commodo destitui bonos: quando iis alii non desunt modi, quibus jacturam hanc reparent, quàm videri se perditis, & ingratissimis filiis peccandi occasionem relinquere. Errant porro graviter ii, qui putant, aut abutentium crimina & vitium probro denique verti illius, qua abutimur, rei, aut id quod per se optimum est, & laudatissimum nulla posse ratione perverti, aut tolli. Quid præstantius obsecro, puriusque est Ecclesiasticis Sacramentis? tam & si aliqui non salutem & vitam ex iisdem, sed perditionem, mortemque percipiant. Quid excellentius jejuniis? Quid laudabilius precibus ad Deum fusis? quid denique sanctius Sacrificiis vero Deo oblatis? hæc tamen hominum malitia, & vitio sæpe inficiuntur, & noxia fiunt. Nemo etiam negat æneum illum serpentem, quem ex mandato Domini erexit Moyses (*) aliquo temporis spatio fuisse populo salutarem. Hunc tamen, quoniam superstionis occasio esse Judæis cæperat, multa cum laude contrivit, & perdidit piissimus Rex Ezechias. (9) Adeo verum est jure, meritoque posse tolli, abolerique, si eo abutantur populi, id quod primùm optimum erat, & ab improbitate alienissimum. Ceterum dum sacras vigilias sustulit Ecclesia, non id sustulit, cujus potissimum causa institutæ illæ erant. Quis enim audebit dicere, vetuisse illam, ne precibus, hymnisque, & psalmis se se ad festa pararent fideles? Porro cujus tandem rei causa sacræ vigiliæ institutæ erant, nisi ut preces, hymni, & psalmi dicerentur? Immo ne frauderentur emolumento, quod ex his percipiebant Fideles, ea procul dubio retinuit laudis, utilitatisque plenissima; tempus tantum modo immutans, & breve illud incommodum, quod vigiliis nocte ductis tolerabant iidem Fideles, in minus molestum, sed diuturnius tempus protrahens, dividensque. Hinc sane eam consuetudinem ortam reor, quæ multas jam provincias late possidet, ut detracta nocti oratio plurium dierum spatio reparetur, & ad-

(*) Num. 21. v. 8. 9. & seq.

(9) *Confregitque serpentem aneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum.* 4 Reg. 18, 4.

adaugescat. Nonnulli itaque 40. dies, 30. alii, 9. alii, 3. denique alii impendunt, quibus orationum frequentatione ad celebriores festivitates, ideoque ad Virginis Deiparę, & ad Sanctorum solemnitates se præparent. Quem quidem ritum jam pridem a fidelibus in festivitate Natalis Domini usurpatum approbavit, & approbat nunc Ecclesia, cupitque, ut latius propagetur. (10) Hoc scilicet modo id quod per vigilias assequi cupiebat, re ipsa assequitur, nihilque in ea consuetudine est, quod reprehensione dignum, aut periculo proximum sit.

Jeju-

(10) Optasse Ecclesiam, ut Fideles plurium dierum spatio solemniora saltem festa præveniant, facile assequimur ex quadragesima, & adventu: prima enim præparari Fideles voluit ad festum Paschatis diem, altero ad Natalem Domini celebrandum [& sane iis diebus, quibus Adventus clauditur præparari nos velle ad Natalem Domini diem expressissime indicant praeces eæ, quæ *post communio* appellantur Dominicæ primæ, & Dominicæ tertiæ Adventus: En illæ: *reperationis nostra ventura solemnia congruis honoribus pracedamus: hac divina subsidia a vitiis expiatos ad festa ventura nos praparent*:) atque ut in præparationibus ad Sanctorum festivitates consistam, norunt omnes usitatum perinde, ac laudatissimum Græcorum esse morem, ut multorum dierum abstinentia ad festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & rursus ad festum Assumptionis Virginis Deiparæ se præparent. Quamvis autem Latini omnes eum morem non observent: tamen non omnino hac in re desides fuisse eos, ex capite primo Concilii Saleguntisdianensis, quod deinceps referemus, recte conjicimus.

Jejunium, aliaque opera quæ *afflictiva* appellari mos est. Eleemosinæ quoque, quibus ad Sanctorum festivitates se præpararunt Fideles.

O*Rationi, cujus causa institutæ vigiliæ sunt, jure meritoque, dum se ad festa præparare studuerunt veteres Fideles, junxere jejunium. Etenim, ut verbis Bernardi utar,* (*) „ *Jejunium* „ *orationi devotionem, & fiduciam donat. Et* „ *vide quemadmodum sibi invicem jejunium, &* „ *oratio socientur, sicut scriptum est:* Frater „ adjuvans fratrem, ambo consolabuntur „ [*] *Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jeju-* „ *nium gratiam promeretur orandi. Jejunium ora-* „ *tionem roborat, oratio sanctificat jejunium, &* „ *Domino repræsentat.* „ *Tum hæc addit.* „ *Sub-* „ *levetur ergo jejunium penna quadam orationis.* „ Oratio justi, *ait Scriptura*, (*) penetrat cæ- „ los. *Sint ergo jejunio nostro, ut facile cælos* „ *penetret, alæ duæ, orationis scilicet, atque* „ *justitiæ*„ *Hæc porro nos de jejunio Sanctorum festivitates præeunte quæremus: traditionem, qua evincatur vetustas, & continuatio hujusce consuetudinis: causas, ob quas consuevimus: rursus causas, quibus tenemur jejunio solemniores Sanctorum festivitates prævenire: aliqua denique adjungemus de operibus quæ* afflictiva *appellamus, & de eleemosinis jejunio junctis. A prima, seu a traditione, qua evincatur vetustas, & continuatio hujusce consuetudinis, desumamus exordium.* CAP.

(*) Sermon. 4. in Quadragesima de *Oratione, & Jejunio* n. 2. vol. 2. pag. 105.

(*) Prov. 18. 19.

(*) Eccl. 35. 21.

CAP. XXVI.

Veterum testimonia usque ad Gregorium Magnum proferimus, quibus ostenditur, antiquam, & jugiter retentam fuisse eam consuetudinem, quam nunc etiam servamus: ut solemniora Sanctorum festa jejunio præveniamus.

I. VEtustissimum esse eum morem quo solemniora sanctorum festa jejunio prævenimus, ex eo intelligimus, quod quarto ipso Ecclesiæ sæculo hæc jejunia essent frequentata, nec eorum tamen origo comperta foret. Antiquiora ergo quarto ipso sæculo videntur esse, & fortasse ad Apostolica usque tempora referenda. Utcumque sit, vetustam sane eam consuetudinem esse innuit Bernardus, sermonem *in vigilia Sancti Andreæ* sic exordiens: *Sanctorum festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votivis præveniendа jejuniis: utiliter plane &c.*

II. Quod si testimonia ipsa expressa proferri vis, obsequor libens, & aliqua e multis adduco. S. Ambrosius (*a*) hanc consuetudinem indicat, dum hæc eloquitur: „ Videor mihi audire dicentem Petrum: *Præceptor per* „ *totam noctem laborantes nihil cœpimus.* Nox fuit: pau„ ciores ad vigilias convenerunt. Laborat in nobis Pe„ trus, quando nostra laborat devotio; laborat & Pau„ lus . . . . . Nolite facere, ut pro vobis labo„ rent Apostoli. Ergo dicunt ei: Per totam noctem la„ borantes nihil cœpimus. Nullus certe de ditioribus je„ junavit. Quibus hodie bene respondit Petrus. *In ti*„ *more hoc incolatus vestri tempore conversamini, scientes,* „ *quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti e*„ *stis &c.*

(*a*) in libro de Virginitate cap. 19. n. 125.

III. Paulinus Nolanus Episcopus jejunium agere consuevisse fideles pridie festivitatis S. Felicis palam edocet, his versibus. (*b*)

Nostis eum morem, quo jejunare solemus
Ante diem, & sero libatis vespere sacris
Quisque suas remeare domos; &c.

(*b*) Poemate 23. alias 22. carm. 7. in natali S. Felicis, vers. 111.

IV. In illo vero Sacramentorum libro, quem S. Leoni tribuit Clarissimus Joseph Blanchinus, habetur Missa vigiliæ S. Joannis Baptistæ; Præfatio vero ejusdem Missæ hæc pro-

ponit. (c) *Vere dignum exhibentes solemne jejunium, quo Beati Joannis Baptistæ natalitia prævenimus &c.* Missa quoque recitanda in jejunio præeunte festivitatem Apostolorum Petri, & Pauli, (quod etiam innuit liber Sacramentorum Gelasii editus a Venerabili Cardinale Thomasio, ubi eadem Oratio extat) (d) hæc subministrat. *Munera Domine tuæ glorificationis offerimus, quæ tibi pro nostris grata jejuniis, eorum quæsumus deprecatio quorum solemnia celebramus,* (*prævenimus* Codex Gelasii habet) *efficiat.* Pagina quoque 53. colu. 2. hanc Præfationem invenimus. *Vere dignum. Qui per cultum nominis tui, venerationemque Sanctorum nobis remedia mirabiliter operaris: hoc ipso namque jejunio, quo (e) Beati Apostoli tui Andreæ festa prævenientes, oculis tuæ majestatis offerimus, simul & continentiam salutarem capiamus mentis, & corporis &c.* Quid quod ad Martyrum etiam festivitates se jejunio parasse Fideles, ex hisce præfationibus discimus? *In libro* illo Sacramentorum quod Leoni tributum diximus, (*) hæc occurrunt. *In jejunio.* „ Vere dignum, quia tu es mirabilis in o-
„ mnibus Sanctis tuis, quos & nominis tui confessione pre-
„ claros, & suscepta pro te fecisti passione gloriosos: unde
„ sicut illi jejunando, orandoque certarunt, ut hanc possent
„ obtinere victoriam; ita nos potius, quæ exercuere, se-
„ ctantes, convenientius eorum natalitia celebramus. „

(c) pag. 19.

(d) Vide pag. 156.

(e) sic emendatur in margine, cum in Præfatione ipsa legeretur *quod*.

(*) pag. xxv.

V. Quod porro libro illi Sacramentorum peculiare non est. Etenim etiam liber Sacramentorum a Venerabili Cardinali Thomasio editus, & Gelasio tributus plurima in rem nostram monumenta subministrat. Ut nihil hic dicam de Missa in vigilia sanctorum Gervasii, & Protasii; nihil de Missa Sancti Joannis Baptistæ, aliisque non paucis, in quibus expressa non fit jejuniorum mentio, (cum tamen Petrus Damiani deinceps allegandus testetur Ecclesiam consuevisse vigiliis jejunium jungere) sane jejunia memorantur in Missa (*f*) Vigiliæ Martyrum Joannis & Pauli: rursus in vigilia Apostolorum, Petri, & Pauli; (*g*) nam in precibus, quæ vocantur *Secreta*, seu *Secretæ*, sic orat sacerdos. (*h*) „ Munera Domine tuæ glorificationis of-
„ ferimus, quæ tibi pro nostris grata jejuniis, sanctorum
„ Apostolorum quæsumus deprecatio, quorum solemnia
„ prævenimus, efficiat. „ Etiam in Missa celebranda in vigilia S. Andreæ hæc extant. „ (*i*) Reverentiæ tuæ
„ dicato jejunio gratulantes: quo Apostolica Beati An-
„ dreæ merita desideratis prævenimus officiis, & ad eandem

(*f*) pag. 156.


(*g*) pag. eadem.

(*h*) pag. 156.

(*i*) pag. 178.

„ dem celebrandam solemniter præparemus.

VI. Sed multo uberiora subministrat liber Sacramentorum ab Hugone Menardo evulgatus, & Gregorio Magno tributus. In præfatione Missæ celebrandæ in vigilia S. Joannis eadem leguntur, quæ ex libro Sacramentorum S. Leonis descripsimus. Eadem quoque, quæ in Codice Gelasiano (ideoque, uti diximus, eadem fere, atque in S. Leonis Codice) extant in Missa vigiliæ Sanctorum Petri, & Pauli. Præfatio porro Missæ celebrandæ in vigilia sanctorum Simonis, & Judæ hæc proponit. *Vere dignum . . . Unde sicut illi jejunando, orandoque certaverunt, ut hanc possent obtinere victoriam, ita nos eorum exemplis informemur, ut ad celebranda præsentia festa idonei inveniamur &c.*
In Præfatione Missæ celebrandæ in vigilia S. Andreæ hæc leguntur. *Vere dignum . . . Ut qui Beati Andreæ Apostoli festum solemnibus jejuniis & devotis prævenimus officiis &c.* His adde preces eas, quæ in eodem libro in Missis vigiliarum Apostolorum, Martyrum, Confessorum dicendæ præscribuntur: sæpissime quippe in iis jejuniorum fit mentio.



CAP.

CAP. XXVII.

Idem argumentum prosequimur, afferimusque testimonia desumpta ex Petro Damiani, ex libro Sacramentorum a Romana Ecclesia adhibito, & ex Missali Ambrosiano. Ad eandem consuetudinem comprobandam adducimus morem sumendi Eucharistiam vespere proxime præcedente solemniores Sanctorum festivitates.

I. POrro ex hactenus dictis non modo ostendimus antiquam esse, verum etiam diu retentam consuetudinem, qua Sanctorum festivitates jejunio præveniuntur. Nimirum ex quarto, quinto, sexto, & septimo sæculo hujusce moris monumenta allegavimus. Uberiora subministrarent iidem libri Sacramentorum, si (quod putavit Petrus Damiani, qui magna tum sanctitatis, tum doctrinæ fama undecimo Ecclesiæ sæculo vixit, (11) & quod fieri omnino præcipit Concilium Epfordiense, cujus verba mox afferemus) perpetuo, & ubique servatum fuisset, ut sacras vigilias jejunium comitaretur. Nimirum novimus ad sæculum usque decimum tertium, fortasse etiam decimo quarto ipso celebratas fuisse vigilias nocte solemniores Sanctorum festivitates proxime præcedente: mos tamen iste non ubique terrarum servatus est; & sane ex Gregorio Turonico discimus in Galliis (*) actas fuisse sine jejunio vigilias sacras.

(*) lib. 10. histor. cap. 31.

 II. At

(11) Petrus Damiani epistola 35. libri 6. (*) hæc tradit ,, Epiphaniarum quoque vigilias ob magnitudinem solemnitatis . . . dignum est jejunare. Cur itaque vigilias nominat (Gregorius Magnus) in quibus ciborum libertatem censura jejunii non castigat? Et cum vigiliarum Missæ semper hora nona ex Ecclesiastica consuetudine celebrentur, ut nimirum ad subsequentis diei videantur solemnia pertinere, cur hæc Vigiliarum Missa dicatur, quæ hora tertia scilicet ante prandium celebrata nequaquam sequenti diei militare conspicitur? Perquirant igitur manducones nostri totius annalis circuli singulos dies, & cum nusquam repererint vigilias dici, in quibus Missæ debeant absque jejunio celebrari, necessario fateantur in vigiliis Epiphaniæ cum celebratione Missarum, celebrandum quoque, remota omni dubietate, jejunium.

(*) pag. 313. to. 1. edit. Rom.

II. At eandem continuationem alia argumenta, fortasse firmiora, ostendunt. Nimirum in Ecclesia Romana, cujus exempla, ritusque non modica Italiæ pars sequebatur, liber Sacramentorum a Gregorio Magno vulgatus adhibebatur. Porro in eo, uti nuper vidimus, jejunia Sanctorum festivitatibus præposita indicantur in Missis, quæ in Sanctorum Vigiliis recitandæ præscribuntur. Multam quoque Italię partem Ecclesia Mediolanensis habebat subditam, ideoque, nisi fallimur, consuetudines illius, ritusque aliqua saltem ex parte servantem. Porro in Missali Ambrosiano jam pridem adhibito, & quod anno 1560. typis vulgatum apud me habeo, eæ Missæ, quæ in pervigiliis Sanctorum celebrandæ præscribuntur, jejuniorum sæpe mentionem faciunt. Hoc modo Missa recitanda in vigilia S. Joannis Baptistæ eadem proponit in Præfatione, quæ proponit liber Sacramentorum Leonis Magni, quem modo allegavimus. In eodem etiam Missali in Missa, quæ recitanda præscribitur in vigilia unius Pontificis eadem Præfatio est, atque in libro Sacramentorum Gregorii Magni, ideoque hæc continens. *Et majestatem tuam suppliciter exoramus, ut qui Beati Sacerdotis, & Confessoris tui festum solemnibus jejuniis, & devotis prævenimus officiis, illius apud te, & adjuvemur meritis, & instruamur exemplis.*

III. Quod si ipso vigiliæ die plerique Eucharistiam, sed vespere tantum sumebant, (quod multi affirmant) (12) procul dubio jejunium servaverint oportebit, cum jejuni tantum Eucharistiam Fideles sumerent.

CAP.

(12) Hunc ritum proponere videntur non pauca vetera monumenta, veluti natale septimum S. Felicis a Paulino lucubratum in iis versibus, quos nuper retulimus.

Nostis eum morem, quo jejunare solemus
Ante diem, & sero libatis vespere sacris
Quisque suas remeare domos &c.

& multæ preces in libro Sacramentorum S. Gregorii a Vigiliarum Missis propositæ, veluti in Missa recitanda in nocte S. Laurentii oratio inscripta *ad Complendum*. En illam. *Supplices te rogamus Omnipotens Deus, ut quos donis cælestibus satiasti, intercedente B. Laurentio Martyre tuo perpetua protectione custodias*: Et fortasse preces, quæ inscribuntur *ad Complendum* tam in vigilia Simonis, & Judæ, quàm in vigilia Sanctorum omnium, & Andreæ Apostoli.

CAP. XXVIII.

Allegamus quoque expressa ipsa verba Nicolai Magni Romani Pontificis, Concilii Erpfordiensis, aliaque probabilia tum Conciliorum, tum Patrum testimonia. Quædam denique consectaria ex his monumentis eruimus.

I. AT si alia adhuc cupitis monumenta Ecclesiastica, quibus mos hic comprobetur, afferam equidem, illaque & perspicua, & multa. Nicolaus, qui sæculo Ecclesiæ nono multa cum laude Romanam rexit Ecclesiam in responsis *ad Consulta Bulgarorum* (*a*) antiquam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, qua solemniora quædam ideoque Sanctorum etiam præcipua festa jejunio prævenirentur, his verbis indicat. „ Quot temporibus vel „ diebus in circuitu sit anni a carnibus abstinendum, „ nunc vobis, qui rudes estis, & in fide quodammodo „ parvuli, superflue ducimus exponendum . . . jejunio post Pentecostem, jejunio ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Dei genitricis, & semper virginis „ dominæ nostræ Mariæ, nec non jejunio ante Natalis „ Domini nostri Jesu Christi festivitatem: quæ jejunia „ Sancta Romana suscepit antiquitas, & tenet Ecclesia. „ In sexta vero feria omnis hebdomadæ, & in cunctis, „ vigiliis insignium festivitatum a carnium esu cessandum, „ & jejuniis incumbendum. „

(*a*) cap. seu responso quarto tom. 9. Concil. pag. 1536.

II. Audi etiam quæ tradit Concilium Erpfordiense primum (*c*) „ Ut deinceps natalitia duodecim Apostolorum summa veneratione solemniter celebrentur. Et in „ vigiliis antiquitus statutis, atque hactenus ab antecessoribus nostris servatis, jejuniorum vota omni diligentia persolvere decernimus: quia quos cælitus sublimioris meriti scimus, hos & amplioris dignitate honoris „ a nobis colendos esse non dubitamus „. Similia his sunt, quæ Burchardus (*d*) ex capite primo Concilii Aurelianensis excerpit, quæque hic describere valde conveniens est

(*c*) anno 932. celebratum. can. 1. tom. XI. Concil. pag. 809.

(*d*) lib. 13. decret. cap. 16.

est „ Presbyteri cum sacras festivitates populo annun-
„ ciant, etiam jejunium vigiliarum eos omnimodis ser-
„ vare moneant. „ Etenim ad sanctorum vigilias edictionem istam respicere indicat titulus capitis: quippe inscribitur *de vigiliis Sanctorum*.

(e) tom. XI. Concil. pag. 1072.

III. An vero contemnes id, quod Concilium Enhamense anno 1009. in Anglia celebratum Canone 15. (e) his verbis præcipit? „ Genitricis namque Domini no-
„ stri, almæ videlicet Mariæ festa solemnia, primo cum
„ jejuniis, & postea cum suavissima melodiarum canti-
„ lena honorifice ab omnibus celebrentur solemniter.
„ Festa quoque Apostolorum cunctorum similiter cum
„ jejuniis, concentibusque spiritualibus summopere colen-
„ da sunt.

(f) ann. 1012. coactum: cap. 1. to. XI. Concil. pag. 1130.

IV. Hoc idem iterat, præcipitque Concilium Selegunstadiense (f) „ Ut quatuordecim dies (inquiens) omnes
„ Christiani ante festivitatem Sancti Joannis Baptistæ in
„ abstinentia sint carnis, & sanguinis, nisi infirmitate
„ impediente, aut alicujus festi solemnitate, quæ in illo
„ Episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante Na-
„ tivitatem Domini similiter, & in vigilia Epiphaniæ,
„ & in omnibus vigiliis Apostolorum, & in vigilia As-
„ sumptionis S. Mariæ, & in vigilia S. Laurentii, nec
„ non etiam in vigilia omnium Sanctorum: adjicientes
„ prædictis vigiliis unam horam refectionis excepta infir-
„ mitate, nisi aliquis sit, qui proprio voto majori absti-
„ nentia uti velit.

(g) lib. 6. Epist. 35. pag. 314. tom. I. edit. Romæ. 1606.

(h) pag. 315.

V. Simillimum autem veri est ad hos Canones, aut certe ad affines alios respexisse Petrum Damiani, dum eos reprehendit, qui pridie festivitatis Apostolorum Jacobi, & Philippi minime jejunabant. *Plerique fratres* (inquit) (g) *dum jejunare in Apostolorum Philippi, & Jacobi vigiliis perhorrescunt, solemnitatem Pentecostes in excusationem suæ dissolutionis opponunt*. Hos vero, & quotquot aut Matthiæ, aut Bartholomæi vigilias cum jejunio agere recusabant, repellit his verbis. (h) *Absoluta siquidem est auctoritas Canonum, quæ generaliter præcipit omnes Apostolorum vigilias celebrari*.

VI. Ejusdem consuetudinis monumentum aliud præbet Bernardus, sermonem in vigilia S. Andreæ Apostoli sic exordiens. *Sanctorum festa præcipua Patrum sanxit auctoritas prævenienda jejuniis: utiliter plane &c.*

VII. Ea-

VII. Eadem fere tradit sive Alcuinus, sive sub Alcuini nomine latens auctor libri *Divinorum Officiorum* quisquis ille est, (a) hæc elocutus. „ Ad quod signandum „ præcedentibus eadem natalitia diebus, quas vulgo vi- „ gilias eorum appellamus, solito parcius vescentes ea- „ dem solemnia debitis jejuniorum obsequiis, & macera- „ tione carnis devote prævenimus, ut per pridianam „ purificati abstinentiam dignius celebremus sequentis fe- „ sti lætitiam.

(a) cap. 18. pag. 255. tomi x. Bibl. Patr.

VIII. Æqualis Scriptoris hujus fortasse fuit Alexander III. sapientissimus Pontifex; Hic interrogatus num bissextili anno poni deberet dies intermedius inter diem, qui diceretur pridie festivitatis S. Matthiæ, & festivitatem ipsam: quo quidem die interposito jejunium fideles agerent: num vero jejunium celebrari deberet in ipso quoque bissexto anno pridie festivitatis, hęc respondet. (b) *Festum vero Beati Matthiæ juxta consuetudinem Ecclesiasticam vigilia eatenus præcedat, ut nec pro bissexto, nec pro quolibet alio modo inter se, & solemnitatem aliam diem admittat: in qua utique vigilia, nisi venerit in Dominica, jejunium celebretur.*

(b) in lib. 5. decretal. de verbor. significat. tit. 40. cap. 14.

IX. Cur vero hic non afferimus Joannem Belethum Alexandri tertii æqualem, & Theologum haud contemnendum? Hic sane capite undecimo libri illius, quem de *Divinis Officiis* inscripsit, non modo moris illius, de quo agimus, meminit, eas etiam commemorans festivitates, ad quas devotione moti iejunio Fideles se præparabant, non modo illum commendat & approbat, verum etiam causas recenset, ob quas nonnulli Fideles singulas Apostolorum festivitates jejunio non præveniebant: Illius verba, ut pote multa ad paginæ calcem rejicio. Ea consulat, si vult, lector. (13)

X. Haud

(13) „ Proinde jejunium dispensationis est, quod in magnarum „ solemnitatum vigiliis fieri dicitur. Solebant enim majo- „ res nostri illa nocte, quæ proxime festum præcedebat, „ vigilare, unde & vigilias appellabant dies festa proxi- „ me præcedentes, ad quas conveniebant juvenes, & puel- „ læ, cantores, & lusores, sicut adhuc fit in plerisque re- „ gionibus, ut in Pictavia, præcipue in festis patronorum „ ecclesiarum. Sed quoniam multa inde nascebantur in- „ commoda, institutum fuit, ut in locum vigiliarum succe- „ derent jejunia, ut eo demum modo comessationes super- „ fluæ, & ebrietates, quæ crebro contingebant, tolleren- „ tur

X. Haud ita multo post Innocentius III. doctrinæ & rerum gestarum fama clarissimus Pontifex vixit. Hunc interrogantes Clerici S. Petri Magalensis, seu ut alii legi volunt, Megalensis: (c) „ Utrum si nativitatem Domini, „ vel Assumptionem Beatæ Mariæ, vel festivitatem alicujus Apostolorum in feria secunda contigerit evenire, „ die

(c) lib. III. decret. tit. 46. de observatione jejuniorum. cap. 1.

„ tur e medio. Quod in ea forma ab Ecclesia ita dispensatum accepimus. Si quis tamen jejunaret, & vigilaret, is utique haud male faceret. Nihil enim vetat bonum duplicare. Dicitur autem hujusmodi institutio, dispensatio, quasi in diversis (ut sic loquar) pensatio. Nam jejunium hoc fuit introductum in compensationem vigiliarum, quæ idcirco fuerunt abrogatæ, ne crebræ illæ comessationes, atque ebrietates post hac fierent. Aliquando tamen & canonici rigoris est dispensatio justa de causa ab eo, cujus interest, facta relaxatio, quemadmodum etiam in hoc loco. Viderunt enim, quod melius erat jejunare, quàm vigilare. Jejunium porro devotionis est, si quando quis sua sponte jejunat, ut in vigilia Beati Martini, & Beati Nicolai. Jejunium paritatis est, quum in vigilia Sancti Jacobi, Bartholomæi, & aliorum Apostolorum jejunamus, quibus ut jejunaretur, statutum non est. Facimus tamen ex eo, quod omnes Apostoli in meritis, ac præmiis pares sint. Quorum enim merita æqualia sunt, necessarium plane est, ut eorum animæ in cælis sint æquales. Ob quam sane causam Ecclesia consideravit dignum esse, ut pariter omnes jejunia haberent. Ex Apostolis autem sex tantum jejunium habent institutionis, quorum item quatuor quum conjunctim jejunamus, quatuor dumtaxat in universum existunt Apostolorum jejunia. Num Petrus, & Paulus unum communiter obtinent, quoniam eodem die passi sunt. Sic Simon, & Judas, qui ita simul duo jejunia efficiunt. Tertium habet Matthæus, & quartum Andreas. Cur vero his, & non etiam aliis jejunamus, ratio in promptu est. Ut hoc enim fieret in eorum vigiliis, ideo Sancta Ecclesia statuit, quod sicut illi pro Christi nomine passi sunt, & nos quoque aliquo saltem modo cum eis patiamur, si beate cum eis vivere optamus. Eadem ratione etiam de aliis Apostolis instituisset, nisi aliud quidpiam impedimento fuisset. Impedimenta autem sunt hæc: Festum Philippi, & Jacobi, quod ipsis Kalendis Maii habemus, quæ semper sunt inter Pascha, & Pentecosten, quod sit tempus lætitiæ & gaudii, jejunandum non est. Nec obstant jejunia, quæ in diebus letaniarum, sive rogationum occurrunt, cum ea ob

„ a-

,, die Sabbati præcedenti vigilia debeat jejunari : & utrum in vigilia B. Matthiæ Apostoli sit jejunium injungendum, hoc retulere responsum. *Die Sabbati festivitatem prælibatæ secundæ feriæ præcedentis, & Beati Matthiæ Apostoli debet vigilia jejunari*.

,, aliam fiant necessitatem, ut patebit dilucidius in sequentibus. Nam & tum jejunatur ab aliquibus propter Spiritus Sancti expectationem. Jacobus Zebedæi ab Herode obtruncatus est in diebus azymorum, ita ut neque jejunium habeat, neque illi festum celebrari possit. Festum namque ejus, quod septimo Kalendas Augusti observatur, non fit respectu illius passionis, aut mortis, sed translationis. Tunc enim illi primo dedicata est Ecclesia in Hispania, ut plenius ostendetur eo in loco, quo ejus festum attingemus. Quod autem non jejunatur Bartholomæo, cujus festum est octavo Kalendas septembris, aliud est impedimentum. Fertur enim uno die fuisse excoriatus, & altero obiisse, quamquam in legenda, seu vita ejus illud minime habeatur. Quod si ergo ita sit, necessarium foret, ut ejus vigilia secundo die ante festum coleretur, quod esset contra normam aliorum jejuniorum festivorum. Ut Beato Thomæ jejunetur, non oportet, quia festum ejus est in Adventu Domini, in quo quasi continuum jejunium debemus observare. Barnabas propterea non habet jejunium, quod non sit ex numero Apostolorum. Nec profecto dicitur Apostolus, nisi quod, cum erat Pauli socius, ut ceteri, ad prædicandum missus sit. Unde illud: (*) *Segregate Barnabam, & Paulum*. Matthiæ ideo non est institutum jejunium, quia festum ejus in Quadragesima frequentius solet contingere, quando alioqui semper jejunatur. Vel etiam ob eam rem, quod ex primitivis Apostolis non fuerit, sed post Christi passionem per aliorum electionem loco Judæ substitutus. De quo dicitur. (*) *Et Episcopatum ejus accipiat alter*. Festum denique Beati Joannis Evangelistæ semper celebratur tertio die post nativitatem Christi, quo jejunare non licet propter dies festos. Nihil interim vetat, quo minus omnium Apostolorum jejunia possint celebrari. Optime enim fecerit, qui jejunaverit, sicut in vigilia Beati Jacobi septimo Kalendas Augusti jejunant hi qui ipsum colunt. Sed istius modi jejunium vocatur paritatis, quod secundum merita suscipitur: non institutionis.,, Hactenus Beleth, cujus universa fere verba describit Durandus (*) Multo severiorem tamen disciplinam servari optaverat Petrus Damiani epistola 35. libri sexti, ad quam quidem te allego. (*)

(*) Act. 13.

(*) Act. 1. Ps. 108.

(*) Ratio. Divin. Offic. lib. 6. cap. 7.

(*) to. 1. pag. 32.

Idem Pontifex Episcopo Bracarensi de jejuniis Sanctorum festivitatibus præpositis Pontificem consulenti hæc reponit. „ (d) Vigiliæ sunt in observatione jejunii celebrandæ præter „ vigilias Apostolorum Philippi, & Jacobi, & Beati „ Joannis Evangelistæ: quoniam ipsorum solemnitas intra „ solemnitatem Paschalem; istius autem intra natale Do- „ mini celebratur . . . De festivitate vero Beati Bartho- „ lomæi Apostoli, de cujus celebratione dubietas oritur „ apud quosdam, respondemus, quod in hoc consuetu- „ dinem tuæ regionis observes.

(d) Ibid. cap. II.

XI. Sanctiones quasdam a Galliæ Episcopis his simillimas aliquando editas edocet Thomassinus, ad quem te amando. (e)

(e) par. II. tract. de Jejuniis cap. 14. n. XL.

XII. His si domesticum, & nondum typis editum monumentum adjungam, vereor ne quis mihi succenseat, quasi privata perquiram, qui publicis testimoniis abundo. Addam tamen, ne illud videar parvi facere. Audi itaque quid nuper codices Bibliothecæ nostræ diligentius perquirens forte reperi in eo cæremoniali, quo olim utebantur Canonici Regulares S. Andreæ de Musciano diœcesis Florentinæ, quorum quidem ædes, & prædia, quæ diu obtinuit Congregatio nostra, repente adversum nobis fatum eripuit. Capite septimo libri septimi post recitata verba ex sermone S. Ambrosii (si Ambrosii tamen is sermo est (*)) deprompta, hæc adjunguntur „ Ex qui- „ bus colligitur, quod eorum Sanctorum, quorum cele- „ bramus festivitates, vigilias etiam devotissime percola- „ mus; quia Mediolanensis Ecclesia ex institutione S. Am- „ brosii facit: videlicet quorum solemnia agit, eorum „ vigiliam in jejunio prævenit. „ Eodem spectant verba capitis XI. quæ quidem describere hic libet. „ Apo- „ stolorum omnium, quorum vigiliæ ab Ecclesia celebran- „ tur, videlicet quorum festa in nativitate Domini, vel „ a pascha usque ad Pentecosten non eveniunt, eorum vi- „ gilias cum jejunio . . . celebramus. Similia inculcat, cum de festivitate S. Laurentii agens hæc tradit „ Vigilia S. Laurentii cum jejunio, & Missa propria u- „ bique terrarum sancta Ecclesia veneratur, festumque „ ejus devotissime ab omnibus celebratur „ Cum vero de festivitate Assumptionis B. M. Virginis agitur, hæc præscribuntur „ In die sancto Assumptionis S. Mariæ Virgi- „ nis, quem jejunio, & Missa devote prævenit omnis „ Ecclesia &c. „

(*) nunc est epistola 2. inter segregatas.

XIII. Si alia his addam, non deerunt, ut puto multi, qui-

quibus ego videar frustra conari, & in re apertissima operosius, quàm oporteat, laborare. Cui enim ignota sunt, & severa, & crebra decreta ea de re subsequentibus sæculis edita? Cui ignotæ provincialium, aut diæcesanarum Synodorum, cui ignotæ Episcoporum editiones quorum quidem auctoritate, & constanti voluntate mos iste jam pridem in Ecclesia inductus tam altas radices fixit, ut prorsus nemo sit, qui præcipuas sanctorum festivitates hoc obsequii genere non præveniat? Cui ignotum est denique populorum veluti conspiratione jam factum esse, ut Sanctis iis, quorum festivitates præcedente jejunio jam pridem honoravit Ecclesia, hoc deferatur obsequium? Tu si vis in Canonistarum, in Summistarum, (uti appellant), in Theologorum denique omnium libris id perquirere; & tam perspicue, tamque crebro id invenies traditum, ut omnino videatur nullam superesse posse sapienti homini dubitationem.

XIV. Porro ex his intelligis primo falli eos, qui tum cæpisse ajunt celebrari jejunio vigilias Sanctorum, quum desiere Fideles insumere noctes festivitatem proxime præcedentes precibus in templo fusis: retentum autem, *Vigiliæ* vocabulum; ne pereunte prisca vigiliarum consuetudine, periret & nomen, quo aliqui tamen ita utebantur, ut palam ostenderent se vulgi morem, non vim atque ethymologiam nominis sequi: Quas vulgo *Vigilias appellamus*; (inquit Auctor libri Divinorum Officiorum, (*) qui Alcuini nomen in fronte gerit.) Vidimus porro quarto ipso Ecclesiæ sæculo procul dubio consuevisse Christianos tum vigiliis, tum etiam jejuniis prævenire Sanctorum festivitates, eumque morem posterioribus etiam sæculis, quibus certe vigilando in templis noctes ducebant insomnes, fuisse retentum, & jugiter ad 14. usque sæculum utcumque continuatum.

(*) cap. 28. pag. 255. to. x. Biblioth. Patr.

XV. Non ergo rigorose ut ajunt (nam deinceps ostendemus accomodari hisce locutionibus posse valde probabilem explicationem) locuti sunt auctor libri qui inscribitur *Gemma animæ*, dum (a) hæc eloquitur. „ More antiquo duo „ nocturnalia officia in præcipuis festivitatibus agebantur: unum in initio noctis a Pontifice cum suis Capellanis absque *Venite*: aliud media nocte a Clero, sicut „ adhuc solemniter celebratur; & populus, qui ad festum confluxerat, tota nocte in laudibus vigilare solebat. Postquam vero illusores bonum in ludibrium per-

(a) Lib. III. cap. 6.

" mutaverunt, & turpibus cantilenis, ac saltationibus, " potationibus, & fornicationibus operam dederunt; vi- " giliæ interdictæ, & dies jejuniis dedicati sunt, & vigi- " liarum nomen retinuerunt: " Joannes quoque Belethus quem nuper allegavimus: (& cui idem liber *Gemma animæ* inscriptus tribui fortasse debet) (*a*) quippe, tum alia multa hoc de argumento, tum hæc apertissima tradit " Nam " jejunium hoc fuit introductum in compensationem vigi- " liarum, quæ id circo fuerunt abrogatæ, ne crebræ il- " læ commessationes, atque ebrietates post hac fierent, & Baptista Mantuanus, dum libro secundo festorum (*b*) hæc ait.

(*a*) Vide quæ de Joanne Beleth docet Oudinus to. 2. pag. 1589.

(*b*) sub titulo *de mutatione vigiliarum in jejunia*,

Id quoque nam scitu locus est dignissimus, addam
Quod nostri in templis Atavi vigilare solebant,
Excubiasque pati, solemnia mane sequenti
Festa recepturi: morem nova sustulit ætas.
Nam quia nox sceleri solet esse occasio, & illud
Observant, qui furta volunt committere tempus,
Jejunare diem visum est sapientius illam
Quæ præit, & clauso noctem dormire cubili.

XVI. Eruite etiam falli eos, qui eo die, quo vigiliæ celebrabantur, jejunium minime a Christianis actum asseverant: innixi scilicet, ut ipsi putant testimonio Concilii Salegunstadiensis, quod Canone secundo inconveniens cum vigilia jejunium testatur. *In Decembri* (inquit Concilium (*c*) *illud observandum erit, ut primo Sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium: quia si vigilia in sabbato evenerit, simul vigiliam & jejunium celebrare non convenit*. Eadem nuper fieri decreverat in jejunio mensis Junii. *Et hoc sciendum est* (inquiens) *quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam evenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes*. Quæ Gratiani quoque sententia fuisse videtur, dum prima decreti parte (*) hunc Canonem referens; postremis verbis hæc adjungit, & Canoni ipsi inserit: *quia vigiliam simul, & jejunium celebrari non convenit*: (cum in Canone ipso id de Natalis Domini vigilia tantummodo dicatur;) Nimirum non deerit, qui vigiliam, cujus meminit Concilium Salegunstadiense noctem in templo insomnem ductam arbitratus, moneat propterea Synodum illam sustulisse a die jejunii vigilias, ne Fideles diuturna abstinentia afflicti (jubebantur enim 14. dierum jejunio Natale Domini


(*c*) Tom. XI. Concil. pag. 1130.

(*) distin. 76.

ni prevenire)(*d*) vigilia etiam affligerentur. Leniter siquidem (horum quidem sententia) cum fidelibus agere videtur hæc Synodus, utpote quæ tam & si ante eas festivitates, quas enumerat, 14. dies abstinere velit a carne, & sanguine, tamen unam refectionis horam permittit. Quamquam vero ignoratur, quid vere indicetur hujusce horæ vocabulo, videtur tamen mite aliquod, & lene indicari. Si vera hæc est hujus Canonis explicatio, videtis profecto quantum a vetusta severitate deflectere cæpissent eo etiam tempore Christiani. Olim enim post diuturnum, & asperum quadragesimale jejunium, totam noctem, quæ Resurrectionem Domini præibat, vigilem ducebant: hi vero post quatuordecim haud rigidæ abstinentiæ dies recusabant noctem unam insomnem in Templo agere.

(*d*) Vide Canonem ipsum num. 4. proxime superiore relatum.

XVII. Sed, me quidem judice, hujusce Concilii mentem is assequetur, qui monebit loqui illud de concursu duorum dierum, in quibus jejunium agi præcipiatur: veluti vigiliæ Pentecostes cum postremo die jejuniorum tertii mensis, & vigiliæ Natalis Domini cum postremo die jejuniorum decimi mensis. Nimirum id fieri vetat Concilium: vel quia utriusque diei Officium suis unum quodque diebus recitari vult, neque alterum ab altero excludi, vel potius quia duobus jejunii diebus, seu ut apertius dicam, duobus distinctis jejunandi præceptis uno jejunio satisfieri prohibet.



CAP.

CAP. XXIX.

Agitur de Causis, ob quas jejunare consuevimus ante Sanctorum festivitates, ubi occasione accepta nonnulla de jejunio generatim sumpto traduntur.

I. CUm causas inquirimus, ob quas jejunare mos fuit ante præcipuas Sanctorum festivitates, vel de jejunio generatim inspecto loquimur, vel de peculiari jejunio festivitatem Sanctorum præcedente. At si de primo differere vellemus, longam, uberemque tractationem susciperemus; quamquidem jam pridem ante nos viri egregii, atque in primis Basilius, Leo Magnus, aliique priorum sæculorum Patres instituerunt, ad quorum scripta vos allego. Paucis dicam ex eorum monitis utilitates jejunii plurimas me didicisse; sed quorum summa fortasse hæc est. Vult Deus primitias, decimasque rerum omnium, ideoque etiam temporum sibi offerri. Jejunium ergo propterea nobis imposuit primo ipso mense, veluti primitias; diuturnum, & frequens, veluti decimas (si loqui ita finis) temporum. Rationem hanc adducit Rabanus Maurus, (*)

(*) lib. 2. *Institutionis Clericorum* cap. 20.

Hanc ipsam innuit auctor sermonis olim 65. *de tempore*, nunc 144. inter eos, qui in Appendicem Augustinianorum rejecti sunt (a) hæc elocutus: *Cessent lavacra, vina, vel carnes: non quod creaturam Dei judicemus esse damnandam, sed qui toto anno nobis viximus, saltem vel paucos dies vivamus & Domino*. Innuit quoque S. Leo sermone 2. *de jejunio X. mensis, & de collectis*. (b) (14)

(a) num. 4.

(b) in serie Quesnellii XII.

II. Vult etiam idem Deus rebellem, sed vel nobis invitis, regnantem in corpore nostro concupiscentiam a nobis vinci, domarique, adeo ut nos & corpore, & spiritu illi obsequentes, & subditos habeat. Porro huic rei assequendæ jejunium in primis conducit, tum ea omnia, quæ

(14) *Prædicamus decimi mensis celebrandum esse jejunium, quo pro consummata perceptione omnium fructuum dignissime largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur.*

quæ sub jejunii nomine sæpe comprehenduntur, & *opera afflictiva* appellamus. Quod quidem expresse tradit Leo Magnus capite 2. sermonis 1. *in jejunio Pentecostes* & capite 3. sermonis quarti.

III. Ad aliam quoque utilitatem nostram respexere Deus, & Ecclesia, dum jejunia præcepere. Scilicet ne ea referam emolumenta corporalia, quæ nobis ex jejunio proveniunt, quæque S. Patres sæpissime describunt, commendantque; animum certe nostrum, & mentem jejunio juvari mirum in modum non modo ex Patrum, Doctorumque nostrorum documentis, verum etiam ex ipsamet experientia intelligimus. Nimirum alacrior, puriorque efficitur mens, cum jejunium veteres ex nimio cibo contractos expellit morbos, vetatque dapum, & vini largitate mentem occupari & tenebras illi offundi, ideoque magis idoneam reddit suscipiendæ sapientiæ, & donis Dei. (*c*)

IV. Jejunium decimi mensis institutum esse, ut Deo gratiæ propter segetes receptas agerentur, simillima vero sententia est, quamque viri optimi acriter tuentur. Innititur illa tum aliis monumentis pluribus, tum certe Sanctorum Patrum perspicuis documentis. Unum sed præstantissimum dictorum meorum vadem proferam. Leonem scilicet magnum, seu alium, quisquis is est, vetustum, & valde probabilem auctorem libri *Sacramentorum*, nuper editi a viro clarissimo Josepho Blanchino. Etenim sub hujusmodi titulo: *Invitatio plebis in jejunio mensis decimi* hasce preces proponit. (*d*) „ Vere dignum. Glorificantes,
„ & de præteritis Creatorem, & de venturis fructibus
„ exorantes; ut cum de perceptis non invenimur ingra-
„ ti, de percipiendis non judicemur indigni; sed exhi-
„ bita potius solemni devotione jejunii, cum subsidiis cor-
„ poralibus profectum capiamus animarum . . . Ve-
„ re dignum qui nos ideo collectis terræ fructibus, per ab-
„ stinentiam tibi gratias referre voluisti &c.

V. Alios quoque nostrum jejunium adjuvat, dum nos efficit aptiores opi illis ferendæ. Scilicet dum subtrahimus mensæ cibos, aliis facilius ea tribuere possumus, quorum indigent. Et hinc ortæ sunt celeberrimæ Sanctorum Patrum admonitiones, ut quod jejunando nobis demimus, liberalius aliis elargiamur, & Christum in pauperibus alamus, dum parcius reficimus nos, qua de re mox. (*e*)

VI. Quod vero peculiariter pertinet ad Jejunium festi-

vi-

(*c*) De eo argumento agit Leo Magnus n. 1. serm. 8. inter eos qui *de jejunio X. mensis & Eleemosinis* inscribuntur; estque in editione Quesnellii 18.

(*d*) pag. XXXXII. to. 4. Anastas. Biblioth.

(*e*) Id inculcat Leo Magnus in sermon. V. *de jejunio X. mensis*.

vitates Sanctorum præcedens, peculiares illius utilitates iidem præclarissimi magistri nostri recensent. Præstant fortasse istæ. Quoniam ad agendas etiam propter beneficia recepta Deo gratias institutum fuisse jejunium diximus; ante Sanctorum festivitates jejunat Ecclesia, ut Deo gratias propter eorum victorias agat. Ut Sanctos honoremus institutum est etiam: non modo quia quoddam honoris est genus gestorum imitatio, verum etiam quia ipsamet afflictio, & cruciamentum corporis, quod cum jejunio conjunctum est, propter Sanctum aliquem susceptum, eum procul dubio honorat, cujus causa instituitur. Sed nostram utilitatem manifesto etiam respicit: Quis enim neget hoc ipso obsequii genere benevolentiores, ac beneficientiores effici nobis Sanctos? Quis etiam neget ad beneficia per eos recipienda per jejunium nos disponi, dum illud nostram carnem edomat, & ad virtutes acquirendas viam sternit? Qua etiam ratione nos aptiores festis celebrandis efficit. ,, (*f*) Multa siquidem (liceat Bernardi verbis uti) quo-,, tidie peccata contrahimus, & in multis offendimus o-,, mnes: nec tutum omnino est celebrandas suscipere fe-,, stivitates sacras, maximeque eas, quæ maximæ sint, ,, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo & ,, digniores, & capaciores inveniamur spiritualium gau-,, diorum ,, : Ad hæc: jejunio id assequimur, cujus præsertim causa Sanctorum festivitates videntur esse institutæ: ut scilicet imitatione virtutum ad sanctorum beatitudinem nos quoque perveniamus. (*g*) *Discimus ex hoc ipso* (inquit Bernardus) *quænam vera sit via festivitatis æternæ. Quid est enim quod jejuniis solemnia prævenimus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei? Indignus quippe solemni lætitia est, qui statutum vigiliæ abstinentiam non observat. Plane, inquam, si renuis affligere animam tuam in vigilia, indignus jure censeris requie, & exultatione festiva*: Imitari videtur Bernardum Absalon Abbas Sprinckirsbacensis e sacro Canonicorum regularium Ordine vetustus, & probatus auctor dum (*h*) hæc eloquitur. ,, (*i*) In vigiliis Sanctorum Martyrum re-,, colit Ecclesia, quod sancti martyres venerunt ad tri-,, bulationem, quando vigiliis, jejuniis, & aliis macera-,, tionibus carnis passiones sanctorum quodammodo imi-,, tatur. In diebus vero natalitiis eorum in gaudio spiri-,, tali recolit Ecclesia, quod venerunt ex magna tribula-,, tione, dum solemniter decantat ea, quæ spectant ad

,, glo-

(*f*) in sermone recitato in vigi li Andreæ n. 1.

(*g*) ibidem n. 2.

(*h*) anno fere 1210. eum vixisse testatur Oudinus tom. 2. pag. 1713.

(*i*) in sermone de S. Victore pag. 196. edit. Mediol. anni 1605.

„ gloriam, sicut hodie facimus in laudem B. Victoris mar- „ tyris, quando dicimus, (*) *in virtute tua Domine lætabitur* „ *justus; posuisti super caput ejus coronam de lapide precio-* „ *so*; & alia hujus modi, quæ in laudem, & venera- „ tionem ipsius hodierna die decantantur „ Quibus quidem verbis non modo redditur ratio, cur jejunio Sanctorum solemnitates præveniamus, verum etiam cur easdem solemnitates pia, festivaque jucunditate agamus. En causæ, ob quas optat Ecclesia, ut Sanctorum festivitates a fideles præveniantur, iique ipsi laudabili consuetudine a primis usque Ecclesiæ sæculis instituta, & jugiter observata piissimæ, sanctissimæque matris voluntatem exequuntur.

(*) Psal. 20. v.

CAP XXX.

Quibus de causis teneamur præcipuas Sanctorum festivitates jejunio prævenire.

I. AT quoniam de jejunio Sanctorum festivitates præeunte agimus, alias fortasse non leves hoc super argumento quæstiones aggrediamur, nempe an jubeamur aliquas Sanctorum festivitates jejunio prævenire. En prima quæstio. Quæremus secundo quoniam omnes Sanctorum festivitates prævenire non possumus, quasnam prævenire jubeamur. Quæremus tertio, unde hujus præcepti onus, atque obligatio provenerit.

II. Ut a prima exordiamur, quis in nostris regionibus degens, se minime obligatum putet ad ea jejunia, quæ Romana servat Ecclesia, quando quidem ad ea servanda obligatos nos censent Theologi, quorum propterea consensione quadam, & veluti conspiratione ea jussio, & innotescit & comprobatur? Hinc eum, qui mox enumerandas Sanctorum festivitates jejunio prævenire contemnat, culpæ non levi subdi ajunt, contenduntque. Propterea vero particulas illas apposui in *nostris regionibus*: nam, ut mox dicam, non eas omnes Sanctorum festivitates, quas Itali jejunio præveniunt; reliqui etiam Christiani, eo obsequii genere honorant.

III. Festivitates vero Sanctorum, quas jejunio præve-

nire jubemur, hæ sunt. S. Matthiæ Apostoli; Nativitas S. Joannis Baptistæ; Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli; Jacobi Apostoli; Laurentii: Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ; Bartholomæi; Matthæi; Simonis, & Judæ; Omnium Sanctorum; S. Andreæ, & S. Thomæ Apostolorum. Reliquas quidem Sanctorum festivitates & jejunio, & piis aliis operibus prævenire nos optat, minime vero jubet Ecclesia, quæ proinde nos jubet, si ipsa secus non decrevit, & si fieri sine magno incommodo id possit, solemniores præcipuorum Sanctorum festivitates jejunio prævenire. Itaque quia festum SS. Philippi, & Jacobi in tempus pasquale incidit: (quoquidem tempore fideles a jejunando exemit) quia etiam sanctorum Stephani Protomartyris, & Joannis Evangelistæ festi dies solemnibus Domini Natalitiis celebrantur, (quibus quidem diebus a jejunio fideles exsolvit) horum Sanctorum festivitates jejunio carent. Festa vero S. Josephi dies propterea fortasse peculiare jejunium non habet, quòd ea quadragesimali tempore celebratur, ideoque eo tempore, quo aliunde jejunare tenemur. Ægrotos vero, aliosque, quos Theologi a jejuniorum observatione eximunt, quis ad ea, de quibus nunc agimus, jejunia compellet, quando quidem cum summo tantum incommodo, & detrimento illa agerentur? ad quod quidem hac in re subeundum minime eos cogit Ecclesia. Solemniores porro festivitates eadem Ecclesia selegit, quibus jejunium præponi juberet, ne si forte pluribus solemnitatibus ejusdem Sancti id fieri præciperet, nimio onere fideles premerentur. Hinc multas Virginis Mariæ festivitates instituens, in Assumptione tantum jejunium indixit: neque illud agi præcepit vel ante festum *decollationis S. Joannis*, vel ante festum *S. Petri ad Vincula*, & similes alias. Quin etiam in iis provinciis, in quibus fideles prævenire jejunio solent præcipui patroni festivitatem, unam seligerunt Episcopi, cui jejunium præponerent. En duabus prioribus quæstionibus factum satis.

IV. At tertiam quæstionem statim expendamus: unde nam scilicet hujus præcepti onus, atque obligatio provenerit. Tres sunt hac in quæstione sententiæ: Edocet prima Romanum Pontificem (Alexandrum III., aut certe Innocentium III. præsertim innuunt) auctoritate, nutuque suo præceptum, cujus nullum apud veteres vestigium ex-

extiterat, populis imposuisse. (*) Iidem vero populi propter summam erga Romanum Pontificem reverentiam huic legi facile se se submiserunt, diemque Sanctorum fest ivitatem proxime præcedentem jejunio observant. Innituntur isti Decretis, quæ a Gregorii IX. *Decretalibus* (uti appellant) afferuntur, & nos superioribus capitibus recitavimus.

V. Edocet sententia altera non Pontificis auctoritate, nutuque, sed populorum ipsorum consensione quadam inductam esse, firmatamque consuetudinem, qua Sanctorum festivitates jejunio prævenimus: Nimirum tum eo quidem tempore ipso quo vigilias agere consueverant, (*a*) tum præsertim posteaquam vigilias sublatas ab Ecclesia viderunt populi, passi non sunt sine aliquo obsequio præterire diem, quæ Sanctorum festivitates anteiret. Jejunare itaque statuerunt, & communi quasi conspiratione, concordique sententia decretum est hujusmodi afflictatione Sanctorum festivitates prævenire.

VI. Tradit postrema sententia inniti eum morem populorum consuetudine firmata, comprobataque Synodorum & Romanorum Pontificum decretis, & voluntate. Sic vero differunt. Cur negabis obligationem hanc consuetudine inniti, quando Pontifices ipsi, consuetudine se inniti affirmant? *Festum B. Matthiæ juxta consuetudinem Ecclesiasticam* inquit Alexander III. nuper citatus. Similiter Innocentius III. *de festivitate vero B. Bartholomæi Apostoli, de cujus celebratione dubietas oritur apud quosdam: respondemus quod in hoc consuetudinem tuæ regionis observes*. Quid quod re vera non veluti rem novam id præcipiunt Pontifices, sed optant tantummodo, & adnituntur, ne vetustus mos pereat: proponuntque ea quoque in re consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, cum qua conveniens erat, ut reliquæ Occidentales Ecclesiæ concordarent? Constat id ex responsione Innocentii III. ad Archiepiscopum Braccarensem datam: Nonne ex prima ipsa voce *consilium* innotescit consilium tantummodo exquisitum fuisse ab Archiepiscopo Braccarensi? *Consilium nostrum*. Dum vero Pontifex illi respondet, consultationem præbet, non præceptum imponit. *Consultationi tuæ respondemus &c.* Numquam autem adhibet vocem *præceptum* aut affinem aliam. Mox vero consuetudinem Romanæ Ecclesiæ proponit ad imitandum. *Jejunium etiam* (inquiens) *apud nos in adventu Domini agitur*. Quod si verbis aliquibus edictionem, jussionemque in-

(*) S. Ambrosius, quē n. 2. capitis 26. allegavimus, & Sacramentarium Gallicanum editum a Mabillon pag. 305. indicare videntur illud, quo de agimus præceptum antiquitus non extitisse.

(*a*) Recole verba quæ ex Petri Damiani epistola 35. libri 6. allegavimus.

innuentibus interdum uti videtur Pontifex, dum vigilias celebrandas esse ait in observatione jejunii. *Vigiliæ sunt in observatione jejunii celebrandæ*, id non Pontifici respondenti adscribendum est, sed S. Raymundo, qui jussu Gregorii Noni præcedentium Pontificum responsa perquisivit, & in Decretalium a Gregorio IX. editarum libros inseruit: quippe responsa ipsa expressa aliquando non retulit, sed contraxit, phrasemque paulo severiorem interdum illis tribuit: nam certe non levis portio epistolæ Innocentii III. adducta est ab Raynaldo, (b) neque in ea præceptum extat, sed tantum consilium: exemplum vero (quod nuper dixi) proponitur, & consuetudo Romanæ Ecclesiæ, cum qua (quod etiam dixi) convenientissimum est, Occidentales Ecclesias concordare. *Apud nos Apostolorum omnium vigiliæ in observatione jejunii celebrantur*. Ad hæc: si volumus re vera tum præcepisse; quoniam particularium Ecclesiarum, Episcoporumque quæsitis Pontifex tum respondet, universalis consuetudo minime firmari ea ratione potuit.

(b) ad annum 1206. n. 35. pag. 163.

An non etiam eventus ipse manifesto ostendit nuper adducta Pontificum decreta eam consuetudinem minime induxisse? Neque enim jejunii in vigilia S. Laurentii agendi meminere Pontifices Alexander III. & Innocentius III: Tamen eam vigiliam jejunio celebramus. Quin etiam Thomassinus de jejuniis differens (c) haud obscure indicat Ecclesias Galliarum eas ipsas Apostolorum vigilias, quas recenset Innocentius, jejunio minime prævenire, (15) nec propterea aut a Pontificibus reprehenduntur, aut ii peccare se putant, dum minime jejunant. Minime quippe se flecti sinunt ab auctoritate Fagnani, (d) qui has ipsas Ecclesias obligari docet universali consuetudine. Scilicet aut in has Ecclesias inductus nondum fuit mos, quo præveniant jejunio festivitates eorum omnium Apostolorum, quorum meminit Innocentius (& sane Gregorius Turonicus (libro decimo, idest postremo historiæ Francorum) (e) dum jejunia in Turonensi Ecclesia celebrata recenset, hæc non

(c) par. 22. cap. 14.

(d) in lib. 3. decret. par. 2. pag. 343. edit. Rom. 1661.

(e) n. 31.

(15) Durandus (*) diu ante Thomassinum hæc tradiderat ,, Concilium Bracherense dicit, quod omnium Apostolorum ,, vigiliæ sunt jejunandæ præter vigilias Apostolorum Philippi, & Jacobi & Joannis Evangelistæ. Ecclesia tamen Gallicana non tenet nisi de sex Apostolis, & de ,, quatuor eorum jejuniis. ,,

(*) Ratio. Divin. Offic. lib. 6. cap. 7. n. 16.

non recenset) aut si olim inductus fuit, is desiit, ideoque Pontifice minime reclamante eos populos non obligat. Denique Innocentius Papa non minus vigiliarum ante Apostolorum festivitates cum jejunio celebrandarum meminit, quàm Adventus: *Jejunium etiam apud nos in adventu Domini agitur*. Nulla tamen natio inter Occidentales per totum tempus adventus jejunat. Superest ergo ut jejunium die præcedente Sanctorum festivitates actum repetatur a populorum pietate, quæ consuetudine, & Pontificum decretis firmata est; quæ quidem consuetudo antiqua quidem est, & jugiter in Ecclesia servata, sed quæ tum maxime apud omnes obtinuit, quum vigiliæ desiere. Tum enim populi quum vigiliarum obsequiis colere non possent Sanctos, obsequii genus aliud, quod jam pridem usitatum erat, & tum etiam Sanctis adhibebatur, firmius, tenaciusque amplexi sunt, & retinere decreverunt, ad id moventibus Episcopis, & Pontificibus Romanis, quorum editionibus sæpe constitutum est, ut solemnia pręcipuorum Sanctorum festa jejunio præveniremus; peculiarium quidem patronorum in peculiaribus provinciis: (hinc Durandus (f) inter *vigilias*, seu *jejunia institutionis* recenset jejunium observandum die præcedente festivitatem S. Martini: quia scilicet id in Galliis fieri præcipiebant Galliarum Synodi) aliorum vero, quos jam recensui in universa, (si Galliam excipias) Ecclesia. Durandus sane dum causam, qua in Sanctorum vigiliis jejunare tenemur, adducit, Ecclesiasticas editiones allegat hęc elocutus ,,(g) Generalia quoque, ,, & specialia jejunia per Episcopos in Synodo, & Concilis instituta solvi non debent ,,. Et mox enumeratis iis Apostolorum festivitatibus, quas aliqui jejunio non præveniebant, eos veluti redarguens, Romanorum Pontificum decreta illis objicit ,, Decretalis tamen dicit, quòd hic (Matthias) ,, habet vigiliam, & jejunium: nec est vis, sive istud festum fiat in prima die bissextili, sive in secunda. ,, Et his quidem Ecclesiasticis editionibus, & fundatur præsertim, & comprobatur ea, qua de agimus, consuetudo, quàm in Ecclesiæ *voluntatem* propterea refero. Nam procul dubio ab eadem provenere ea decreta, quæ retuli; fortasse etiam provenit, ut severioribus verbis exprimerentur, & Juri Canonico inserrentur Innocentii III. & Alexandri III. responsiones: provenit denique, ut si non nunc exposcit, ut in adventu & rogationibus jejunent fideles omnes, (quod olim fortasse fiebat) plane exposcat, ut eas, quas n. 3. ex-

(f) libro, & capite sępe allegatis n. 10.

(g) Ibid. n. 12.

exposui, Sanctorum festivitates jejunio præveniamus; hortetur quoque, ut non eo tantum die, qui proxime præcedit festivitatem, sed pluribus eam præcedentibus jejunemus: cujus quidem hortationis exempla non rara habemus, sed illud in primis, quod canon, seu capitulum I. Concilii Salengustadiensis exprimit, quem quidem canonem cum antea retulerimus, hic repetere non est necesse. Porro adeo generalis fuit ea in re Christianorum voluntas, ut (si aliquas, uti nuper dixi, Ecclesias excipias, quæ tamen ut ex Joannis Belethi & Durandi sæpius allegatorum verbis constat, enixe cupiebant, ut Apostolorum omnium festivitates jejunio prævenirentur) (16) Occidentales Ecclesiæ omnes in eo honore Sanctis deferendo consenserint, consentiantque nunc etiam: quorum propterea communi, constantique voluntate, & consensu mos ille inductus est, & firmatus.

Tertiam hanc sententiam amplectimur, præsertim quum priores duas non rejiciat omnino, sed ex parte amplectatur, & jungat.

VIII. At aliis etiam causis interdum fideles obligatos fuisse novimus, ut Sanctorum festivitates jejunio prævenirent. Guillelmus de Malelbury in historia Guillelmi, quem *acquisitorem* (h) appellarunt, modum narrat, quo a Danis vigilia S. Laurentii recepta est. Periculosam scilicet pugnam aggressuri voverunt, si victoriam consequerentur, eam vigiliam jejunio, & eleemosinis se se celebraturos. *Votum illibatum custodiunt*, (inquit hic Scriptor) *quo se ante pugnam constrinxerunt, ut vigiliam S. Laurentii cunctis in posterum sæculis jejuniis, & eleemosinis sacrarent*. Nostris etiam temporibus in urbe Roma cæptum est vigiliam Purificationis Virginis Mariæ solemni sanctificari jejunio. Territi nempe diuturno, horrendoque terræmotu Romani, ut Virginis Deiparæ interventu, & patrocinio pericula, ac metus averterent, hoc obsequio ejusdem Virginis pietatem, atque advocationem implorare

(h) Italicè *Conquistatore*. lib. 3. p. 106. Hęc didici ex Thomassino *de jejuniis* par. 2. cap. 14. n. 16.

(16) „ Facimus tamen, (*idest jejunamus*) ex eo quod omnes „ Apostoli in meritis, ac præmiis pares sint. Quorum „ enim merita ęqualia sunt, necessarium plane est, ut eorum „ animę in cęlis sint ęquales. Ob quam sane causam Ecclesia „ consideravit dignum esse, ut pariter omnes jejunia habe„ rent „ Hæc Belethus. Eadem tradit Durandus lib. 6. Ratio. cap. 7. n. 16. & 19. Similia vero proponit auctor. sermonis 25. *ad Fratres in Eremo*, quem, si vis, consule,

re statuerunt. Carolo etiam Borromeo viro sanctissimo Mediolanensem regente Ecclesiam, (*i*) cum pestilentia latius in dies cæpta progressione manans jam totam occupasset Civitatem; Mediolanensis Civitatis Consilium, reliquis etiam, qui in urbe erant consentientibus Deo, ejusque martyri Sebastiano vovit diem martyris festum, etiam cum diei antecedentis jejunio colere. Arbitror vero, quod hisce exemplis aliquando factum ostendi, affines alias ob causas aliis in regionibus, temporibus quoque aliis evenisse. Etenim si de Orientalibus agas, tam & si noverimus multas sanctorum festivitates jejunio, & diuturno, & aspero eos prævenire, originem tamen hujusce moris nondum plane compertam habeo. At quæcumque ea fuerit, scire vos volo non minus Latinos de quibus hactenus egi, quàm Græcos solere ad Sanctorum festivitates jejunio se præparare. Itaque ut nihil dicam de pluribus quadragesimis, & jejuniis Adventus, quem exordiri apud Græcos quarta decima Novembris die docet Balsamon (*k*), & in jejunio Sanctorum festa præeunte consistam; quindecim dierum jejunio ad Beatæ Mariæ Virginis Assumptionem celebrandam se præparant. Quoniam vero in ipsa Sanctorum Petri, & Pauli festivitate Apostolorum omnium memoriam recolunt, ad eamdem festivitatem multorum dierum jejunio se disponunt, veluti complexi jejunia omnia, quibus eorumdem Apostolorum festivitates Latini præveniunt.

(*i*) de vita & gestis Caroli S. R. E. Cardinalis auctore Carolo a Basilica Petri lib. 4. cap. 5.

(*k*) apud Thomassinum *de jejun.* par. 2. cap. 14. n. 17.

CAP. XXXI.

Opera, quæ Afflictiva appellamus, quibus ad Sanctorum festivitates præparari Fideles consueverunt.

I. NEque vero precibus tantummodo, vigiliis, & jejunio Sanctorum festivitates prævenere. Alia quædam nonnulli addidere etiam his. Prætereo hic quidem juge psallentium, seu si vis silentium, (17) quod referente Gregorio Turonico ad tres usque dies productum ab iis est, qui festum S. Martini, quo translationem ejus reliquiarum sie-

(17) Tunc *jejuniis*, *& orationibus*, *& jugi silentio* (sic vetustæ editiones, at ea, quæ a Clariss. Ruinart adornata est, habet *juge psallentio*) *die*, *noctuque insistentes triduum illud continuatim duxerunt*.

fieri decretum erat, variis obsequiis prævenerunt. (a) Prætereo peregrinationes institutas ad Sanctorum Basilicas, quæ quidem peregrinationes cum reliquo anni tempore susciperentur, tum vero maxime, & ferventius, & a remotioribus regionibus instituebantur, quum festivitates imminebant. Prætereo eorum humilitatem, qui vultibus humi demissis, aut tumulum ipsum, aut pavimentum tumulo proximum crebro deosculati, interdum etiam lacrymis, & fletu uberrimo perfundentes, a Sanctorum monumentis avelli non poterant: Hæc inquam, & affinia alia sacri honoris genera, & modos prætereo, quibus aliquorum pietas Sanctorum festa præveniebat; quod ex libris præsertim a Gregorio Turonensi scriptis addiscimus. Verbo sane complectar cuncta, si moneam a primis usque Ecclesiæ temporibus consuevisse fideles tum reliquas, tum Sanctorum etiam festivitates variis obsequii, ac pietatis argumentis prævenire.

(a) Vide Gregorii Turonici librum 1. miraculor. S. Martini cap. 6.

III. Iidem profecto Fideles, quum vigilias nocte festivitates præeunte sibi demptas conspicerent, omnem impenderunt operam, ut reliqua obsequia servarent. *Macerationis carnis*, meminit Absalon Abbas Sprinckirsbacensis nuper allegatus: meminit quoque Alcuino suppositus liber *Divinorum Officiorum*, quem editum putant tertio decimo fere sæculo, & quem sæpe citavimus. Quænam autem complectatur maceratio carnis, facile assequemur, si varios inspiciemus, & ingeniosos modos, quibus corpus suum *castigare*, & in *servitutem redigere* sancti homines satagerunt, quorum vestigia studemus persequi, dum ad eorum festivitates & jejunio, & precibus, & corporis afflictationibus præparamur. „ (b) Sane quia Sanctos eosdem ad hanc quam diximus felicitatem, & afflictionem „ non ignoramus pervenisse temporalem, necesse est, ut „ sicut æternæ eorum congaudemus lætitiæ, sic tempo„ rali quoque illorum compatiamur angustiæ, quatenus „ per omnia eorum sequentes vestigia, ad eadem illis in„ tercedentibus mereamur pertingere gaudia. Ad quod „ signandum præcedentibus eadem natalitia diebus, quas „ vulgo vigilias eorum appellamus, solito parcius ves„ centes, eadem solemnia debitis jejuniorum obsequiis, „ & maceratione Carnis devote prævenimus, ut per pri„ dianam purificati abstinentiam, dignius celebremus se„ quentis festi lætitiam „. Hactenus Alcuinus, seu alius, quisquis ille est, qui sub Alcuini nomine librum edidit *Divinorum Officiorum*.

(b) cap. 18. pag. 255. tom. x. Biblioth. Patrum.

CAP.

C A P. XXXII.

Eleemosinæ, & affinia alia caritatis erga proximum officia, quibus Fideles ad Sanctorum festivitates se præparare consueverunt.

I. Eleemosinæ ab Oratione, & Jejunio, ideoque ab operibus afflictivis sejungendæ non sunt. Sicut enim homo Oratione fertur in Deum, illumque colit, Jejunio vero, & affinibus operibus se perficit, ita caritatem in proximum eleemosinis exercet. En cur ii, qui ad Sanctorum dies festas, eorumdem Sanctorum imitatione se parare studuerunt, non modo Vigiliis, & Orationi, non modo Jejunio, & corporis afflictationibus dedere operam, verum etiam eleemosinis, aliisque caritatis officiis proximum adjuverunt. Et sane Eleemosinam cum Jejunio jungi præcipiunt eæ Constitutiones, quas Apostolicas appellamus. Nempe (a) hæc in iis extant. *Præcipimus vobis quartis, & sextis feriis jejunare, & quæ ex jejunio vobis redundant, egentibus largiri.* Simillimum porro veri est aut ad eam edictionem, aut si vis ad eam, quæ capite primo ejusdem libri 5. (18) lata est, respexisse Origenem, dum (b) hæc eloquitur. „ Sed est & alia adhuc „ religiosa jejunandi ratio, cujus laus quorumdam Apo„ stolorum literis prædicatur. Invenimus enim in quo„ dam libello ab Apostolis dictum. Beatus est qui etiam „ jejunat pro eo, alat pauperem. Hujus jejunium valde „ acceptum est apud Deum &c.

(a) lib. 5. cap. 19. id est postremo.

(b) homil. 10. in Leviticum n. 2.

II. Nec aliter visum est reliquis Patribus. Enim vero ad eleemosinam jejunii tempore copiosiorem pauperibus tribuendam tum ceteri quidem Patres, tum præsertim Augustinus his verbis hortatur (c) „ Jam vero eleemosinas „ his diebus augere quodammodo ex debito est. Ubi e„ enim justius, quàm miserendo impenditis, quod vobis „ abstinendo demitis? Et quid iniquius, quàm ut, quod „ mi-

(c) Serm. olim 71. *de diversis*, nunc in serie 208. n. 2.

(18) In cap. 1. libri 5. harum Consti. tum alia multa præclara, tum hæc quoque Christianæ Caritatis argumenta ocurrunt. *Ob hanc igitur causam omnes fideles ex iis bonis, quæ habetis, aut ex labore, ministrate Sanctis per Episcopum vestrum. Sin vero aliquis non habet, jejunet, & cibum ejus diei partitus destinet Sanctis.*

„ minus erogat abstinentia, servet permanens avaritia, „ aut consumat dilata luxuria? Rem eandem porro inculcaverat sermone proxime præcedente. (*d*) Iterat vero, dum, in sermone 150. (*e*) hæc effatur. „ Addo plane aliud, addo tertium, nec quod præcipue observandum est, prætermitto, ut de jejunio tuo fames pauperis „ satietur; aut si jejunare non potes, magis pascas, cujus saturitate tibi venia concedatur. Dicant ergo Christiani, jejunemus, & oremus, & donemus; cras enim „ moriemur; aut si duas res volunt dicere, ego eligo, „ ut dicant, donemus, & oremus, quàm jejunemus, & „ non donemus. Absit ergo &c.

III. Præstabit etiam ea consulere, quæ edocet Leo Magnus tum sæpe alibi, tum certe in sermone de Jejuniis X. mensis: iterum in sermone 3. de Jejunio Pentecostes (*f*).

IV. Haud ita multo post Leonem vixit Gelasius sanctitatis, & doctrinæ fama clarissimus. Hic in libro *Sacramentorum*, quem præposito tanti Pontificis nomine edidit vir omni laude dignus Cardinalis Thomasius in *denunciatione jejuniorum quarti, septimi, & decimi mensis* (*) sic populum a Pontifice monendum tradit. *Anniversariam Fratres carissimi jejunii puritatem, qua & corporis adquiritur, & animæ sanctitas nos commonet* (illius) *mensis instaurata devotio . . . . . Ut per hanc institutionem salutiferam peccatorum sordes . . . . . jejuniis, & eleemosinis abluamus &c.*

V. Nonne etiam id sæpe efflagitat Cæsarius? (*g*) etiam auctor tum sermonis 40. (*h*) inter eos, qui Ambrosio adscribuntur n. 5. & 6? tum sermonis 24. (*i*) inter eos qui eidem Ambrosio adscribuntur? Auctor denique sermonis 144. ex eorum numero, qui in appendicem sermonum S. Augustini rejecti sunt? (*k*).

VI. Simillima his sunt monita Gregori Magni, (*l*) Theodulphi Aurelianensis, (*m*) Concilii Triburiensis anno 895. celebrati, (*) Ratherii, qui sæculo X. Veronensem rexit Ecclesiam (*n*) Quod si decimo tertio, ut fere putant, sæculo vixit auctor sermonis 25. inter eos, qui *ad Fratres in Eremo* inscribuntur, non contemnendum habes ad rem qua de agimus confirmandam illius sæculi testimonium. Scilicet postquam retulit desiisse Monicæ precibus, & Ambrosii auctoritate vigilias, hæc addit, quibus suorum temporum consuetudinem intelligas. *Solum tamen jejunium mentis, & corporis cum eleemosina Mediolanensis Ecclesia fidelibus reliquit.*

VII. Ne

(*d*) id est olim 71. *de diversis* in serie PP. Benedictinorum 207. n. 1. & 2.
(*e*) ad illa Actuum Apostolor. 17. verba *Quidam autem Epicurei, & Stoici &c.* c. 6. aliàs n. 7.
(*f*) in Quesnellii editione 78.
(*) pag. 113.
(*g*) in serm. qui olim tribuebatur Augustino, eratque 62. de tempore, nunc vero 142. est inter eos, qui in Appendicem rejecti sunt n. 2.
(*h*) olim 39.
(*i*) olim 33. n. 11.
(*k*) n. 4. in fine.
(*l*) 3. par. pastor. cap. 20.
(*m*) in Capitulari, quod ann. 797. editum putant, direxitque ad Presbyteros Parochiæ suæ cap. 38. pag. 193. tom. 9. Concil.
(*) Canon. 35. pag. 647. tom. 11. Conc.
(*n*) serm. 1. in Quadrages. n. 7. pag. 385. tom. 1. Spicilegii Lucæ D. Achery.

VII. Ne vero suspicetur quispiam de quadragesimali tantum jejunio hæc tradi; statim allego Gregorium Magnum, (o) cujus quidem verbis dubitatio omnis tollitur. „ Vere dignum, & justum est, æquum & salutare, nos „ tibi semper, & ubique gratias agere, Domine Sancte, „ Pater omnipotens, æterne Deus: misericordiæ dator, „ & totius bonitatis auctor: qui jejuniis, orationibus, „ & eleemosinis, peccatorum remedia, & virtutum o- „ mnium tribuis incrementa; te humili devotione preca- „ mur, ut qui Sanctis tuis, (Illis) quorum festa præve- „ nimus, martyrii dedisti coronam, intercessionibus eo- „ rum ad hæc agenda nobis tribuas indefessam efficaciam. „ Per Christum &c

(o) in præfat. Missæ in vigilia pluri. martyrum pa.163. edit. Paris. 1642.

VIII. Hæc & affinia veterum Doctorum dicta moverunt, ut puto, non modo Danos de quibus nuper egi, (*) verum etiam reliquos Fideles, ut quum variis pietatis operibus ad festa, ideoque ad Sanctorum etiam solemnitates se præpararent, eleemosinas uberiores pauperibus largirentur, obsequentes scilicet tum Christi, tum Sanctorum monitis atque exemplis, quibus ad adjuvandos, reficiendosque uberrime pauperes incitamur. Agnovit scilicet & sæpius prædicat, inculcatque Ecclesia, tunc sane Christianorum obsequia futura fore maxime & Deo, & Sanctis accepta, si iidem Christiani Deum oratione placaverint, si jejunio rebellem concupiscentiam compresserint, atque edomuerint, si denique eleemosina egenum, ac pauperem adjuverint. Hæc sane præstitere Sancti, ad quorum solemnitates aptissime nos præparabimus, si eorum exempla sequemur. *Solemnitates enim martyrum exhortationes sunt martyriorum; ut imitari non pigeat quod celebrare delectat.* (p)

(*) Cap. 30. n. 7.

(p) olim serm. 47. *de tempore* inter Augustinianos, nunc 225. in append. n. 1.

CAP. XXXIII.

De Missis Sanctorum nomine appellatis: de Missis quoque quæ in Sanctorum honorem celebrari dicuntur, denique de Missis, in quibus hostia dici videtur dicata Sanctorum meritis. Exponimus statim quid sint tum Missæ Sanctorum nominibus appellatæ, tum quæ in Sanctorum honorem celebratæ dicuntur.

I. Cum sævum bellum reliquis ritibus nostris Protestantes indixerint, sævissimum sane Missis illis indixerunt, quæ Sanctorum nominibus appellantur, illis quoque Missis, quæ in *Sanctorum honorem* celebrari dicuntur. Nec speciosa quædam, ac popularis irarum, atque odii adversus hunc morem causa defuit. Cum enim Catholici edoceant non aliud superesse Christianis sacrificium, nisi illud, quod in Missa peragitur, sequi videtur a Catholicis Sacrificia Sanctis, aut certe in Sanctorum honorem offerri: quod quidem si peragunt, divinum cultum Sanctis deferunt, quoniam sæpe traditum est ab Augustino, atque ab aliis Patribus inculcatum & a Pontificiis ipsis facile concessum uni Deo, atque in illius tantummodo honorem offerri posse Sacrificium. Has tamen ipsas querelarum, atque offensionum causas levi negotio submovendas fore arbitror, quum significationes harum locutionum manifestas fecerimus: videbis quippe tum remotissimam esse ab idololatriæ suspicione eam ipsam Catholicorum consuetudinem, quam adeo exagitant adversarii. Ac primum quidem apertissime profiteor non ideo appellari has Missas, quod sacrificium Sanctis illis offeratur. Removit hanc suspicionem jam pridem Augustinus, tum ne multos referam, Isidorus, (a) qui Augustini verba visus est excripsisse, demum Tridentina Synodus perspicuis verbis monens Deo tantum Missæ sacrificium offerri, & valde eos decipi, qui suspicati sunt illud Sanctis offerri. Augustini, & Tridentini verba cum alibi retulerim, (b) hic ea describere omitto. Statim autem explico, quid Catholici intelligant, quum Sanctorum nomina Missis aliquibus præponant. Ut exemplo utar, hæc est *S. Antonii*, illa vero *S. Gregorii*, aut *Petri Missa*. Missa itaque *S. Petri* (nam exemplo si utar, melius rem illustrandam fore

(a) li. 1. Offic. cap. 35.

(b) cap. 20. n. 3.

fore arbitror) ea Missa est, cui occasionem dat seu festivitas S. Petri, seu devotio erga eundem. An non alibi dixi, & Nisseni auctoritate comprobavi, (*) denominationem interdum sumi ab eo quod occasio est: adeo ut si occasio Missæ recurrens Sancti alicujus est festa dies, inde Missa denominationem accipiet suam, diceturque, S. Petri Missa, quæ recurrentibus solemniis S. Petri, eo die celebrari præcipitur ab Ecclesia? Haud temere, porro, nec veterum auctoritate destitutus id dico. Nonne veteres *jejunii Missam* (c) appellavere eam, cui recurrens quadragesimale jejunium occasionem dabat? & ne a Sanctorum Missis discedam; nonne *S. Martini Missa* appellatur ea, quæ in solemnitate illius celebratur: (d) *Missa unius Virginis* dicitur ea, quæ in festo alicujus Virginis dicenda erat? (*) Etiam *Missam S. Mariæ*, (*In Missa S. Mariæ*) (e) in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius evulgavit eam appellari video, quæ procul dubio Missa est in S. Mariæ solemnitate celebranda: & revera statim sequitur parilis Missa (f) quæ sic inscribitur. *Missa in S. Mariæ solemnitate*. Quod porro de Missa celebranda in festivitate dixi, pro portione dicere poteris de Missa, quam devotione permotus celebrare statuo. Si enim devotione, atque obsequio erga Sanctissimam Virginem Deiparam moveor, ut Missam illius votivam celebrem, quis prohibere me poterit, ne affini ratione ductus eandem, quam celebro, *Missam S. Mariæ* appellem? Nonne *Missa S. Sigismundi* ea dicta est, (*) ad quam celebrandam devotio urgebat, & desiderium impetrandæ per S. Sigismundi suffragia sanitatis? Diligenter perlege has missas, & me vera locutum fuisse conspicies. Quod quidem loquendi genus haud peculiare fuit huic scriptori. Agnellus Ravennas haud ignobilis historicus simili loquendi genere utitur, cum de Maximiano hæc narrat: (g) *Edidit namque Missas per totum circulum anni, & Sanctorum omnium*.

II. At minime vereor similem appellationem iis etiam tribuere Missis, quæ originem suam videntur ab aliquo Sancto habuisse. Hinc fit, ut *Missæ S. Gregorii* appellentur triginta illæ Missæ, quæ in defuncti alicujus suffragium celebrari consueverunt. Putant quippe non pauci numerum hunc determinatum triginta Missarum referri debere ad Gregorium Magnum, qui triginta Missas ipsis celebrari voluit, ut animæ Monachi, nomine Justi, purgatorii flammis de-

(*) ibidem n. 2.

(c) Mabillon Musei Itali. tom. 1. pag. 304. 305. 306. & 307.

(d) pag. 349. Id ipsum occurrit pag. 292. *Missa S. Stephani*, & 294. *Missa Jacobi*, & *Joannis*.

(*) pag. 350.

(e) Tom. 1. Musei Italici pag. 298.

(f) pag. 299.

(*) pag. 344.

(g) in vita Maximiani cap. 6. pag. 108. par. 1. tom. 2. rerum Italicar.

tentæ

tentæ suffragaretur, certusque est factus earum quidem Missarum suffragio eandem Justi animam ad cælos evolasse.

(b) 4.dialo.cap.55.

(b) Quod si quis, præter has quas recensui Missas, eas quoque Sanctorum nomine appellandas putet, quæ in Sanctorum honorem celebrantur, facile connivebo.

III. Jam vero expono quid sint eędem Missæ in Sancti alicujus honorem celebratæ. Atque eæ quidem potissimum sunt, in quibus victorias a Sanctis Christi gratia, & virtute relatas recensemus, commendamusque: & his sane Missis refertissimi sunt ii libri, qui *Sacramentorum* inscribuntur, ideoque ii, qui Leoni Magno, Gelasio, & Gregorio item Magno adscribuntur; de quibus quidem libris cum multa sæpe dixerimus, hic loqui omittimus. Porro quis negare audeat has Missas Sanctorum honori verti? Num tibi leve videtur honoris genus illud, quo maximæ virtutes summis laudibus prædicantur? Eas etiam Missas in Sanctorum honorem celebrari ajo, in quibus Sanctorum intercessio & patrocinium exprimitur, declaramusque quantum de eorum meritis atque interventu apud Christum confidamus. Eas quoque quas in *gratiarum actionem* Deo quidem celebramus, at ita, ut etiam significemus fateri nos Sanctorum interventu, atque opera ea quę poposcimus, recepisse. Quis enim Sanctorum honori verti negabit tam apertam, atque obsequiosam receptorum, eorum interventu, beneficiorum testificationem? Hinc porro fit, ut jure meritoque in Sanctorum honorem institutæ dicantur non modo eæ Missæ, quas *votivas* appellamus, & de quibus deinceps dicemus, verum etiam illæ pleræque, quas vetusta etiam Missalia in Sanctorum festis celebrari præcipiunt; aliquid enim ex iis, quæ recensui, honoris genus apertissime significatur. His quoque, si vis, eas Missas adde, in quibus Deum deprecamur, ut Sanctorum gloria augeatur, fiantque eorum merita, virtutes, & exempla notiora hominibus. (i) Quæ sane honorem Sanctorum respiciunt; optamus scilicet eorum virtutes, ac præclara gesta magis honorari, prædicarique in Ecclesia.

(i) Recole quæ tradita sunt differ. 3. cap. 32. §. 6., & 7.

IV. Explicandum est denique quid significent *hostiæ Sanctorum meritis dicatæ*. Etenim ne quid hoc in argumento dissimulem, Romanum Missale hostiarum Sanctorum meritis dicatarum procul dubio meminit, cum in iis precibus, quæ *Secreta* appellantur in missa Martyris Pontificis hæc a Sacerdote dici præcipit, *Hostias tibi Domine beati N. Martyris tui, atque Pontificis dicatas meritis benignus assume*,

me, & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium:(*)quæ quidem locutio asperitatem fortasse nonnullam in se continere aliquibus visa est. Sed nullam asperitatem, si probe expendatur, revera continet: construenda quippe hoc modo sunt verba ea. Domine meritis beati N. martyris tui atque Pontificis benignus assume hostias tibi dicatas, & tribue provenire nobis ad subsidium. Tum porro, ut vides, Dominus oratur, ut meritis (idest propter merita) hujus Sancti benigne assumat hostias sibi dicatas, & tribuat, ut eæ nobis perpetuum subsidium afferant. In qua quidem prece nihil video, quod negotium nobis, aut difficultatem facescere possit: alibi enim diligenter, & copiose ostendimus Sanctorum meritis moveri Deum ad beneficia sane non levia nobis tribuenda. Et de proposita harum locutionum significatione nolo plura.

V. Aliqua addenda etiam sunt de antiquitate, & probitate hujusce moris, deque illius emolumentis. Paucis complector cuncta. Missas in Sanctorum festivitatibus jam pridem fuisse celebratas ea persuadent, quæ de festis in Sanctorum honorem institutis agentes hoc de ipso argumento tradidimus (*k*) Tu si vis, hic repete, iisque adjunge, quæ ex veteri Francorum Missali a Mabillon evulgato nuper deprompsimus. Sunt ergo antiquissimæ eæ, quas Sanctorum Missas appellari mos est. Eæ vero, quæ in *Sanctorum honorem* appellantur (si tamen differunt; vel enim nullum, vel levissimum inter eas discrimen extat) apertissime commemorantur a Gregorio Turonico; (*l*) ex eo quippe discimus *frigorificos, qui in S. Sigismundi honore Missas devote celebrant &c.* quam quidem S. Sigismundi Missam, uti nuper diximus, habet Sacramentarium editum a Mabillonio: (*m*) Aliæ vero haud absimiles occurrunt in veteribus Sacramentorum libris, ideoque in libris illis, quos Leoni Magno, aut Gelasio, aut Gregorio item Magno, aut etiam Ambrosio adscribimus. Infinitus vero forem, si eas preces omnes referre vellem, in quibus Sacerdos Missæ sacrificium Deo offerens postulat, ut Sanctorum meritis exoratus beatitudinem aliaque beneficia nobis elargiatur. Plenissimi sunt his precibus libri Sacramentorum Gelasio, & Gregorio Magno tributi, adeo, ut necesse non sit peculiaria loca indicare, cum Missæ omnes, quæ in Sanctorum festivitatibus dicendæ sunt, eorumdem Sanctorum merita Deo commemorent, quibus ipse placetur, & æternam beatitudinem, aliaque bene-

(*) Simillima huic est oratio *secreta* Missæ secundæ pro Virgine, & Martyre.

(*k*) Recole quæ ex Tertulliano allegavimus cap. 1. 2. 6. & ex Cypriano cap. 2. n. 1. denique ex Sozomeno n. 7.

(*l*) cap. 75. libri primi de glo. mart.

(*m*) tom. 1. Musei Itali. pag. 344.

beneficia nobis elargiatur. Quibus quidem positis quis eum reprehendet morem, quem proponit & laudat antiquitas, & Ecclesia ipsa approbat? Num improbum audebis dicere, postquam adeo prętantem commendationem is obtinuit: nihilque in eo est, quod vere reprehensione sit dignum? Emolumentis vero refertissimus est idem mos. Quis enim utilissimum esse id negabit, in quo Catholica dogmata tam expresse declarantur, & quod tibi advocatos, & eximios apud Christum patronos adsciscit? In quo quidem argumento latissimus aperiretur nostris disputationibus campus, si in eo consistentes ea hic repeteremus, quæ de Sanctorum intercessione, & invocatione disserentes fuse alibi exposuimus. At cur hic ea recolam, quæ jam copiosissime, & pluribus tradidi?

CAP. XXXIV.

De more imponendi pueris, aut assumendi, dum baptizamur Sanctorum nomina. Ostenditur vetustissimum esse, & usitatissimum eum morem: cujus etiam causæ, & utilitas comprobantur.

I. UT ab exordiis ipsis regenerationis nostræ, quam in baptismo recipimus, assuescamus Sanctorum venerationi, atque obsequiis, eorumdem Sanctorum nomina in baptismo ipso sumimus. Hujus moris nulla certa exordia quidem reperi, at certa illius argumenta in historia trium priorum sæculorum indubitata occurrunt. Ac primum quidem hic afferre libet paulo obscuriora Tertulliani verba, sed quæ (si viris haud indoctis credimus) explicari ita possunt, ut morem hunc indicent: quid enim (inquiunt) illud, cujus is expresse meminit, *Patroni nomen* (*Patroni nomine honoratur*) aliud est, nisi nomen Sancti illius, quod in baptismo suscipitur, eoque ritu nos ejusdem Sancti advocationi, ac patrocinio commendamus? Ideo autem Tertulliani verba referre volo, ne videar horum virorum auctoritatem contemnere (a) „ Oro te si famulum „ tuum libertate mutaveris . . . . . Atque & vestis albæ „ ni-

(a) in libro de resurrect. carnis cap. 57.

„ nitore, & aurei annuli honore, & patroni nomine, & „ tribu, mensaque honoratur „. At cur minus clara, & me quidem judice ad rem nostram non admodum apta verba allego, qui manifesta, & indubitata proferre possum? An negare audebis primo ipso sæculo cæpisse eum morem, postquam intellexeris Dionysium (*) (quem mox citabimus) propterea dubitasse num Apocalypsis auctorem haberet Joannem Apostolum, an alium quempiam Joanni Apostolo cognominem, quòd ab ipsis Ecclesiæ primordiis consueverint Fideles benevolentiæ cujusdam, & honoris causa erga Apostolos, eorum nomina in baptismo suscipere? Sed si proferri etiam vis expressa ipsa hujusce consuetudinis monumenta, libenter proferam. In ea Epistola, quam referente Eusebio Dionysius ad Germanum Episcopum scripsit, apertissima mentio fit Petri, & Pauli præclarissimorum Dionysii sociorum (*b*) *Ego, & Cajus, & Faustus cum Petro, & Paulo vincti duceremur a Centurione, & Magistratibus &c.* Et mox. *Ego quidem nunc, & Petrus, & Cajus soli*. Alibi etiam testatur Eusebius (*c*) inter cubicularios Imperatorum quemdam nomine Petrum illustre martyrium subjisse. *Hujusmodi fuit martyrium unius ex Imperatoris cubiculariis digni profecto suo nomine: Petrus enim ille vocabatur*.

(*) Euseb. his. Eccles. lib. 7. cap. 25. in edit. Valesii: in editione Christophor. 20.

(*b*) Eusebius ibid. cap. 11. edit. Valesii. 10. Christophor.

(*c*) lib. 8. cap. 6.

II. Et id quidem tum usitatum fuisse Fidelibus ex eodem. Dionysio intelligimus: quippe Eusebius hæc scribentem eumdem Dionysium inducit (*d*) „ Ac plurimos quidem fuisse opinor Joanni Apostolo cognomines: qui „ propter singularem erga illum benevolentiam, & quod „ hominem mirarentur, ac suspicerent, & perinde, ac „ ille a Domino diligi ambirent, hoc cognomentum adamaverint, quemadmodum ex Fidelium liberis multos „ Pauli, Petrique nominibus appellatos videmus.

(*d*) lib. 7. cap. 25. in edit. Valesii: xx. in edition. Christophorsoni.

III. Quid quod ille Alexandrinus Episcopus, qui omnium primus Arium damnavit, & martyrii etiam gloria præclarissimus effectus est, *Petrus* appellabatur? Tale etiam obtinuerat nomen ille, de quo hæc effatur Eusebius (*e*) *Petrus Ascæta, qui & Apselamus vocabatur, ortus ex Vico Anea in agro Eleutheropolitano, velut aurum purissimum per ignem probatus suæ in Christum fidei in Urbe Cæsarea illustre specimen edidit*. Quod si vis eumdem non esse hunc Petrum, atque eum, qui Petrus Balsamus in Actis martyrii ejus; (quæ edidit Ruinart) (*f*) appellatus est, hunc ipsum Petrum Balsamum nuper enumeratis adjunge. Is enim in-

(*e*) de martyribus Palestinæ cap. x.

(*f*) pag. 441. Anno 285 Christi eum tolerasse martyrium arbitratus est Baronius in adnotationibus ad martyrologium, sed id anno fere 311. evenisse putat Ruinart, in monito ad hæc acta, quem consulas opto.

terrogatus a Judice quo nomine appellaretur, hæc reposuit. *Nomine paterno Balsamus dicor: spirituali vero nomine, quod in Baptismo accepi, Petrus dicor*.

IV. Rursus idem Eusebius eamdem consuetudinem innuit, dum Valesio interprete hæc tradit. (*g*) „ Ac principem quidem illorum cum ejusmodi cruciatibus antea „ exercuisset, quisnam esset primùm interrogavit. Postquam vero pro nomine proprio propheticum aliquod „ vocabulum ex eo audivisset: (quippe ipsi indita sibi „ a parentibus nomina, ideo fortasse quod essent idolorum vocabula, abjecerant.) Heliæ igitur, & Hieremiæ atque Esaiæ, & Samuelis ac Danielis nomina eos „ sibi adsciscentes audire erat, & genuinum ac germanum Israelem, qui propie est eorum, qui in occulto sunt „ Judæi, non solum operibus, sed propriis etiam nominibus exhibentes.

(*g*) Cap. subsequenti idest xi.

Ad hæc Eusebii verba accuratius nonnulli advertentes, suspicati sunt eos Martyres hic indicari, de quibus monuit Procopius Gazæus Hieremiæ, Isaiæ, & Danielis nomina tum assumpsisse, quum ad martyrium se ducendos esse viderunt: quibus quidem nominibus asumptis alacri, & forti animo ad immanes illos cruciatus ferendos accesserunt. At audi ipsa Procopii Gazęi vetusti, & laudatissimi scriptoris verba (*b*) „ Verum pro clamabit, *vocabitur* habet Symmachus. Atque id ipsum ajunt, sæviente persecutionis tempore contigit, quo Ethnicos multos sanctorum hominum appellationes sibi arripere vidimus. Se enim Jacobum alius, alius item Israelem; „ alii etiam Hieremiam, & Esaiam, & Danielem nuncupabant; quibus assumptis appellationibus alacri, & „ forti animo ad martyria accedebant.

(*b*) in Isa. 44. pag. 496. edit. Paris.

V. Hic recense si vis eas imagines, quæ in vitris pictę in Romanis Cęmeteriis repertę sunt, de quibus præclarum librum conscripsit Vir doctissimus Philippus Senator Bonarota: multæ enim inter eas occurrunt, quæ Apostolorum nominibus inscribuntur: quas tamen omnes Apostolos ipsos referre non posse judicant viri docti, qui proinde arbitrantur non paucas ex iis Martyres quosdam, qui laudabili exemplo Apostolorum nomina in baptismo susceperant, repręsentare. Vide figuram III. tabulæ XIV. rursus figuram III. tabulæ XIX. & quæ in eas animadvertit idem Vir doctissimus.

VI. Sed quis ea prætererit, quæ ex Ambrosio hoc

de

de argumento ediscimus? Audite quæ capite tertio (i) libri illius, quem inscripsit *Exhortatio Virginitatis* tradit, ille, seu potius eo referente Juliana sic filium suum alloquens. „ Considera quis te, ut nascereris, juverit.
„ Filius es votorum magis, quàm dolorum meorum. Con-
„ sidera cui te muneri pater tali nomine designaverit,
„ qui vocavit Laurentium. Ibi vota deposuimus, unde no-
„ men assumpsimus. Vota effectus secutus est, redde
„ martyri, quod debes martyri. Ille te nobis impetravit;
„ tu restitue quod de te hujusmodi nominis appellatione
„ promisimus.

(i) alias n. 15.

VII. Testatur etiam Joannes Chrysostomus ob singularem, (k) quem Antiocheni erga S. Meletium servabant amorem, ac reverentiam, filios suos Meletii nomine appellasse, ejusdem sancti patrocinium ea ratione obtinere se posse sperantes. At verba ipsa, qualia in PP. Benedictinorum editione in latinum translata reperi, audiatis volo. „ Nam cum
„ eum a principio in Civitatem ingressum excepissetis, u-
„ nusquisque filium suum ejus nomine appellabat, per ap-
„ pellationem existimans unusquisque in domum suam
„ Sanctum introducere, missisque patribus, avis, & pro-
„ avis, matres beati Meletii nomen imponebant liberis,
„ quos pepererant. Naturam enim vincebat amor pieta-
„ tis, & deinceps, qui nascebantur, non naturali solum
„ benevolentia, sed etiam affectu erga illam appellatio-
„ nem, erant cari parentibus. Ipsum enim nomen & or-
„ namentum cognationis, & ædium tutelam, & ita vo-
„ catis salutem, & amoris solatium esse existimabant &c.

(k) to. 2. pag. 519. in homil. in S. Meletium n. 2.

VIII. Quam quidem consuetudinem summum in modum approbari a Chrysostomo, indicant verba illa homiliæ 21. in Genesim, quæ mox allegabo; eam quoque præcepisse visa est Synodus ipsa Nicæna, si ei tribuis canones eos omnes, quos ex arabico in latinum transtulit Franciscus Turrianus. Etenim Canon. 30. hujus modi est. (*) „ Fideles nomina Gentilium filiis
„ suis ne imponant; sed potius omnis natio Christia-
„ norum suis nominibus utatur, ut Gentiles suis utuntur;
„ imponanturque nomina Christianorum secundum scriptu-
„ ram in baptismo. „ Quid aliud porro sunt Christianorum nomina, (quibus solis omnis natio Christianorum uti jubetur, nisi nomina eorum, quorum laudes in Scriptura recensentur, & patrocinium erga eos, qui idem nomen obsequii, & venerationis causa suscipiunt, tota antiquitas prædicat?

(*) To. 2. Concil. pag. 309.

 IX. Ce-

IX. Celebratissimum etiam illud est, quod Theodoritus sermone 8. inter eos, quos de *Curandis Græcorum affectionibus* fere inscribunt, hoc de argumento his verbis edocet. „ Cum tamen Martyrum nomina, magis quàm „ familiarum, cuncti mortales sciant. Quin etiam nas„ centibus filiis ea imponi curant, ita custodiam illis, tu„ telamque certissimam comparantes. „

X. Sed quid tam multa ex variis scriptoribus colligo, cum ad eum, quo de agimus morem comprobandum satis ea sint, quæ Romanum, Galesini, aliaque Martyrologia suppeditant? Quot enim vero sunt martyres, qui *Petri*, *Joannis*, & affinibus nominibus sunt appellati? Eos si recenseam, longam Martyrum non uno in loco passorum seriem recensere cogar; ex qua quidem ipsa locorum diversitate rectissime assequeris, primis ipsis Ecclesiæ temporibus longe, lateque eam consuetudinem fuisse diffusam: neque enim aliunde desumi poterat Petri nomen, nisi a Petro Apostolorum principe, qui Petra a Christo appellatus, Petrus a latinis nomen illud nativæ linguæ accomodantibus est appellatus: Joannis autem nomen ab altero ex eis, qui *Joannes* in Evangelio sunt dicti. Itaque ut in primo, idest in Petro consistam, Petri martyris natalitium diem Aulona celebrat. Petri quoque Episcopi, & martyris Sebastes; Petri, Severi, & Leucii Alexandria; Damascus quoque, Nicomedia, Roma, aliæque etiam urbes martyrum aliorum, quos nomen istud ornavit, martyrium celebrant, quorum quidem indicem martyrologia nuper allegata facile præbebunt. Id ipsum de *Joannis* nomine dices. Neque enim Latini, aut Greci *Joannis* nomen ab Hebraica lingua desumptum sibi arrogassent, nisi movisset illos reverentia quædam, atque obsequium erga Joannes in Evangelio laudatos.

XI. His alia si adjungam testimonia, videbor fortasse inanem operam sumere: quippe norunt omnes quantum, pace ab Ecclesia recepta, mos hic apud nostros invaluerit.

XII. Ad causas itaque quibus ad id arbitror permotos fuisse Fideles, enumerandas me verto.

Præclaram innuunt in nuper descriptis verbis Chrysostomus, & Theodoretus: nempe tutelæ & custodiæ cujusdam causa, id fieri. Scilicet dum parentes Sanctorum nomina pueris imponunt, eorum Sanctorum, quorum nomina iis imponunt, opem exposcunt, &

suos

suos Liberos veluti custodiendos illis tradunt: ostendentes nempe quantum de Sanctorum eorum pietate, & patrocinio confidunt. Hac ratione permotos arbitror, qui Hieremiæ, Isaiæ, & Danielis nomina proxime ducendi ad martyrium assumpsere: qua de re recole quæ nuper ex Procopio Gazeo adduxi. Aliam suppeditat Ambrosius, (cujus itidem verba retuli) monens eorum, quorum nomina aut imponimus Liberis nostris, aut nos ipsi suscipimus, imitanda gesta, virtutesque proponi: ideoque dum nomen Sanctorum, aut imponitur, aut suscipitur, imitandam proponi pietatem, virtutesque Sancti illius, cujus nomen aut imponitur, aut suscipitur. Eundem atque Ambrosius sensum Chrysostomus exprimit, dum hæc effatur. (*l*) „ Statim, & a principio erudiebant pueros, „ qui ipsis nascebantur, admonentes appellationibus, „ quas illis imposuerant, ut virtutem exercerent, & non „ sicut nunc fortuitò, & absque causa nomina fiunt. Dicunt enim juxta nomen avi, vel abavi nominetur pueri „ at prisci non ita, sed omnem operam adhibebant, ut „ talibus natis imponerent nomina, quæ non solum illos, „ qui nomina sortiebantur, in virtutes adducerent, sed & „ alios omnes etiam, qui sequentibus sæculis futuri sunt, „ nullam non sapientiam docerent. Id quod sciemus, si „ sermo aliquanto amplius processerit. Igitur nos neque „ vulgaria nomina pueris indamus, neque avorum, & „ abavorum, & eorum, qui genere clari fuerunt nomina tribuamus: sed sanctorum virorum, qui virtutibus „ fulserunt, plurimamque erga Deum habuerunt fiduciam. Ad alterutram ex his causis revocare, ut arbitror, poteris eas, quas in rem hanc multi afferunt, quum ajunt honoris testificandi causa, hujusmodi nomina aut imponi, aut suscipi, & affines alias.

XIII. Porro ex his facile disces hujusce consuetudinis utilitatem. Quantum ad virtutem virorum clarissimorum exempla, & frequens memoria excitet, quotidiana experientia intelligimus. Et dubitare adhuc possumus num utilis sit impositio eorum nominum, quorum mentione, & crebra memoria veluti incitamentis quibusdam ad pietatem impellimur? Occurrit scilicet, quodnam nobis ad imitandum proponatur exemplar, dum eo nomine nos appellari audimus, quo appellata sunt præclarissima Ecclesiæ lumina; propterea vero eo nomine nos appellari, ut eorum virtutes sin minus assequi possumus,

(*l*) n. 3. homil. 21. in Genesim. quæ verba si vis disertius latine explicata, consule recentem editionem Clarissimi Montfaucon: ego enim retuli ex antiqua, vulgataque interpretatione.

mus, ad eas tamen assequendas adnitamur. Plurimum vero a Sanctorum patrocinio, atque interventu juvari nos, adeo certum exploratumque est, ut argumenta alia adjungere iis quæ attulimus, pigeat. Jam vero mirari desines, cur sanctorum virorum jussu aliquando pueris Sancti alicujus nomen impositum sit. Ac pro multis quidem Joannes Lycopolitanus, utpote præclarissimus nobis satis esse queat, qui nempe parentibus pueri illius, quem idem Joannes orationibus a Deo impetraverat, & vitæ genus, & alia multa præscripsit, atque inter alia etiam Joannis nomen. (*) Quis non merito id dicet factum, ex quo & præclarissima imitatio proposita, & tum multa, tum summa emolumenta proveniunt?

(*) Rufi. de vitis Pat. li. 2. pag. 450. Et Pal. Hist. Lausf. cap. 43.

CAP. XXXV.

De Promissis, seu votis alicui Sancto factis. Quibusdam præmissis circa hoc vocabulum votum, antiquissimam esse ostendimus eam, qua de agimus, consuetudinem.

I. EAdem, quæ promissa Sanctis facta, *Vota* etiam appello: quippe consuetudine invaluit, ut ea quoque *Vota* dicantur: quod mirum non est: cum enim vox ista *Votum* multis, iisque interdum valde dissitis significationibus subsit, *(a)* ausi sunt Fideles novam hanc (si tamen novam eam esse vis, nam procul dubio vetustam indicant ea quæ ex Eusebio Cæsariensi, & ex Paulino Nolano, atque Evodio testimonia mox allegabimus) ausi inquam Fideles sunt novam hanc huic voci significationem tribuere, ea potestate usi, quam Christiani in aliis quoque vocum ampliationibus sibi tribui voluerunt. *(b)* Et hæc de voce dicta sint satis.

II. Venio jam ad rem ipsam; ad promissa scilicet Sanctis facta. Ajo vero in primis, contendoque vetustissimam eam esse consuetudinem, quam nunc Catholici etiam retinent, ut promissiones aliquas Sanctis faciant; veluti si sanitatem, quam optant, receperint, eleemosinam largiorem pauperibus se largituros, iter ad sacram ædem aliquam suscepturos, & alia his affinia. Porro ad hiju-

(a) Vide Lexica, atque illud inprimis, quod adornavit Clarifs. Facciolatus ad vocem *Votum*.

(b) Recole ea quæ capitibus 1. 2. & 3. Differtat. 1. tradidimus.

hujusce consuetudinis antiquitatem comprobandam, si regulam Augustini, quam sæpe allegavimus; *adducendum scilicet ad Apostolica tempora id, quod ubique, & ab omnibus invenitur factum, nec tamen in Conciliis illud noscitur institutum*, hic quoque alleges; id meo quidem judicio præstabis, quod multa cum laude, & jure fiet. Enim vero jam pridem consuevere Christiani tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ promissa facere Sanctis, adeo ut Eusebius mox citandus non aliquorum, sed communem veluti, & ab omnibus frequentatam consuetudinem eam esse innuat: nec tamen hujus consuetudinis origo in Concilio aliquo reperitur.

III. Quod si expressa ipsa veterum testimonia proferri vis, parebo libens, & pauca ex plurimis proferam. Digitum autem statim intendo ad Acta S. Clementis, quæ etiam descripsit Gregorius Turonicus: (c) in his scilicet narratur die festo S. Clementis *recedere* consuevisse *mare per tria millia, siccumque gradientibus iter præbere usque ad sepulcrum martyris: ibi vero vota reddere populum*.

(c) lib. 1. Miracul. alias de Gloria Martyrum cap. 35.

IV. At quoniam fidem in ea, quam narrant historia, non pauci demunt tum allegatis Actis, tum Gregorio Turonico iis fidenti; Eusebium Cæsariensem indubitatum adhibe testem; ex eo nempe apertissime intelliges vetustam simul, & universalem ea ætate fuisse hujus modi consuetudinem. Nempe cum Platonis verba protulisset, in quibus proponebatur *præclaros quosdam, ac fortes Viros tanquam bonos genios honorandos, & conditoriis corporum illorum sanctiorem cultum adhibendum esse*: ab his Christianos non esse alienos his verbis edocet, (d) „ Quæ „ quidem in hominum Deo carissimorum obitus egregie „ conveniunt, quos veræ pietatis milites jure appellabis: „ Nam & eorum sepulcra celebrare, & preces ibi, vo„ taque nuncupare, & beatas illorum animas venerari „ consuevimus, idque a nobis merito fieri statuimus.

(d) lib. 13. de Præparat. cap. olim 7. in edit. vero Francisci Vigeri XI. pag. 663.

V. Dubitant (fateor) nonnulli num ita vertendum sit: cum enim Eusebius adhibuerit voces has καὶ τὰς εὐχὰς ποιεῖσθαι, verti jubent *preces facere*, votis omnino non commemoratis. Quæ interpretatio quod ad cultum Sanctorum comprobandum attinet, apta est illa quidem: at quod spectat ad ostendendam votorum Sanctis nuncupatorum consuetudinem, minime apta est. At clarissimus Muratorius (e) opportune monet voces has τὰς εὐχὰς vota potius, quàm preces significare. Allegat autem dicti

(e) Dissert. 18. in earum numero, quas D. Paulini operibus adjunxit.

dicti vadem Henricum Stephanum in thesauro linguæ græcæ pluribus exemplis id confirmantem. Ipse duo seligit. Desumitur primum ex Oratione 2. Nisseni de *Oratione Dominica* ad verba illa Matthæi 6. *Cum oratis &c.* quippe sic loquitur. „ Non dixit ὅταν εὔχησθε, idest cum vota facitis, sed ὅταν προσεύχησθε idest cum oratis. Sed quænam est horum nominum differentia? εὐχὴ, idest *votum* pro-
„ missio quidem est alicujus rei, quæ pietatis nomine de-
„ dicetur, & sacris destinetur; προσευχὴ autem, idest
„ Oratio est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatio-
„ ne offertur &c. tum subdit. Multis in locis Scripturæ
„ ejusmodi τῆς εὐχῆς idest voti significationem videre li-
„ cet &c „ Non minus aperte loquitur S. Augustinus (&
„ en exemplum alterum) in epistola 59.(*) ad Paulinum no-
„ strum scripta ubi hæc habet. *Nam eam quam dicunt εὐχὴν,*
„ *raro ita Scriptura ponit, ut intelligatur Oratio, sed ple-*
„ *rumque, & multo usitatius votum appellat εὐχὴν, προσευχὴν*
„ *vero semper orationem vocat . . . . Porro si usita-*
„ *tius, ut dixi, in scripturis votum appellatur εὐχὴ excepto*
„ *nomine generalis Orationis ea proprie intelligenda est Ora-*
„ *tio, quam facimus ad votum, idest πρὸς εὐχήν. Voventur*
„ *autem omnia, quæ offeruntur Deo, maxime sancti Alta-*
„ *ris oblatio.* „ Hactenus Optimus Muratorius.

(*) nunc 149. n. 16.

VI. Muratorii sententiam præisse visi sunt quotquot preces quidem expresserunt, cum latine verterent ista Eusebii verba, sed vota autem addiderunt. Vigerus sane, cujus translationem adduximus, vota precibus jungit, quod & præstat Petavius cum libro XIV. de *Incarnatione* cap. XI. n. 2. sic vertit. „ Atque hæc ad Deo
„ carorum hominum mortem, quos veræ religionis mili-
„ tes jure dixeris, accomodare convenit. Unde & nos
„ ad eorum adire sepulcra consuevimus, & ad illa pre-
„ ces, & vota nuncupare: tum beatas eorum animas ho-
„ nore prosequi: tamquam nos illa ipsa præstare rationi sit
„ consentaneum. „ Tanto vero pluris æstimandum est hoc testimonium, quanto certius novimus non suam privatam opinionem, sed communem consuetudinem ab Eusebio hic exprimi. Monet autem D. Basilius Eusebium Ecclesiæ consuetudines apprime novisse, ut pote in nostrorum Doctorum libris versatissimum, & qui plurimorum itinerum occasione visisset ipse variarum Ecclesiarum mores, & instituta.

(*) De *Spiritu Sancto* ad Amphiloch. cap. 29. alias n. 72.

VII. Haud ita multo post vixit Ambrosius, ex quo præ-

præclarum ad rem præsentem testimonium habemus in oratione de *excessu Satyri* fratris sui: numero quippe 17. testatur voto facto S. Laurentio, ex remotissimis regionibus incolumem rediisse illum. „ Væ miseræ opinioni! „ (inquit) putabamus redditum, quem videmus dilatum: tuis enim votis apud S. Martyrem Laurentium impetratum esse nunc cognoscimus commeatum. Atque „ utinam non solum commeatum, sed etiam prolixum vitæ tempus rogasses! Potuisti annos plurimos impetrare vivendi, qui potuisti commeatum impetrare veniendi. Et quidem tibi Omnipotens æterne Deus gratias „ ago &c.

VIII. Quod si aliud proferri vis expressius etiam testimonium, statim illud adducam, desumptum scilicet ex libro, quem idem Ambrosius inscripsit: *Exhortatio Virginitatis*: (b) sic enim Julianam filium suum alloquentem inducit. „ Considera quis te, ut nascereris, juverit; filius es votorum magis, quàm dolorum meorum. Considera cui te muneri Pater tali nomine designaverit, qui vocavit Laurentium. „ Ibi vota deposuimus, unde nomen adsumpsimus. Vota effectus sequutus est, redde Martyri quod debes Martyri. „ Ille te nobis impetravit, tu restitue, quod de te hujusmodi nominis appellatione promisimus. „ Porro tam perspicue hic loquitur de promissionibus, Sancto Laurentio factis, ut voti nomen in desiderii significationem (quod vellent aliqui) trahi non sinat.

(b) c. 3. alias n. 15.

IX. Damaso sanctitate, doctrina, & præclaris in Ecclesiam meritis celebratissimo Romano Pontifici tribui consuevere versus illi, qui ad Martyrum tumulos a Damaso dicuntur positi. (& Pontifex sane fuisse videtur ille, qui Rector appellatur) Porro in horum numero aliqui ab Arringhio allegantur, qui illum de quo, disserimus morem, haud obscure comprobare videntur. En illi (c)

Ornavit Damasus tumulum, cognoscite, Rector
Pro reditu Cleri Christo præstante, triumphans
Martyribus Sanctis reddit sua vota Sacerdos.

Et alibi (*)

Supplicis hæc Damasi vox est: venerare sepulcrum.
Solvere vota licet, castasque effundere preces,
Sancti Saturnini tumulus quia Martyris hic est.

(c) lib. 2. cap. 10. pag. 242.

(*) in Epitaphiis pag. 621.

X. Paulinus Nolanus Episcopus perspicua, & plura subministrat hujusce consuetudinis testimonia. Quàm crebra fuerint hujusmodi vota indicat ille apertissime, dum in Natali octavo v. 382. hæc ait

Omni namque die testes sumus, undique crebris
Cætibus, aut sanos gratantia reddere vota,
Aut ægros varias petere, ac ambire medelas.

Sane ipsemet Paulinus se voto obstrictum, ut carmen singulis annis in D. Felicis laudem elaboraret, manifesto indicat, dum Natalem sextum S. Felicis sic exorditur.

Lex mihi jure pio posita hunc celebrare quot annis
Eloquio famulante diem, solemne reposcit
Munus ab ore meo, Felicem dicere versu,
Lætitiamque meam modulari carmine voto.

& mox, v. scilicet 47.

. . . . . . ego munere linguæ
Nudus opum famulor de me mea debita solvens.

Alia, si vis, etiam plurima Paulini testimonia, dabit dissertatio ea Clarissimi Muratorii, quam nuper citavimus. Pauca ego proferam. En illa.

Natali primo v. 12.

. . . . . & qua requiescis in aula
Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram
Vota, & gaudentes inter gaudere tumultus.

Natali secundo v. 7.

. . . . tria tempore longo
Lustra cucurrerunt, ex quo solemnibus istis
Coram vota tibi coram mea corda dicavi.

XI. Eandem consuetudinem iterat, & inculcat, quum (*) ad Severum hæc scribit. „ Præsumimus te videndum, amplectendumque nobis, dono Domini, in „ sede, ac sinu domini mei communis patroni Felicis, „ cui vota tua toties contestatus sum & promissa reci- „ tavi. „ Neque porro a verisimili aberrant monita eorum, qui docent ita commode sumi posse postrema hæc verba *& promissa recitavi*, ut sint quædam explica-
tio

(*) Epis. olim 13. nunc 17. n. 3.

tio priorum, sitque particula & (quod sæpe in prophanis, & sacris etiam scriptoribus fit, (19) posita pro idest.

XII. Prudentius in libro peri stephanon seu coronarum hymno I. (*) hæc eloquitur.

(*) qui editus est in honorem Sanctorum Martyrum Hermiterii, & Cheledonii v. 14.

Illitas cruore Sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes
Voce, Votis, munere.

XIII. Porro si vox illa *Votis* cum obsecrationibus jungitur (*obsecrantes*,) promissa de quibus agimus, apertissime indicat. Si enim non voce tantum, aut munere, sed votis etiam obsecrabant populi, intelligimus & precibus voce tantum expressis, & precibus, quæ oblationibus, seu munere firmabantur, denique precibus, quibus vota, seu promissa adjungerentur, obsecratos fuisse sanctos Martyres Hermiterium, & Cheledonium.

XIV. Hic refer (si promissa Cypriano, & Stephano facta eis verbis indicari vis) ea Evodii verba, (Evodium enim appello quod plerique faciunt) quæ capite 2. (*) libri secundi de miraculis S. Stephani leguntur: in his quippe apertissime votorum S. Cypriano, & S. Stephano factorum mentio fit. Ea porro verba hic non refero, quod ea deinceps sim descripturus.

(*) n. 9.

XV. Gregorius Turonicus libro 2. historiæ Francorum cap. 37. meminit voti, quod milites Regis Clodovei (Regis ipsius fortasse nomine) B. Martino nuncupaverunt. *Quod satellites audientes, & domino gratias agentes, & vota beato Confessori promittentes læti nunciaverunt Regi &c.* & sane Rex *patrata victoria Turonos regressus est, multa sanctæ basilicæ Beati Martini munera offerens.* Porro Clodoveus vixit ante annum quingentesimum Christianæ Æræ.

(19) Ut in exemplis a Sacra Scriptura desumptis consistam, in libro Num. cap. 3. v. 3. *quorum repleta & consecrata sunt manus:* particula & sumitur pro *id est*, quod etiam fit Colos. 2. 8. *Videte ne quis vos seducat per philosophiam, & per inanem fallaciam:* idest per philosophiam illam, quæ sit inanis, & fallax, seu inanis fallacia. Id ipsum occurrit versiculo 41. capitis 13. Matth. Versic. 1. & 3. capitis 34. Jeremiæ, & alibi etiam.

XV. Nonnihil obscurum videtur id esse; quod occurrit in libro Sacramentorum S. Gregorii in Missa, dicenda in natali unius Martyris. Illud referam tamen, quoniam nonnulli allegant ad eum, quo de agimus ritum comprobandum. „ Votivos Domine quæsumus Beati Mar-„ tyris tui (Illius) natalis nos semper excipiat: qui „ & jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, „ & nos tibi reddat acceptos. Per Dominum nostrum. „ *Super oblata*. Presentia munera quæsumus Domine „ ita serena pietate intuere, ut Sancti Spiritus per-„ fundantur benedictione, & in nostris cordibus eam „ dilectionem validius infundant, per quam sanctus Mar-„ tyr (ille) omnia corporis tormenta devicit.

XVI. At obscura procul dubio non sunt ea, quæ hoc de more proponit Ennodius, qui referente Sirmondo anno Domini 521. (*) magna cum sanctitatis, tum doctrinæ fama extremum diem objit. Etenim quanti vota Sanctis facta æstimaret, apertissime ostendit epistola septima libri tertii Adeodato Presbitero scripta. *Salutans ergo* (inquiens) *veneranter, & debite, spero, ut pro me per omnia Sanctorum loca vota facias, quæ consecutus Dei beneficia, sine mora dissolvam &c.* Et in opusculo, quod *Eucharisticum de vita sua* inscripsit (in in gratiarum scilicet actionem ob redditam sibi S. Victoris interventu sanitatem) promissionum Sanctis factarum indubitatum testimonium præbet hæc elocutus. *Promisi etiam, si clarioris studii me (*) per gratiam suam donaret affectum; de manu linguæ meæ, confessio ista procederet; de muneribus ipsius ingenioli mei eidem adipem litarem &c.*

(*) In vita hujus Scriptoris libris præposita pag. 797. t. 1. operum Sirmondi.

(*) (fortasse mihi)

XVII. Quid si rursus allegem Gregorium Turonicum? narrat quippe (*) Sygivaldum vix ingressum domum, quam *Tetradius Episcopus Basilicæ* S. Juliani *reliquerat, ipseque Sygivaldus temerario ausu pervaserat, in amentiam incidisse*. Tum subdit. *Vix autem sanitatem recepit, vota beato Martyri vovens, ea, quæ vi abstulerat, duplicata restituit*. Adde, si vis, ea quæ narrat idem Gregorius lib. 1. *de Gloria Martyrum* cap. 67. his verbis: *Votorum promissa solventes &c.*

(*) (lib. 3. histor. Franco. cap. 16.

XVIII. Ariani ipsi fortasse hunc morem inviderunt Catholicis, & vota sua Sanctis nuncupaverunt. Id indicavit si ad S. Agatham dirigebatur, ea inscriptio, quæ referentibus Viris optimis posita olim erat in absidе Ecclesiæ B. Agathæ in Suburra; quæque etiam appellata est *S. Agathæ Gotho-*

rum

rum. En illa. *FL. RICEMER U. J. MAGISTER UTRIUSQUE MILITIÆ. PATRICIUS, ET EXCONSUL ORD. PRO VOTO SUO ADORNAVIT.*

XIX. Spectant vero facile ad hoc etiam caput ea, quæ deinceps de monumentis edisseram, quibus a Deo accepta Sanctorum interventu beneficia testata facimus: argumenta quippe sunt etiam illa votorum, quibus nos obstrinximus Sanctis. Facile etiam spectat illud, quod de Philoromo, qui voverat *in Martyrium Venerandi Atletæ Marci*, tradit Palladius, quem allegabo, quum de peregrinationibus agam.

XX. His si alia addam testimonia, erit fortasse aliquis, cui videar frustra conari, & in re apertissima operosius quàm oporteat, laborare; cum ab Ennodii, & Gregorii Turonici temporibus ad nostram usque ætatem hic mos plane invaluerit, nemine e Catholicis obsistente, ideoque mirabili quadam consensione eum Ecclesia approbante.

C A P. XXXVI.

Nonnulla adjungimus de probitate hujusce consuetudinis; tum dissolvimus objectiones, quas adversus probitatem in eo more positam intorquent: emolumenta deinque illius recensemus.

I. AT illis satisfaciamus oportet, qui antiquissimum esse fatentes eum quo de agimus ritum, contemnunt tamen quasi improbum; & statim ostendamus probitatem inesse summam in ea consuetudine. Et sane probas esse eas, de quibus agimus promissiones, tum ipsa, ut ita loquar, earum essentia, tum alia multa declarant. Commendant scilicet eas Patres, atque in primis Paulinus, qui singulis quibusque annis votivum carmen S. Felici nuncupabat: Commendat Ecclesiæ consensio; immo Deus ipse. Quippe vel miraculis vota ista visus est approbasse. An id negabis, postquam ea legeris,

quæ

(*) cap. 31.

quæ narrat Gregorius Turonicus (*) li. 2. *Miracolorum*, aliàs de *Gloria Martyrum* de mansuetudine pecorum D. Juliano votivorum, deque præsidio, quod illorum gerebat Deus? Nonne etiam ex D. Paulino rem totam elegantissime describente in Natali 12. D. Felicis intelligimus quantas dederit pænas ille, qui voti sui parte modica distributa

. . . . . Et votum sibi corpus habere relinquit,
Et votum complesse putat, lætusque redire
Incipit ausus eas jumento imponere secum
Relliquias, & in his placiti se pignora voti
Sancta referre domum male credulus, in quibus idem
Damnum animæ, modumque viæ portabat avarus. (*)

(*) (v. 77. & seq.)

Hæc vero, quod ad probitatem attinet, indicasse sit satis.

II. Displicent tamen nonnullis duo: primum grammaticum fortasse est, aut certe grammatica innititur difficultate; alterum plane Theologicum. Hæc primum exhibet. Vox ista *Votum* promissionem significat Deo factam. Non potest ergo trahi ad significandam promissionem Sanctis factam. Desumitur alterum ex Concilio II. Namnetensi Can. 20. (*) quo quidem (quorundam sententia) mos iste improbatur: hæc quippe extant in canone illo: *Omnibus interdicatur, ut nullus votum faciat, aut Candelam, vel aliquod munus pro sanitate sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo*: Affine his est decretum capitis 5. Concilii Agatensis, (*) quippe prohibentur Fideles, ne vota cuipiam Creaturæ faciant, sed tantum Deo. Deo itaque, non Sanctis fieri vota jubet hæc Synodus.

(*) Tom. XI. Concili: pag. 663.

(*) Allegatur a Burchardo l. 10. cap. 33.

III. Ac vos sic ista repellite. Vox hæc *Votum* multas habet significationes, veluti desiderium, aliaque plurima, quæ reperire facile poteris in lexicis. Fere tamen Ecclesiastici auctores sumunt pro promissione, quæ Deo fiat. At non continuo vetant, paulo latius sumi, & ampliari ad significandam promissionem Sanctis factam, præeuntibus iis viris optimis, quorum testimonia produximus. Sed aliunde etiam vocari possunt

ſunt Vota hujuſmodi promiſſiones: quippe ſi diligentius inſpicias, ad Deum denique collineant promiſſiones factæ Sanctis; nempe ſi a Sanctis petimus, uti ab impetratoribus petimus, cum auctor beneficiorum ſit Deus ad quem denique referuntur eadem vota, & preces.

IV. Cur vero hic obtrudant viceſimum Namnetenſis Concilii Canonem? Ipſum obſecro, ut legant, & ſi quidquid veræ, ſolidæque difficultatis in eo repererint, tum demum objiciant. Atqui apertiſſime is Dæmonibus vota fieri prohibet. At quis ex Pontificiis, dum aliquid Sanctis pollicetur, & vovet, vota Dæmonibus facta approbat? Canonem ſane integrum audiatis volo, ex quo ſcilicet edictionis a Synodo factæ ſenſa aſſequamini. „ Summo decernere debent ſtudio Epiſ„ copi, & eorum Miniſtri, ut arbores Dæmonibus con„ ſecratæ, quas vulgus colit, & in tanta veneratione „ habet, ut nec ramum, vel ſurculum inde audeat am„ putare, radicitus excidantur, atque comburantur. La„ pides quoque, quos in ruinoſis locis, & ſilveſtribus, „ Dæmonum ludificationibus decepti venerantur, ubi & „ vota vovent, & deferunt, funditus effodiantur, at„ que in tali loco projiciantur, ubi numquam a cul„ toribus ſuis inveniri poſſint. Et omnibus annuncie„ tur quantum ſcelus ſit idololatria: & quod qui hæc „ veneratur, & colit, quaſi Deum ſuum negat, & „ Chriſtianitati abrenunciat, & talem pænitentiam in„ de debet ſuſcipere, quaſi Idola adoraſset. Om„ nibuſque interdicatur, ut nullus *Votum faciat*. „

Atque hæc quidem mens fuiſse videtur Patrum Synodi Agatenſis. Ecce clariſſima objecti Capitis Verba. „ Perſcrutandum, ſi aliquis vota ad arbores, vel ad fon„ tes, vel ad lapides quoſdam veluti ad altaria faciat, „ aut ibi candelam, ſeu quodlibet munus deferat, ve„ luti ibi quoddam numen ſit, quod bonum, aut ma„ lum poſſit inferre. „ Ceterum ſi vis præcipere has Synodos, ut vota Deo tantummodo, non Sanctis fiant: evitari adhuc qualiſcunque ea ſit, difficultas poterit, ſi dixeris juberi Fideles vota Deo ſoli facere: quum ea (ſi in propria, & rigoroſa ſignificatione ſumatur vox iſta votum) Deo tantum fieri poſſint. At quis inde conjiciat promiſſiones fieri non poſſe Sanctis? An pro pterea oſtendes promiſſiones fieri non poſſe hominibus in hac vita poſitis, quòd Deo ſoli vota fieri debeant?

V.

V. Nunc denique recenseo emolumenta hujusce consuetudinis. Utilia esse vota Sanctis nuncupata evincunt ea, quæ de horum votorum probitate diximus. Quis enim ab utilitate remotum id dicet, cujus probitas tanta est? At aliunde etiam utilia ea esse intelligimus. Scilicet facilius ad nostras exaudiendas preces flectuntur Sancti, cum se tam enixe obsecratos vident; vident quoque eorum interventum nobis futurum fore maxime utilem: quippe qui nisi omnium ingratissimi esse volumus erga patronos nostros, adeoque erga Deum, erimus Deo obsequentiores, & ceteris venerationis nostræ, pietatisque argumentis id etiam addemus, quod promisimus. Fortunatus eventus utilitatem etiam ostendit. Sane nuper adducta Ambrosii verba (*) si diligenter expenderis, compertum ea facient utilissimum fuisse ad optatum reditum illud, quod emisit Satyrus votum, diuturnioremque vitam habiturum fuisse illum, si eam voto emisso petiisset.

(*) cap. 35. n. 7.

CAP. XXXVII.

De Votis, in quibus dum eadem vota facimus, aut solvimus, Sanctos veluti adjutores, & socios adsciscimus: denique de votis, quibus pollicemur nos aliquid in Sanctorum honorem facturos.

I. Postquam differuimus de promissis, quæ Sanctis facimus, quæque latam tantum modo habere possunt *voti* significationem, ad ea sermo est convertendus, quæ *vota* appellare æquius possumus, ut pote promissa Deo facta, & tamen ad tractatum hunc nostrum pertinent, quippe Sanctorum intercessio, & suffragium in iis aut palam elucet, aut certe delitet. Percipitis, ut puto, me de iis votis loqui, quæ dum facimus, Sanctos adjutores, & suffragatores exposcimus; dum reddimus, gratiarum actionis esse volumus socios. Porro, ut de eorum antiquitate primùm dicam; vetustissimum sane fateberis codicem illum, ex quo *Sacramentarium* suum Gallicanum exscripsit Mabillon, qui illud tomo I. Musei Italici evulga-

gavit. Primum tamen morem ex duobus illis quos modo exposui, indicari is fortasse dicet, qui ad Missam quæ occurrit pag. 360. adverterit animum. En illam. Missa votiva .... (Secreta.) ... „ Iteramus „ omnipotens Deus, deprecationem nostram ante con„ spectum majestatis tuæ, quam specialiter pro famu„ lo tuo illo oblationem pro peccatis, vel pro auxilio „ ejus offerimus, vota perficias. Petitiones ejus ascen„ dant ad aures clementiæ tuæ, & descendat super „ eum pia benedictio tua .... (Contestatio)....Sed „ in quantum possumus miseri, territi quidem de con„ scientia, sed fidi de tua misericordia, veniam mise„ rationis, & refugium postulantes, atque in comme„ moratione Sanctorum tuorum Petri, & Pauli, per „ quorum suffragia sperantes veniam, precamur ut fa„ mulo tuo illi remissionem tribuas peccatorum, opus „ ejus perficias, vota condones. Dona idemque ser„ vo tuo illi intercedentibus Sanctis remedium animæ „ suæ, quod postulamus, ut vota desideriorum ejus perfi„ cias. „ Et hunc quidem morem fortasse etiam id indicat, quod numero 16. Vitæ S. Germani Antisiodorensis tradit Mamertus visionem suam narrans. (*) *Sancti Episcopus Peregrinus & Amator priusquam discedant, Missas sunt Votivas celebraturi, & propterea te quoque* (Sanctum Martyrem Corcodemum innuit) *miserunt invitare, ut ministerium tui officii peragas. .... Tum demum quasi me coram audiebam Sanctum Amatorem Episcopum dicentem Diacono. Præbe silentium frater, quo possimus remoto strepitu votorum compotes fieri.*

(*) Sur. to. 4. pag. 432.

II. Ad eum quoque morem respicere videtur Paulinus Nolanus, quum vers. 120. Natalis 3. S. Felicis hæc ait

. . . . hæc vota tuorum
Suscipe, commendaque Deo; ut cum sedula cura
Servitium nostrum longo tibi penderit ævo &c.

Sed quicunque horum versuum sensus sit, indubitate ad eum respicit S.Thomas (a) quum hæc sibi objiciens *Non omne votum fit Deo; quia etiam Sanctis vota fiunt: ergo inconvenienter ponitur in definitione voti, quod Deo fiat.* Hanc difficultatem, qualiscunque ea sit, his verbis dissolvit; *Ad quartum dicendum, quod votum non fit Sanctis, nisi secundum quod per suffragia sunt mediatores inter nos, & Deum; sicut & oratio ad Sanctos fit; & ideo omne votum principaliter ad Deum reducitur, sicut oratio.*

(a) in 4. dist. 38. quæst. 1. ar.

III. Eundem vero morem, aut si vis alterum ex iis, quos nuper recensui, clarissime exprimi puto in Missa tertia inter votivas (*) ejusdem libri Sacramentorum. Quid dilucidius vis verbis illis? ,, Deum, cui acceptiora sunt vota Fidelium, quàm munera fratres carissimi, supplices deprecemur, ut hanc oblationem famuli sui illius dignanter accipiat. Tribuat ei magna pro parvis, pro temporalibus præmia sempiterna. Det ei auxilium, sive præsidium gratiæ suæ, ut quod humiliter implorat, Domino largiente suscipiat.,, Et mox, ,, Contestatio. Vere dignum, & justum est omnipotens Deus te laudare, te benedicere, teque glorificare, ... cui Jacob votum vovit, & reddidit; miserere Domine servo tuo illi, qui in honore Sanctorum ill. votorum munera offert per suffragia orationum Sanctorum tuorum: te protectorem suum, semper agnoscat, & sui auxilii opem indesinenter inveniat; ,, Atque ex his quidem verbis conjicere facile possumus eum qui vota solvebat, (*votum vovit, & reddidit*) offerebatque ad altare votorum munera (fortasse id quod voverat munus, aut tabellam aliquam recepti beneficii indicem) in Sanctorum honore, & per eorundem Sanctorum suffragia, precesque id facere consuevisse. (*Qui in honore Sanctorum ill. votorum munera offert per suffragia orationum Sanctorum tuorum.*) Cur porro id fiebat, nisi ut declararetur, si Sanctorum suffragiis id obtinuerant quod poscebant Fideles, optasse etiam, ut vota sua Sanctorum precibus, & suffragiis juncta solverent? Cur autem id optabant, nisi ut in reddendis pro receptis beneficiis Deo gratiis, eosdem haberent adjutores, quos habuerant in iis obtinendis suffragatores? Atque in hanc quidem sententiam tanto animosius feror, quanto certius habeo institutum jam pridem fuisse ab Ecclesia, ut si quis ad agendas Deo pro recepto beneficio gratias, celebrare vult Missam, seligere eam possit, quæ votiva Virginis Mariæ est. Valde porro probabilis eorum opinio est, qui Missas votivas omnes a principio institutas esse ajunt, ut vel in iis publice fierent, aut certe publice persolverentur, ac redderentur Deo vota (20)

(*) pag. 362.

IV.

(20) Sane Missas illas, quæ Votivæ in Sacramentario Gallicano

IV. Num aliquid horum simile assequi possis ex vers. 441. Natalis VI. S. Felicis, certo asserere minime audeo: versiculos tamen ipsos afferre volo.

. . . Ille autem, qui tanti muneris alto
Causa fuit Domino, mediis in liminibus stans,
Flensque iterum, sed lætitia, modo debita Sancto
Vota refert, non ære gravi, nec munere surdo,
Munere sed vivo linguæ, mentisque profusus,
Voce pia largum testatur pauper honorem:
Debitor & Christo satis isto pignore solvit,
Immaculata suæ cui sufficit hostia laudis:

Cur enim hominem illum debitorem Christo appellat, nisi quia votum, quod Felici commendabat, Christo fecerat? sed hæc conjiciendo dixi.

V. Valde porro clariora (multorum quidem judicio) visa sunt ea, quæ tradidit auctor ille, qui libros duos *de Miraculis S. Stephani* scripsit, & appellari consuevit Evodius. Ea delibabo, quæ ad rem præsentem aptiora arbitror. (b) ,, Benedicta Megetia ,, a quadam amica, atque nobili femina Rustica rogabatur, ut voto suo solvendo Beato Martyri Cypriano ,, in Mappalia secum pergeret, & solemnitati pariter ,, interesset. Quod Megetia facere se non posse causabatur, sciens quid in se Dei potentia infidelium oculis ,, ostenderet . . . . . . Tunc omnes una ad Ecclesiam perrexerunt cum ea, & vota sua Domino persolverunt. Peracto autem sancto Pascha Domini, ,, etiam ad Uzalensem Civitatem religiosa Vitula una ,, cum Megetia sua, aliisque religiosis feminis venit, ,, vo-

(b) lib. 2. cap. 2. n. 9.

cano a Mabillonio vulgato hanc ob rem fuisse institutas pro certo habeo. Quid expressius vis verbis illis quibus incipit Lectio? (*) *Fili, si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: sed quodcunque voveris, redde &c.* . . . . In alia quoque Missa. *Suscipe Domine supplicantis servi tui votivum tibi munus oblatum, & multiplici fanore gratiarum, & quæ fidelissimis votis petit, tu ei pissime miseranter indulge* ,, & in Contestatione. ,, *Qui nobis votum, quo placeris inspiras, & votiva nos inspiratione remuneras, te obsecramus &c.* in secretis quoque tertiæ Missæ votivæ hæc occurrunt. ,, *Omnipotens, & misericors Deus, cui redditur votum in Hierusalem, exaudi preces famuli tui: memor esto Sacrificii sui: fiant holocausta sua (pinguia) tribue ei devotionis gratiam, comple in bonis desiderium suum, & corona eum in misericordia.*

(*) pag. 361.



„ votaque suo de salute filiæ plena, & perfecti Christo Do„ mino, Christique amico (*Stephano*) in conspectu omnis „ nostræ Ecclesiæ congaudentis, atque congratulantis „ hilariter reddidit, ferventer exhibuit, fructuoseque „ persolvit. „ Hæc nempe Evodii verba ita hi explicant, ut Vitula vota sua Christo, & Stephano reddiderit, exhibuerit, persolverit, quòd ea Stephano commendaverit Christo reddenda & cum gratiarum actione persolvenda. Et hæc quidem explicatio valde probabilis videtur esse.

VI. Et de antiquitate hujus modi votorum satis. Neque in indicanda vero sive probitate, sive utilitate in hoc ritu inhærente immorabor, quando quidem fiducia erga Deum, pietas atque obsequium in Sanctos, gratus quoque in eosdem Sanctos animus, aliaque hujus generis perspicue in eo ritus apparent, quæ procul dubio valde sunt proba. Utilem vero quis negabit hunc esse morem, si probus est, & diuturna experientia pro ficuum esse declaravit? Alia quæ facile differere hoc de argumento possem, prudens omitto, ne rerum, probatio numque multitudine, ac nimietate lectori molestus sim.

VII. Aliqua etiam dicenda sunt de votis, quibus Deo promittimus aliquid in honorem Sanctorum nos facturos, veluti si polliceamur nos Deo Basilicam *in Sancti alicujus honorem* erecturos, & id genus alia. Sed quid eo de more multa dicere necesse est, quando quidem exploratissimum reor id Deo esse acceptissimum? est enim Deo acceptissimus honor rite adhibitus Sanctis. Quo de argumento cum multa alibi dixerimus, hic pluribus agere necesse non est. Hujus sane moris cum alia multa argumenta habeamus, illa minime præterierim, quæ submistrant tum Augustinus numero 4. Sermonis 286. (*c*) (meminit enim cæci, *qui in Basilica Sanctorum Martyrum Gervasii, & Protasii, ubi sunt eorum Corpora, totam vitam serviturum se esse devovit*) tum Galla Placidia quæ naufragium metuens, Deo vovit se *in S. Joannis honorem* Basilicam ædificaturam, *Cum esset angustiosa per discrimina maris gradiens, orta procella, carina quassante a fluctibus, putans mergi in profundum, Deo votum vovit de Apostoli Ecclesia*. Quod re ipsa præstitit, votique sui in erecta a se æde monumentum posuit, (*d*) ut deinceps dicemus.

(*c*) olim. 39. *de diversis*.

(*d*) In vita S. Joannis cap. 6. pag. 68. par. 1. to. 2. re. Ital.

CAP.

C A P. XXXVIII.

Agimus de monumentis, quibus a Deo accepta Sanctorum interventu beneficia testata facimus. Probatissimorum Patrum testimoniis ostendimus antiquam esse, & in Ecclesia retentam eam consuetudinem, qua monumentis aliquibus testata facimus beneficia Sanctorum interventu a Deo recepta. Paucissima denique adjungimus de more illorum, qui iis vestibus induti incedunt, quibus constet ob beneficium alicujus Sancti favore receptum, eidem Sancto se profiteri deditos, devotosque.

I. CUm pluribus modis ea, quæ ab aliquibus consecuti fuimus beneficia possimus testata facere, pluribus etiam modis comperta fecere Fideles beneficia, quæ Sanctorum interventu se recepisse haud temere putaverunt. Potissima, aut certe crebriora fuere vel descriptio recepti beneficii versibus, aut prosa etiam oratione facta relictaque velut perpetuum apud posteros monumentum ad tumulum Sancti, aut saltem in æde sacra, aut apud Episcopum, & Templi præsidem: vel etiam tabellæ, quibus id coloribus exprimeretur, quod nos Sanctorum ope assecutos fuisse testamur. Hæc omnia damnant Protestantes; hæc omnia tuemur nos. Id ut commodius, & certius fiat, consuetudinem hanc ab antiquis usque Ecclesiæ sæculis desumptam continuatamque probabilibus argumentis primùm ostendam: tum quædam adjungam circa ejusdem consuetudinis probitatem, & utilitatem.

II. Non hic repeto emolumentum, quod ex regula ab Augustino tradita, & sæpius a nobis commemorata ad comprobandam hujusce consuetudinis antiquitatem desumitur. Porro arbitror pauca, aut fortasse etiam nulla hujus generis monumenta tribus prioribus sæculis in sacris ædibus reliquisse Fideles, tum quia facile potuissent Ethnicorum contemptui, atque irrisioni subjici, tum etiam quia forte visi fuissent eorundem Ethnicorum mores, ac consuetudines imitari: quippe Diis suis sacrabant isti tabellas recepti (ut perperam ii putabant) beneficii monumenta futuras.

III. Non desunt tamen, qui vestigia aliqua, & argumenta hujusce moris in veterum libris invenisse se putent antiqua adeo, ut ad ipsa fere Ecclesiæ initia perveniant. Huc ergo petinere censent, quæ de *Votis* S. Clementi redditis narrat Gregorius Turonicus, (*) cujus nos jam verba descripsimus. At neque eo in pretio habentur a Criticis ea Acta, quæ hæc referens Gregorius Turonicus exscripsit, quo haberi opus est, ut iis fidem apud Protestantes obtineas, neque (aut fallor) perspicue adeo de *Votis*, de quibus nunc agimus, eadem Acta loquuntur, ut ad rem præsentem allegari ea possint.

(*) cap. 35. n. 3.

IV. Fortasse tamen haud falluntur, qui hunc morem non obscure indicatum ajunt in iis, quæ alibi ex Eusebio, & Ambrosio descripsimus verbis. (*) Nempe trahi facile poterunt ad ea, de quibus agimus, monumenta. Atqui perspicue illorum meminit Paulinus (*a*) hæc scribens.

(*) cap. 35. n. 4., & seq.

(*a*) (Natali 3. S. Felicis v. 45.)

Alma dies magnis celebratur cætibus; omnes
Vota dicant sacris rata postibus &c. (21)

Idem etiam Paulinus (*b*) eadem innuisse est visus, dum hæc effatus est.

(*b*) In Natali IX. D. Felicis v. 29.

. . . . . nam quæ rogo votis
Cassa dies oritur, vel magnis rara catervis?

Ipse quoque de se testatur singulis annis votivum in S. Felicis Natali carmen edere, in quo laudes ejusdem S. Felicis, & beneficia ejus interventu recepta describeret,

V. Ad hoc obsequii genus deduci fortasse poterit id quod receptis S. Felicis suffragatione bobus præstitit pius tam & si pauper homo: de eo quippe hæc idem Paulinus cecinit.

. . . . . mediis in liminibus stans,
Flensque iterum, sed lætitia, modo debita Sancto
Vota refert non ære gravi, nec munere surdo,
Mu-

(21) Idest ad postes appendunt monumenta eorum beneficiorum, quæ S. Felicis apud Deum oratu recepisse se noverunt; Sic quippe Veteres vocem ratus quum precibus addiderunt, earum approbationem significavere. Hoc modo Ovidius 1. fastorum.

Efficiatque ratas utraque Diva preces,

Et inter Christianos magni nominis poeta Prudentius in hymno in Divum Cassianum.

Audit crede preces Martyr prosperimus omnes,
Ratasque reddit, quas videt probabiles.

Munere sed vivo linguæ, mentisque profusus
Voce pia largum testatur pauper honorem:
Debitor, & Christo satis isto pignore solvit,
Immaculata suæ cui sufficit hostia laudis. (*)

(*) Natali 6. 442.

VI. Placet etiam afferre apertissima quædam Augustini testimonia, ut appareat quàm vetusta, & præstantissimorum Patrum auctoritate fundata sit ea, qua de agimus, consuetudo. An non Augustino præsertim auctore novimus datos à Christianis, qui sanitatem, aut aliud non leve beneficium Sanctorum interventu receperant, libellos, ut iis publice recitatis jugis superesset hujusce rei memoria? Consulant obsecro, si qui dubitant, sermones 29. 30. 31. & 32. *de diversis*. (c) Novimus etiam ex eodem Augustino consuevisse aliquando eos, qui beneficia receperant se se coram populo exhibere, ut omnibus id innotesceret, duceretur que ad posteros multorum testimonio memoria.,, „ De Miraculis Dei (inquit ille) (d) „ per orationes beatissimi Martyris Stephani libellos solemus audire. Libellus hujus, aspectus est; pro scriptura notitia, pro charta facies demonstratur. Qui nostis quid in illo dolentes videre soleatis, in præsenti gaudentes legite, quod videtis; ut Dominus Deus noster abundantius honoretur, & quod in libello conscriptum est, in vestram memoriam conscribatur. „ Simile quodpiam indicavimus nuper ex Natali 6. Felicis. (e)

(c) In nova editione 320. 321. 322. & 323.

(d) In Serm. olim 29. de diversis, in nova editione 320.

VII. Adeo vero Augustino cordi erat, ne beneficiorum per miracula receptorum memoria periret, ut auctoritate sua, & hortatu Innocentia illa (quam *religiosissimam fœminam, & de primariis Civitatis* fuisse ait,) *ut audientibus, multumque mirantibus, & glorificantibus Deum Matronis illius amicissimis, totum ex ordine, quemadmodum gestum fuerit, indicaret*. (f) (Sanitatem scilicet se recepisse facto signo Crucis super ægrum membrum à fæmina primitus baptizata.) Idem etiam Augustinus in eodem ipso cap. 8. (*) se auctorem fuisse ait, ut Uzali, quæ Coloniæ Uticæ vicina est, *libellorum dandorum consuetudo* introduceretur.

(e) v. 442.

(f) Auguft. li. 22. de Civitate cap. 8. n. 3.

(*) num. 21.

VIII. Quis porro (ut ad alia argumenta descendã) ignorat testari Augustinum reprehensos fuisse à Fausto Manichæo Christianos, quasi Martyres votis etiam venerarentur, ideoque eo ipso cultu, quo Numina sua venerabantur Ethnici. *Calumniatur* (Faustus) *Christianos vertisse idola in Martyres, quos votis, inquit, similibus colitis &c.* (g) Novimus vero Gentiles

(g) Auguft. li. 20. contra Faustum cap. 21.

tiles vota sua jam soluta, quæque propter beneficia impetranda Numinibus suis nuncuparant, aliquo superstite monumento testata fecisse, præsertim vero lapide aliquo, in cujus postrema parte litteras hasce conscribere solebant. U. S. L. M. idest *votum solvit libens merito*. Ad hos lapides, & ad affines his Christianorum tabellas respexisse Faustum simillimum veri est: quam sane consuetudinem Augustinus cum non reprehendat, haud obscure approbat.

IX. Alii etiam Patres id testantur. Quis enim vero ea omittet, quæ ad hunc morem comprobandum deduci possunt ex iis libris, qui *de Miraculis S. Stephani* inscribi consueverunt? quos quidem libros Evodio Episcopo Uzalensi olim tribuebant, quamquam arbitror eidem Evodio tribui minime posse. (b) Etenim velum illud, in quo beneficium per non leve miraculum S. Stephani interventu obtentum, pictum fuerat, in templo superstes fuisse edocemur. Verba allegati scriptoris hæc sunt. „ Dedit ergo subdiacono memorato velum variis pictum coloribus, in quo inerat pictura hæc. In dextera veli parte ipse S. Stephanus videbatur adstare, & gloriosam crucem propriis repositam humeris bajulare, qua crucis cuspide portam Civitatis videbatur pulsare, ex qua profugiens Draco teterrimus cernebatur exire, amico Dei videlicet adventante. Verum ille serpens noxius nec in ipsa fuga tutissimus, sub triumphali pede Martyris Christi contritus adspiciebatur, & pressus. Talis itaque pictura veli non omnino absque Mysterio Dei, ubi a memorato subdiacono allata pariter, atque suspensa est ante ipsam memoriam tanti patroni, omnis ætas, omnisque sexus intueri, & mirari cæpit, tamquam spectaculum grande, quo scilicet auctore, quove liberatore Draco ille extinctus est, hostisque devictus. Gestæ quippe rei fidem præcedentis diei &c. „ Consulas quoque volo, quæ tradit hic scriptor capite 4. libri primi. Quin etiam ea describere hic commode poteris, quæ ex capite secundo ejusdem libri secundi nuper desumpsi: Simillimum quippe veri est illorum votorum, quæ Vitula persolvit, superstes aliquod monumentum liquisse: instituerant enim (Augustini præsertim hortatu) eo tempore Episcopi, ut receptorum Sanctorum interventu beneficiorum memoria aliqua in Ecclesia superesset.

(b) Vide eos libros in Appendice tom. VII. Operum Aug. & quæ in eos adnotant Patres S. Mauri. Extant verba allegata l. 2. cap. 4. n. 2.

X. Eo porro quo Evodius vixit tempore fortasse etiam

etiam vixit Damasus ille, quem Viri laudatissimi Romanum Pontificem sanctitate, & rerum gestarum fama nobilem fuisse arbitrantur. Is sane Epigramma in S. Felicem iis versibus claudit, quibus constet votivum fuisse, & receptæ ex periculosissimo morbo sanitatis perenne positum monumentum: sic enim concluditur (i).

Te duce servatus, mortis quod vincula rupi,
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

(i) Tom. 8. Biblioth. Patr. pag. 845.

XI. Prudentii versiculos illos, quos nuper retulimus, paulo aliter ac nos descripserimus, allegatos vidi: hos nempe

Illitas cruore Sacro
Nunc arenas incolæ
Confrequentant, observantes
Voce, votis, munere.

tum porro vox illa *votis* ad votivas tabellas referri facile poterit. At num metri ratio substitui sinat vocem *observantes* voci *obsecrantes*, quam nos retinuimus, Lectoris judicio dirimendum relinquo.

XII. His jungo positum in erecta a Galla Placidia S. Joanni Evangelistæ sacra æde, soluti voti monumentum. (k) En illud. *Sancto, ac Beatissimo Apostolo Johanni Evangelistæ Galla Placidia Augusta cum filio suo Placido Valentiniano Augusto, & filia sua Justa Grata Honoria Augusta, liberationis periculum maris votum solventes*.

(k) Agnel. Raven. cap. 6. Vitæ S. Johan. pag. 68. par. 1. to. 2. Rerum Italica.

XIII. Sed quoniam Gallę Placidię meminimus, testimonium aliud illorum temporum, non omnino absimile, & quo is, de quo agimus, mos indicari videtur, apponere libet: quod quidem testimonium ex eo auctore depromimus quem proxime Agnellum sequi voluit Vir ille præstantissimus, qui Agnellum in lucem protulit. Vitæ S. (*) Barbatiani is scriptor est, ex quo discimus vermes extractos ex strumis, seu, ut ille appellat, *scruphulis*, a quibus S. Barbatiani adhuc viventis precibus convaluerat Juliani filius, per multos dies fuisse suspensos, recepti scilicet beneficii monumentum futuros. Sed verbis ipsis, quibus scriptor ille rem narrat, id describere æquum arbitror. (l) „ Beatissimus vir elevatis oculis ad cælum, & data oratione ingressus est suam cellam... „ Et facto signaculo Crucis super emplastrum, posuit „ super durissima vulnera, statimque crepuerunt, & „ coram omnibus adstantibus, qui ibidem fuerunt, ce-

(*) Barbatianum virum Sanctissimum a Galla Placidia in summo honore fuisse habitum ex aliis quidem monumentis discimus, sed apertissime ex cap. 2. vitæ S. Petri Chrysologi ab Agnello scriptæ (pag. 79. col. 1.) & ex ejusdem S. Barbatiani vita Agnelli historiæ addita: pag. 197. col. 1.

(l) Ibidem pag. 197.

„ ciderunt plusquam sexaginta septem vermiculi, sicut
„ a numerantibus eos dicebatur. Et collecti sunt om-
„ nes ab ejus genitore, & per multos dies suspende-
„ runt eos, demonstrantes cunctis pro credulitate,
„ quod factum fuerat ad laudem, & gloriam Domi-
„ ni nostri Jesu Christi, quod per istum Sanctissimum
„ Virum mirabilia facta sunt.

XIV. At cur minus perspicua adduco, qui expressissima in promptu habeo? Quid clarius fingi potest verbis illis, quibus eum morem significat Theodoretus, cujus oratio octava cum alia multa ad Sanctorum cultum approbandum, ac promovendum aptissima habeat, hæc sane de iis monumentis, de quibus quæstionem instistituimus, tradit. „ Pie vero fideliterque precatos ea
„ maxime consequi quæ desiderant, testantur illa, quæ
„ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum
„ adeptæ sanitatis indicia. Nam alii quidem oculo-
„ rum, alii vero pedum, alii porro manuum simulacra
„ suspendunt ex argento, auroque confecta &c.

XV. Tempore Chlotarii Galliarum Regis vixisse Medardum edocet Gregorius Turonicus (m) *ad cujus* (Medardi) *beatum sepulcrum* (inquit ille) *vidimus vinctorum compedes, atque catenas disruptas, confractasque jacere, quæ usque hodie in testimonium virtutis ejus ad ipsum Beati sepulcrum reservantur*.

(m) lib. 4. histor. Francor. cap. 19.

XVI. Post hæc tempora, testimonia alia non refero; quippe omnium concessione compertum est morem hunc nulla prorsus occasione desiisse, & non pauca supersunt adhuc sive in Patrum opusculis, (quo in genere eminet libellus Ennodii eucharisticus, cujus superius mentionem fecimus) sive in poetarum libris, (22) sive in veteribus

---

(22) Hujus generis carmina in Christianorum libris haud infrequentia occurrunt. Duo hic tantum indico, quorum primum ex libro Carminum Jacobi Levetii Levezolii e nostra Congregatione Canonici desumo: quippe hymnum votivum satis elegantem in Mariam Virginem (*) cognomento *a Gratiis* primum quidem græcis, tum latinis versibus edidit. Alterum porro præbet præstantissima ode, quam paucos ante annos composuit, evulgavitque laudatissimus scriptor Joannes Antonius Vulpius hoc preposita Epigraphe (*) *D. Antonio Lusitano, Magno Patavii Patrono, Thaumaturgo; voti solutio; cum auctor e morbo gravissimo, ejus potissimum ope, convaluisset*.

(*) pag. 87. & seq.

(*) pa. 230. posterioris collectionis carminum illius nempe cui præponitur Dialogus Zachariæ Scholastici.

ribus templis Sanctorum favore receptorum beneficiorum votiva monumenta.

XVII. At dum hæc ago, instituti mei partes esse arbitror de eo etiam more disserere, quo nonnulli, ut recepta Sancti alicujus ope beneficia testata faciant, iis vestibus induti incedunt, quibus constet Sancto illi esse deditos, devotosque. Quàm vetustus sit iste mos, minime comperi. Sed laudabilem sane esse illum ijsdem fere argumentis evincitur, quibus evincitur laudabiles esse reliquos modos, quos hactenus exposuimus: cui quidem argumento subsequens caput assigno.

CAP. XXXIX.

Eam, de qua potissimum disseruimus, consuetudinem, appendendi scilicet tabellas votivas in recepti Sanctorum ope beneficii argumentum, laudabilem, probam, utilem quoque ostendimus, eosque evellimus scrupulos, qui in aliquorum mentibus suborti sunt.

I. UT aliqua de probitate hujusce moris etiam dicam, illius probitatem evincit in primis ipsamet ejusdem moris, ut ita loquar, essentia. An non testatam eo facimus Dei beneficentiam ac pietatem erga nos, aliosque proinde ad preces, ad & reliqua hujus generis proba opera accendimus? An non hac ratione primùm quidem Deo ut auctori eorumdem beneficiorum, tum Sanctis Dei amicis, nostrisque fautoribus nos gratos exhibemus, perpetuamque receptorum beneficiorum memoriam esse volumus, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio? Hæc certe visa est fuisse causa, ob quam Augustinus libellos dari jusserit, recepti beneficii monumenta futuros, quereretúrque, quod nec dum satis per eosdem libellos perpetuandæ, quod ipse cupiebat, horum miraculorum memoriæ provisum foret. Accedit ad consuetudinem hanc comprobandam virorum optimorum exemplum: accedunt laudes quibus ea celebrata est, & (quod mirum in modum eam commendat) haud obscura Ecclesiæ approbatio.

II. Non me latet monere nonnullos improbum esse

 eum

eum morem, propterea quia ab Ethnicis ad nos defluxerit: Nam quod aliqui (inquiunt) Scripturæ exemplum memorent,(a) ex quo discimus mures, & anos aureos Arcæ, ideoque vero Deo quasi votivas quasdam tabellas fuisse oblatos, meminerint necesse est id a Gentilibus, non a Judęis fuisse factum; neque ullum afferri posse Scripturæ locum, quo a Judæis id aliquo tempore peractum fuisse doceamur. Porro quod a Gentilibus provenit, improbum sit oportet, neque enim ex polluto fonte incontaminatum, ac sincerum aliquid manare potest.

(a) 1. Regum 6. v. 5.

III. At ne propterea eundem morem improbum putes. Usurpare hic quoque possumus, quod ad similem oppositionem reposuit Hieronymus. (*) *Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est, hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum est.* Porro si novissent improbum, non permisissent Antistites sanctissimi, & doctissimi, eum in populos propagari; nec eum laudibus prosequendo auctores fuissent, ut ille frequentaretur: quod tamen evenisse indubitata res est:

(*) in libro contra Vigilantium n. 8.

IV. Neque vero (quod crebro diximus) quidquid ab Ethnicis peractum est, improbum continuo est. Quis sacrificia mala esse dicet, quod ea ab Ethnicis adhiberentur? Tunc ergo improbæ erant Ethnicorum consuetudines, cum aut pravam rem ii usurpabant, aut probam rem ad finem malum, aut etiam si ad probum finem, perverse tamen, & male. Nullum horum reperies in muribus illis, & aureis anis, quos Philistæi vero Deo obtulerunt monumentum futurum summæ divinæ potestatis, & pænarum a Philistæis datarum. Ceterum consuevisse Judæos relinquere monumenta receptorum a Deo beneficiorum, alia quidem fortasse comprobant; (veluti id quod de superstite Manna novimus) (b) sed indubitatum est etiam illud, quod Regum historia subministrat: suspendisse scilicet Davidem in templo ensem illum, quo morti dederat Gigantem Philistæum. (c) Cur scilicet in templo suspendit, nisi ut ensis ille receptæ per Deum victoriæ perenne esset posteris monumentum?

(b) Exod. 16. 33. & Hebre. 9. 4.

(c) l. 1. Re. c. 21. v. 9.

V. Etiam utilissimam esse eam, de qua agimus, consuetudinem virtutes comprobant, quæ in ea exercentur, & quas nuper recensui; emolumenta quoque, quæ ex eorum monumentorum intuitu, aut lectione alii percipiunt: quæ ipsa nuper innui. En cur hic ea non repetam.

CAP.

CAP. XXXX.

De more denominandi Sanctorum vocabulo templa, & Altaria: eadem Templa, & Altaria dedicandi in eorum Nomine: *erigendi in* eorum honorem, *ac* memoriam: *Consecrandi* nomini, *&* virtutibus *eorundem Sanctorum. Ac primo quidem de more denominandi Templa, & Altaria Sanctorum vocabulo. Eum vetustissimum, & a primis usque sæculis in Ecclesia servatum evincimus.*

I. NUnc adversus illos promovenda est oratio, qui minime ferentes Sanctorum vocabulo Templa nostra, & Templorum Aras denominari: in eorumdem Sanctorum nomine Templa, & Aras dedicari; erigi quoque in eorum honorem, ac memoriam; hæc denique consecrari nomini, ac virtutibus eorumdem Sanctorum, hanc etiam ob causam Pontificios superstionis accusant. Ac primo quidem de eo more differendum est, quem primo nominavimus, idest de more denominandi Sanctorum vocabulo Templa, ideoque etiam Ecclesias, (nam harum vocabulo Templa vero Deo erecta sæpissime significantur) & Altaria. Quem porro morem vetustissimum esse, & multis sæculis in Ecclesia servatum his argumentis evinco.

II. Cyrillus Hierosolymitanus (*a*) meminit Ecclesiæ Apostolorum; ea vero ipsam esse, quæ ab Apostolis ædificata jam fuerat, plerique censent (*b*) Templum Virginis Agnetis (*c*) expresissime legebatur in versibus illis, qui olim extabant in sacra illa æde, quam eidem S. Agneti Constantia seu potius Constantina (id enim lex metri jubet) erexit. Eosdem versus describo ex Aringho (*d*)

Constantina Deum venerans, Christoque dicata
Omnibus impensis devota mente paratis,
Numine divino, multum, Christoque juvante
Sacravit Templum victricis Virginis Agnes.

III. Haud aliter loquitur Gregorius Nazianzenus epigrammate illo, quod *in Liviam* inscribitur, editum que

(*a*) Cathech. 16. n. 4.

(*b*) Vide quæ ad hunc Cyrilli locum adnotat. Clarifs. Toutee.

(*c*) idest S. Agnetis.

(*d*) lib. 3. cap. 21. pag. 441.

que est, & latinitate donatum a Clariss: Muratorio. (e) En illud

Una domus, sed inferiori parte sepulcrum, superiori
Templum:
Tumulus iis, qui ædificarunt, Templum Martyribus.

IV. Basilius (f) sacrum Martyrum Templum appellat sacram ædem in eorum nomine erectam. Socrates depositum fuisse ait Imperatoris Constantini cadaver *in Ecclesia Apostolorum*. (g) Procopius, (b) dum Basilicas varias a Justiniano erectas memorat, plerumque Ecclesias, aut Templa eorum Sanctorum appellat, in quorum honorem, aut nomine sacræ illæ ædes erectæ fuerant. Eodem modo loquitur Theodoretus. (i)

V. Etiam Venantius Fortunatus capite, seu Epigrammate tertio libri primi, S. Stephani Templum appellat Basilicam S. Stephani a Pelagio erectam his verbis. (*)

Pertulit hic Martyr pro Christo Orientis in axe
Ecce sub occasu Templa Beatus habet.

Et mox

Hæc sacra Palladius Levitæ Templa locavit.

Rursus Epigramma X. ejusdem libri primi sic exorditur

Culmina conspicui radiant veneranda Nazarj,
Cujus membra solum, Spiritus astra tenet.

At versiculo septimo hæc subjungit

Hæc Tibi Templa sacer devota Leontius offert &c.

Sic Epigramma duodecimum incipit.

Digna Sacerdotis Bibiani Templa coruscant,
Quo si justa petis, dat pia vota fides.

Nec dissimile id est, quod Epigrammate 14. libri 8. ejusdem Scriptoris occurrit. Scilicet Templum S. Laurentii appellat Basilicam eidem Martyri ædificatam. (*)

Laurenti merito flammis vitalibus uste
. . . .
Dum tua Templa novant breviori robore plebes,
Creveruntque trabes, crevit & alma fides.

Denique sub finem libri quarti, idest postremi inter eos, quos de Vita Sancti Martini scripsit, eundem morem hoc versiculo indicat. (*)

Inde Valentini Benedicti Templa require.

VII.

(e) Anec. græ. Epig. 27. p. 27.

(f) in Psal. 114. n. 1.

(g) li. 1. histor. Ecclesiasticæ cap. 40. idest postremo.

(b) In libro de Ædificiis Justiniani.

(i) Oratione octava inter eas, quas complexus est sub titulo *de Curandis Græcorum affectionibus* prope Orationis finem.

(*) tom. 8. Biblio. pag. 773.

(*) pag. 516.

(*) pag. 772.

VI. Damascenus in tribus illis orationibus, quas in sacrarum imaginum defensionem edidit, hoc etiam discrimen inter veteris, & novi Testamenti Sanctos adesse ait, quod novi Testamenti Sanctis Templa condantur, quod veteris Testamenti Sanctis omnino non fiebat. (*)

VII. Sanctus quoque Gregorius Turonicus vulgatum morem secutus *Templum* D. Martini appellat Basilicam ejus nomini consecratam. (*) Id ipsum præstat cap. XIII. ejusdem libri. Iterum capite XV. libri II. Rursus capite XXVII. libri III. ejusdem tituli, & crebro etiam alibi.

VIII. Anastasius Bibliothecarius *Ecclesiæ* B. Petri, (*) & aliarum etiam Ecclesiarum Sanctorum nominibus appellatarum meminit.

IX. Sed nullus fortasse veterum Scriptorum expressiora, crebrioraque præbuit ad eum morem testificandum monumenta Agnello illo, qui Ravennatum Episcoporum vitas conscripsit. Ecclesiæ S. Apollinaris meminit in vita S. Aderiti, (*k*) & capite 1. vitæ S. Ursicini. (*) Ecclesiæ S. Severi capite secundo vitæ ejusdem S. Severi. (*l*) Ecclesiæ S. Agnetis capite 3. vitæ S. Joannis, (*m*) & alibi sæpe. Unum tantum locum præstat exscribere ex cap. 4. vitæ S. Maximiani (*n*) *Consecravit* (Maximianus) *Ecclesiam B. Apollinaris Pontificis in Classe sitam, & B. Vitalis Martyris in Ravenna, & B. Archangeli Michaelis hic Ravennæ &c.* Præter hos si alios enumerem, videbor fortasse inutilem navare operam, cum satis, superque ex his comprobatum id sit, quod ad probandum assumpsimus.

X. Jam vero secundum aggredior: Scilicet morem Altaria eorumdem Sanctorum vocabulo denominandi. Augustinus, ut mox dicam, *Cypriani Mensam* appellavit Altare Deo erectum in eo loco, in quo passus fuerat Cyprianus. Etiam Gregorius Turonicus (*o*) Altare S. Petri appellavit, quem morem fortasse prævenerunt alii, sed certe non pauci è nostris scriptoribus subsecuti sunt, quos omnes referre non est necesse.

XI. Agnellum tamen haud ignobilem sane scriptorem quem in hoc capite crebro allegavi, rursus hic allegabo. Capite 1. vitæ S. Joannis (*p*) altare S. Laurentii his verbis commemorat: *vidit* (Honorius Imperator) *post ipsum altare Beati Laurentii*

(*) Verba Damasceni ex Oratione prima desumpta allegavi cap. & n. 1. hujusce dissertationis: extant porro num. 21. editionis P. Le Quien. t. 1. pag. 317.

(*) primo mirac. S. Martini cap. 11.

(*) in Joanne VII. & alibi etiam

(*k*) pag. 36. part. 1. to. 2. re. Ital.

(*) pag. 101.

(*l*) pag. 44.

(*m*) pag. 67.

(*n*) pag. 107.

(*o*) lib. 1. Miraculo: aliàs de gloria Martyrum. cap. 28.

(*p*) pag. 64.

rentii, quod beatissimus Papa consecraverat Joannes, stantem prædictum Lauricium. Capite vero 5. ejusdem vitæ (q) describit, quomodo S. Zacharias Singleidæ (seu ut legendum monet Clarissim. Muratorius Singlediæ) apparuerit, tum hæc potulisse verba, eum affirmat: *construe mibi Monasterium, sicut designatum inveneris in terra & ibi, ubi inveneris Crucis similitudinem, sit ibi altarium consecratum, & impone meum Zachariæ vocabulum. Præcursoris Pater.*

(q) pag. 67. & 68.

XII. His tam apertis probabilium Scriptorum locis alia adjungere opus fortasse non est. Adjungere tamen volo, sed ea pauca, & perspicua. Desumpsi hæc ex illo Ordine Romano, quem XI. cum Mabillonio, qui horum plures edidit, dicimus. (r) Numero octavo hæc occurrunt „ Pontifex autem incensat altare S. Leonis..... primum incensat Altare ejus (S. Gregorii) & Altare S. Sebastiani & Altare S. Tiburtii. „ Deinceps, (numero scilicet 27.) (*)„ Omnes ordines cum eo congre„ gantur ad Altare S. Leonis. „ Denique num. 76., (*) (idest postremo)„ Matutinum vero (substitue: debet Pontifex) ad fratrem ejus facere, id est ad Altare S. Pe„ tri. Mane canitur Missa super Altare beati Andreæ &c. Et de antiquitate hujusce moris dicta sint satis.

(r) Tomo 2. Musei Italici p. 122.

(*) pag. 130.

(*) pag. 153.



CAP.

CAP. XLI.

A Reprehensione alienissimum eum, de quo nuper egimus, morem, ostendimus.

I. AT exsolvenda etiam in eo fides est, quod deinceps probare promisimus; & ostendendum remotissimam esse a crimine consuetudinem hanc. Porro dum Sanctorum nomine Templa, & Altaria appellamus, nemo ignorat Templa, & Altaria soli Deo à Pontificiis erigi, cui quoque soli sacrificia, quorum causa Templa potissimum eriguntur, offerimus. Hinc eadem, quæ Sanctorum Templa appellavimus, Deo, seu Christo dicata fuisse testamur, imitati scilicet eum, quem hic sæpe allegavimus, Venantium Fortunatum, qui illud ipsum ædificium, quod Aulam Apostolorum nomine dicatam dixerat: (*)

Vertice sublimi patet Aulæ forma triformis
Nomine Apostolico sanctificata Deo,

mox Templum Christo erectum appellat.

Obtulit hæc Felix, ut sit magis ipse Sacerdos,
Christe, tuum Templum, qui tibi Templa dedit.

II. Quæ si vera sunt (quis porro vera esse negabit?) noscis huc respicere Gennadium Massiliensem, dum inter Ecclesiæ dogmata recenset credere (a) *Basilicas Sanctorum nominibus appellatas velut loca divino cultui mancipata, affectu piissimo, & devotione fidelissima adeundas esse.* Cui quoque consuetudini suffragium gravissimum addit Concilium Lateranense Stephano III. Pontifice celebratum; (b) quippe actione quarta hæc statuit. *Si ad Sanctorum consortium venire optamus; profecto hic omnia in honore Sanctorum, sive reliquias non solum Corporum, sed & vestimentorum, sive Basilicas nominibus eorum commemoratas. . . celeberrimo honore venerari debemus.*

Itaque propterea Templa Sanctorum appellamus, quòd eæ ædes, quæ Basilicæ Sanctorum sunt, quæque monumenta, & reliquias eorum continent, Templa etiam sint. Nos vero, ut brevitati consulamus, Templa Sanctorum appellamus, quæ si rigorose vellemus loqui, Basilicæ, & conditoria Sanctorum, seu ut alii

(*) libr. III. Opusc. Epigra. 4. pag. 786. t. 8. Bibl.

(a) cap. 40. alias 73. *libri de Ecclesiasticis dogmatibus.*

(b) Anno 769. to. 8. Conc. pag. 485. & pag. 12. dissert. Cajetani Cenni.

alii appellarunt, *Martyria* dici deberent, & Templa Dei. Habent scilicet, ut ita loquar, plura munia sacræ illæ ædes, quas Ecclesias appellamus. Continent procul dubio Martyrum, & aliorum Sanctorum tumulos, & hanc ob rationem Martyria appellantur. Institutæ sunt, ut in iis populus adunetur, & ideo Ecclesiæ dicuntur; ut ibi oret, & Oratoriorum obtinent nomen: denique ut sacrificia Deo offerantur, & propterea Templa denominantur. Sed rari servant istum loquendi modum, & respicientes ad tria potissima munia, propter quæ tres etiam potiores denominationes obtinent: continendi scilicet in suo ambitu (fere subtus Aras) Sanctorum tumulos, continendi quoque collectum Fidelium cætum: denique oblationes, & sacrificia, in vulgato sermone hæc non exprimimus, nec strictissimam loquendi formulam adhibemus, sed hæc veluti permiscemus, dicimusque Ecclesiam, aut Templum Sancti alicujus, quum si expressissimis verbis rem declarare vellemus, Basilica tantum Sancti alicujus dicenda foret.

III. Porro is loquendi modus temere a quibusdam reprehenditur. Num negare audebis ecclesiastica auctoritate, & probabilibus exemplis illum niti? Atque, ut a prima exordiar; an non affirmat Augustinus (quis enim prohibet, quo minus ad Templa id traducamus quod *de mensa*: idest altari ait S. Doctor.) An non inquam affirmat Augustinus *Mensam* (idest aram) *Cypriani* ab omnibus dici, quæ Ara Christi, aut Dei dicenda erat potius, quòd in ea Deo sacrificia a Christo instituta offerebantur? Ideo vero Cypriani mensa appellabatur, quòd eo in loco Martyrium olim subierat Cyprianus. Verum rem audite iisdem ipsis Augustini verbis: quippe in sermone 113. de *diversis* (*b*) hæc effatur. „ In eo quippe loco, ubi posuit carnis exuvias, „ sæva tunc multitudo convenerat, quæ propter odium „ Christi, sanguinem funderet Cypriani: ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter Natalem „ Cypriani, bibit sanguinem Christi. Et tanto dulcius „ in illo loco propter Natalem Cypriani sanguis bibitur Christi, quanto devotius ibi propter nomen „ Christi sanguis fusus est Cypriani. Denique sicut „ nostis, quicumque Carthaginem nostis, in eodem „ loco mensa Deo constructa est; & tamen *Mensa dicitur Cypriani*, non quia ibi est unquam Cyprianus „ epu-

(*b*) in nuova editione 310. cap. & n. 2.

„ epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia ipsa
„ immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua
„ pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo,
„ cui & ipse oblatus est, offeratur. Sed ut Mensa
„ illa, *quæ Dei est*, *etiam Cypriani* vocetur, hæc cau-
„ sa est, quia ut illa modo cingatur ab obsequentibus,
„ ibi Cyprianus cingebatur à persequentibus: ubi nunc
„ illa ab amicis orantibus honoratur, ibi Cyprianus ab
„ inimicis frementibus calcabatur: postremo ubi illa
„ erecta est, ibi prostratus est.

IV. Vides itaque idem Altare (*mensam*) propter duo munia, quorum unum habuerat olim, (ut scilicet is locus foret, in quo passus fuerat Cyprianus) alterum tum habebat, quum loquebatur Augustinus; (ut nempe in eo Deo sacrificia offerrentur,) denominationem obtinuisse ad utrumque munus respicientem, & ex utroque, ut ita loquamur, coalescentem, & veluti conflatam, dicique *Mensam* idest Altare (ut explicat Augustinus ipse, & pluribus exemplis comprobat Petavius) (*c*) quòd sacrificia Deo offerebantur; *Cypriani* vero, quòd in eo loco constructa foret, in quo passus fuerat Cyprianus.

V. Affinia exempla subministrantur ab iis omnibus, quæ plura habent munera, aut partes: fere enim Entitati, ut ita vocem, rei illius, quæ plura habet munera, aut partes, prædicata ex iis partibus, aut muneribus derivata tribuuntur. Hoc modo corporeum dicimus, & incorporeum; similem, & dissimilem animantibus brutis eundem hominem propter diversas partes, & munia illius. Quin etiam si theologica proferre compellas, quia una Christi persona in duabus naturis subsistit, ea orta est, quam idiomatum Communicationem Scholastici appellant, propter quam fit, ut recte dicatur *Deus mortuus est*: *homo hic est Deus*, & id genus alia veteribus etiam Patribus usitatissima.

XI. Quamquam aliæ etiam proferri interdum possunt hujusce consuetudinis causæ. Ab auctore scilicet, & ædificatore sacræ ædis denominari illa poterit. Hoc modo *Ambrosiana* appellata est ædes illa, cujus meminit Ambrosius in Epistola ad Sororem. (*d*) *Basilica Eudoxiæ* appellatur ea, quæ aliàs *S. Petri ad Vincula*, dicitur quòd ab Eudoxia ædificata sit: & fortasse etiam *Quirini Ecclesia* eandem ob causam est appellata ea, cujus mentio fit a Magno Anastasio (*)

(*c*) libro 14. de Incarnatione cap. 12. §. 14.

(*d*) Class. 1. epist. 22. in Edit. PP. Benedict. n. 2.

(*) In Epistola *ad solitariam vitam agentes* tom. 1. pag. 804. Edit. Colon. 686. at expressa mentio huius Ecclesiæ fit pag. 815. *Cum gladiis, & fustibus Ecclesiam, qua dicebatur Quirini, invadunt.*

A Sancto eo cujus Reliquiæ in templo conduntur, ab eo in cujus honorem consecrata est, eam interdum etiam denominatam arbitror. Alias, si quis optet, proferre fortasse poterit hujusce denominationis origines; sed has indicasse sit satis.

VII. Cave vero, ne te deterreant nonnulla Augustini, & veterum Patrum monita, in quibus expressissimis verbis edocemur Sanctis omnino Templa non erigi. *Non eis templa*, inquit Augustinus, (e) *non eis Altaria, non sacrificia exhibemus*. Affine est monitum alterum Augustini. (f) *Ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memoriis Martyrum constituamus Altaria*. Nimirum Augustinus, aliique Patres, dum hæc & affinia his tradunt, vocem hanc *Templum* sumunt in propria Templi significatione, quatenus nempe refertur, & respicit ad sacrificia. Cum autem soli Deo sacrificia offerri a nobis possint, Templa cum hac strictissima connotatione, & respectu Deo tantum erigi, sacrarique possunt. Hanc vero Augustini mentem fuisse, tum alia multa facile ostendunt, tum verba, quæ subsequuntur ea, quæ retulimus testimonia. Loco igitur primum allato post verba ea: *Non eis templa, non eis Altaria, non sacrificia exhibemus*: hæc subjungit. *Non eis* (Martyribus) *Sacerdotes offerunt: Absit: Deo præstantur. Immo Deo ista offeruntur, a quo nobis cuncta præstantur. Etiam apud Memorias sanctorum Martyrum cum offerimus, nonne Deo offerimus? Habent honorabilem locum Martyres Sancti. Advertite: in recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur; non tamen pro Christo adorantur*. Affinia occurrent, si integrum caput XXI. libri vigesimi contra Faustum legeris. Atque illud quidem ut legas, opto, apertissime quippe agnosces quænam sit vera verborum illorum significatio: ea nempe ipsa, quam indicavimus.

(e) olim. 101. de diversis, nunc 273. c. & n. 7.

(f) lib. xx. contra Faustum cap. 21.

VIII. Porro quod de Templis diximus, de Altaribus pro portione vos dicite. Quid quæso prohibet, quo minus ea Sanctorum altaria denominemus? præsertim quum apertissime faveat Augustinus, (*) & eæ sane ipsæ, aut certe affines causæ iis quas adduximus, quum de Templis locuti sumus, excusare nos possint, si Altaria Sanctorum dicamus, quæ re vera uni Deo dicata sunt. Quamquam denominationem Sancti alicujus aliunde

(*) Vide dicta n. 3. & 4.

de etiam desumere Altare potest: ab icone nempe, seu effigie Sancti alicujus, quæ in pariete, cui Altare, affigitur, posita est, ad quam quidem effigiem respicientes populi, Altare alicujus Sancti appellarunt, quæ appellari debuisset Altare Deo erectum, in cujus propinquo pariete effigies, seu icon illius Sancti posita est; quo de argumento cum de imaginibus differens sim disputaturus, hic dicere supersedeo.

CAP. XLII.

De more dedicandi in Sanctorum nomine, & erigendi in eorundem Sanctorum honorem & memoriam Templa, (ideoque Ecclesias, & sacras Basilicas: nam nuper ostendimus utroque vocabulo idem significari) & Altaria. Evincitur vetustum esse utrumque, & reprehensionis expertem.

I. PRiori quæstionis parte ad exitum deducta, rectus doctrinæ ordo postulat, ut de reliquis disseramus: ac primùm quidem agemus de more dedicandi in Sanctorum nomine Templa, ac sacras ædes. Atqui haud recentem eundem morem dicere compelleris, si ad ea adverteris animum, quæ tradit Ambrosius. (*a*) Meminit scilicet sermonis, cujus fuisse videtur argumentum dedicatio Basilicæ (quam Bassianus condiderat) Apostolorum nomine. *De Basilicæ, quam condidit, Apostolorum nomine dedicatione.* Quem quidem sermonem cum idem Ambrosius utique non reprehendat, commendare, approbareque videtur morem eum, de quo idem sermo agit.

II. Sed nec eam, qua de agimus, consuetudinem silentio præterit Venantius Fortunatus, quem sæpe allegavimus, dum epigrammate quarto libri primi hæc effatur: (*b*)

(*a*) in Epist. ad Felicem Comensem Episcop. n. 1. quæ quidem Epist. 4. est inter eas, quas in prima Classe collocarunt P. S. Mauri.

(*b*) Tom. 8. Biblio. Pat. pag. 773.

Emi-

Emicat aula decens venerando in culmine ducta:
Nomine Martini est sanctificata Deo.

eundem quippe ritum significari puto, quum aula, seu ædes sacra sanctificata dicitur, (*Nomine Martini est sanctificata Deo*) ac quum dicitur dedicata.

III. Juvabit etiam Gregorii Magni exemplum hic producere. Nimirum de præclarissimo hoc Pontifice testatur Anastasius Bibliothecarius (*) *in nomine B. Agathæ dedicasse Ecclesiam Gothorum, quæ fuit in Suburra.* Alia his similia testimonia, ne longum faciam, prætereo, & ad alterum ex præpositis, ad morem scilicet erigendi *in Sanctorum bonorem* Templa, & sacras ædes transitum facio.

(*) in ejus Vita pa. 115. tom. 1. edit. Romanæ.

IV. Profecto idem ille Fortunatus Venantius, quem nuper allegavi, *in bonorem* S. Gabrielis Archangeli ædificatum fuisse Templum a Gregorio (Turonensi, ut puto celebratissimo Episcopo) his versibus testatur. (c)

(c) lib. IX. Epigr. 1. pag. 819.

Hæc in honore Sacri Gabrielis culta coruscant

. . . .

Quæ sacer Antistes nova tecta Gregorius effert,
Ut sibi cælestes restituantur opes.

V. Sic etiam loquuntur Anastasius Bibliothecarius, (in Pio:) *in bonorem S. Potentianæ* Ecclesiam a Pio I. erectam affirmans, & Gregorius Magnus. (d) Nempe in ea oratione quæ inscribitur *super populum* hæc extant. „ Copiosa beneficia quæsumus Domine „ Christianus populus adsequatur, ut qui in hono„ rem Sanctorum tuorum sacrandis tibi liminibus devo„ tus occurrit, & vitæ subsidia præsentis accipiat, & „ gratiam sempiternæ Redemptionis inveniat.

(d) in libro Sacramentorum sub titulo *Orationes ad Missas in Dedicatione Ecclesiæ*. pag. 154. tom. 3. Operum S. Greg. Magni ædif. Patrum S. Mauri.

VI. Neque vero ejusdem moris mentionem facere neglexere alii. Quid apertius optas precibus illis, quas subministrat primus Sacramentorum liber inter eos, qui merito Gelasio (qui longe ante Gregorium Pontifex fuerat) adscribuntur? sic quippe Pontifex Deum deprecari jubetur. (e) *Templumque hoc in bonorem Beatorum Martyrum tuorum* (illorum, vel illarum) *Sanctarum, & Confessorum, sacris mysteriis institutum clementissimus dedica*. Id ipsum numero proxime præcedente proponitur, (f) in ea Oratione quæ inscribitur: *Consecratio Basilicæ*. Sic nempe Episcopus Deum deprecatur. „ *Exaudi preces servorum: ut sint oculi tui aperti super* „ *domum istam die ac nocte: bancque Basilicam in bonorem* „

(e) in precibus *infra actionem* p. 124. n. 89.

(f) 88. scilicet: pa. 120.

„ *norem Sancti* (illius) *sacris mysteriis institutam cle-*
„ *mentissimus dedica*, *miserator inlustra*, *proprio splendore*
„ *clarifica &c.*

VII. Quibus quidem positis quis hasce locutiones accuset, quandoquidem tam præclaros eæ habent suffragatores? At apertius, vehementiusque accusationem repellis omnem, si probe explices, quid eædem locutiones significent: *Dedicare in Sanctorum nomine Ecclesias*, *seu Templa* non aliud fortasse connotabit, nisi illud commemorationis, aut potius comendationis peculiare genus, quod fit Sancto alicui, dum Ecclesia in illius nomine dedicatur. Nimirum dum Pontifex Ecclesiam consecrat, antequam primum ipsum lapidem jaciat, sic Deum deprecatur. (g) „ Domine Deus, qui licet Cælo, & Terra „ non capiaris, domum tamen dignaris habere in Ter- „ ris, ubi nomen tuum jugiter invocetur, locum hunc „ quæsumus Beatæ Mariæ semper Virginis, & B. (*no-* „ *minando Sanctum*, *vel Sanctam in cujus honorem at-* „ *que nomen fundabitur Ecclesia*) omniumque Sancto- „ rum intercedentibus meritis visita, & per infusionem „ gratiæ tuæ &c.

(g) Pontifica. Rom. titul. *de Benedictio. primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda*.

VIII. His similis ea est Oratio, quæ in libro Sacramentorum Gregorii (h) *Benedictio* appellatur & hæc est. „ Benedicat, & custodiat vos Omnipotens Do- „ minus, domumque hanc sui muneris præsentia illu- „ strare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac „ nocte dignetur aperire, Amen; Concedatque propi- „ tius, ut omnes qui ad dedicationem hujus Basilicæ „ devote convenistis, intercedente Beato (illo) & „ cæteris Sanctis tuis, quorum reliquiæ hic pio vene- „ rantur amore &c.

(h) *sub titulo Orationes ad Missas in Dedicatione Ecclesiæ. pag.* 153.

IX. Id Porro clarius exprimitur in nuper allegato Pontificali Romano. Etenim in iis precibus quæ Pontifici *in Dedicatione*, *& Consecratione Basilicæ* dicendæ præscribuntur, plures sunt, ex quibus apertissime hac in re Ecclesiæ mens innotescat: sciasque quid illa velit, cum ea jubente sic orat Pontifex: *Ut Ecclesiam & Altare hoc ad honorem tuum*, *& nomen Sancti N. consecranda benedicere digneris &c.* Etenim has preces si diligentius inspexeris, videbis sane non alio eas dirigi, nisi ut poscamus a Deo meritis Sanctorum, eorumque suffragio, atque intercessione gratiorem fieri nostram devotionem, precesque, & sacrificia, quæ à Fidelibus Deo offeruntur.

Non-

Nonne id palam indicant eæ ipſæ preces Eccleſiæ, a Pontifice recitandæ in Dedicatione Eccleſiæ, in quibus Sanctorum meminit: Veluti in Benedictione primi lapidis in æde ſacra jaciendi? Sic quippe Deum orat Pontifex. *Locum hunc quæſumus Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & B. N. omniumque Sanctorum intercedentibus meritis viſita, & per infuſionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica &c.* cui preci ſimillima eſt illa, quæ in libro I. Sacramentorum Gelaſii hæc habet. (*) *Omnipotentiam tuam quæſumus Domine Sanctus tuus (N.) interventor exoret, & ejus meritis hanc Eccleſiam deputatam clementer inluſtres; quoniam quidquid Sanctis honoris impenditur, tuæ reſpicit inſignia Majeſtatis* & aliæ etiam recentis Pontificalis Romani. Id vero laudabile plane eſt, & Eccleſiæ uſitatiſſimum: quippe creberrimæ in libris Sacramentorum Gelaſii, & Gregorii preces occurrunt, in quibus oratur Deus, ut acceſſione precum, & favore Sanctorum gratiora fiant Sacrificia noſtra, & preces.

(*) n. 91. pag. 125.

X. Ex his vero facile aſſequeris nos non æquare Deo Sanctos, quum & Dei, & Sanctorum nomen in Templorum dedicatione commemoramus;. Nam certe invocationis divini nominis meminit, cum in libro Sacramentorum Gelaſii (*i*) ſic Deum orat Pontifex. *Qui (Deus) cum ubique ſis totus, & univerſa tua Majeſtate contineas; ſacrari tamen tibi loca tuis myſteriis apta voluiſti, ut ipſæ orationum domus ſupplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent:* Et alibi crebro. Etenim aliter Dei, aliter Sanctorum nomen commemoratur. Nempe cum Dei nomen invocatur, ſeu commemoratur, vel erectum dicitur Templum ad divini nominis invocationem; id fit tum ad expoſcendam a Deo ut pote auctore omnis boni, opem & gratiam; tum ad teſtificandum ſupremum, quod illi debemus, obſequium & cultum. At Sanctorum nomen ideo commemoratur, ut Sancti intercedentes meritis ſuis, & favore preces noſtra & ſacrificia acceptiora Deo efficiant, impetrentque, quæ poſcimus (23). Hanc arbitror

(*i*) n. 89. pag. 125.

(23) Simile quodpiam occurrit verſic. 15. & 16. capitis 48. Geneſis: quippe Jacob optat, ut & Deus, & Angelus benedicant filiis Joſeph: tamen optat, ut Deus veluti auctor beneficiorum illis benedicat, Angelus vero veluti interceſſor & Dei miniſter.

bitror veram esse significationem locutionis illius: *dedicare Ecclesias, seu Templa in nomine hujus, vel illius Sancti:* nam quod aliqui moneant iis vocibus significari Templi dedicationem alicujus Sancti nomine factam; perinde quasi nos assumamus munus alicujus Sancti, qui cum non possit ipse per se Templa dedicare Deo, nobis est auctor, ut in illius nomine dedicemus; praeclara foret explicatio, si aut Ecclesiae precibus, aut veterum Patrum dictis inniteretur. Tamen suspicatus sum aliquando id utcunque ex verbis iis comprobari posse, quibus referente Agnello, quem alibi (*) citavi, Singlediam, cui in visione apparuit, Zacharias allocutus est. *Construe mihi Monasterium, sicut designatum inveneris, & ibi ubi inveneris Crucis similitudinem, sit ibi Altarium consecratum, & impone meum Zachariae vocabulum. Praecursoris Pater.* Num revera ex iis probetur, an non; alii viderint.

(*) cap. 40. §. 11;

XII. Sed tempus est etiam explicare quid sit *in Sanctorum honorem Templa erigere.* Porro multa significari ea locutione poterunt, quae fortasse omnia innuit Ecclesia, quum in honorem Sanctorum erigi ait Templa, & aedes sacras. Nonne potest tum aedes sacras, & Templa sumere, non prout respiciunt sacrificia, sed prout respiciunt Tumulum, & Conditorium Sacrarum Reliquiarum? Quibus quidem positis merito in Sanctorum honorem Templa, aut aedes sacrae dicuntur erigi, quia in iis summo cum honore, & tumulantur, & servantur Sanctorum Reliquiae. Potest etiam respicere ad conventus, & caetus, qui in Templis, & sacris aedibus fiunt; hi vero in Sanctorum honorem saepe coguntur. Nimirum ad agendas Sanctorum festivitates in sacris aedibus conveniunt populi. Ibi audiunt tum Missas in Sanctorum honorem celebratas, tum panegyricas Orationes, quibus nempe eorum virtutes celebrantur, ac laudes. Saepe etiam conveniunt ad colendas Sanctorum Reliquias, ad exposcendam eorum opem, aut aliud id genus, quod Sanctorum honori vertatur. Quamquam ergo in precibus, quas in Templi Dedicatione ad Deum fundit, testatur Ecclesia in Dei honorem erigi Templa, non tamen vetat in honorem etiam Sanctorum erigi, ea tamen significatione, quam proposuimus, quum de Templis divino Nomini dicatis locuti sumus. Nimirum non aeque in Dei, ac Sanctorum honorem aedificantur, dicanturque Templa. Deo

quippe dicantur, veluti auctori, & ut ita loquar, fonti & origini beneficiorum, ideoque ut sacrificia illi in Templis offerantur. Contra honor, qui ex Templorum erectione Sanctis provenit, Dei tantum amicos, & dispensatores Magni Patris familias illos innuit. Porro postremus hic honor infinito intervallo ab eo distat, quem Deo deferimus. Quicunque vero ille sit, potissimum quidem Deo, sed Sanctis etiam honori vertitur ritus ille: ad Deum quippe potissimum dirigitur, utpote auctorem meritorum, & virtutum, quarum causa colimus Sanctos: ad Sanctos vero dirigitur etiam, quia non leve honorificentiæ genus est eos deprecari, & agnoscere, testarique plurimam a nobis fiduciam in eorum intercessione, & suffragio collocari. Id certe mihi videor assequi ex oratione illa, quam in Basilicæ dedicatione recitandam proponit Gelasius in primo Sacramentorum libro: & hæc est. (*) „ Magnificare Domine Deus noster „ in Sanctis tuis, & hoc in Templo ædificationis appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hæreditate lauderis. „ Ex ea quoque, quæ num. 91. (*) legitur hoc modo. „ Omnipotentiam tuam quæsumus Domine, Sanctus tuus „ (ille) interventor exoret, ut ejus meritis hanc Ecclesiam deputatam clementer illustres: quoniam quidquid Sanctis honoris impenditur, tuæ respicit insignia „ majestatis: per Dominum &c.

(*) n. 89. pag. 123.

(*) pag. 125. & 126.

XIII. Quod de Templis in Sanctorum honorem erectis diximus, dicere fere possumus de Templis *in Sanctorum memoriam* erectis: quippe id innuit meritorum celebrationem, encomia, & reliqua his affinia, quæ in Templis fiunt, & Sanctorum memoriam commendant maxime. Id porro quod de Templis dixi, dicere fere potestis de Altaribus in Sanctorum honorem, & memoriam dedicatis.

CAP.

CAP. XLIII.

De more consecrandi Nomini, & Virtutibus alicujus Sancti Templa. Antiquitas bujusce moris primo evincitur, tum explicatur quid ea locutio denotet.

I. QUod attinet ad morem consecrandi Nomini, & Virtutibus alicujus Sancti Templa, apertissime eum exprimit Gregorius Turonicus dum hæc eloquitur. (a) „ Oratorium est ipsius (B. „ Martini) & nomine, & virtutibus consecra-„ tum. Etiam nomini S. Stephani Oratorium apud Urbem Turonicam ab antiquis dedicatum „ ali-„ bi ait ille) (b) Eodem spectare videntur illa Gelasii verba. (c) „ Præsta quæsumus, ut quod beato „ Apostolo tuo (illi) & Sanctis Martyribus (illis) „ famulus tuus (ille) in hoc ædificio deputavit, di-„ gno præparetur officio. Per &c. Omnipotentiam „ tuam quæsumus Domine, Sanctus tuus (ille) inter-„ ventor exoret, ut ejus meritis hanc Ecclesiam de-„ putatam clementer illustres, quoniam quidquid San-„ ctis honoris impenditur tuæ respicit insignia maje-„ statis.

(a) lib. 3. Miraculorum S. Martini cap. 33.

(b) lib. 1. *de Gloria Martyrum* alias Miraculorum cap. 34.

(c) lib. 1. Sacramentorum n. 91. p. 125.

II. His si vis adjunge precem illam, quam ante evulgatum a Clemente VIII. Pontificale, in consecratione Altaris recitabat Pontifex, & hæc erat. (*) „ Om-„ nipotens sempiterne Deus, Altare hoc, quod in ho-„ nore tuo, & in memoria Visitationis Sancti tui (N.) „ & omnium Sanctorum tuorum indigni dicamus: vir-„ tute tuæ benedictionis sanctifica &c. „ Quid enim aliud est ea visitatio Sanctorum, quæ ibi commemoratur, nisi eorum virtus, præsidium & alia his affinia? Atqui hæc verba aut ipsissima exprimunt quæ superioribus capitibus exposuimus, aut adeo affinia sunt illis, ut peculiarem animadversionem minime exposcant. Non defuere tamen qui paulo aliter explicarent, monerentque his vocabulis commendari Templa tutelæ Sanctorum illorum, quibus multam apud Deum auctoritatem, & miraculorum potestatem con-

(*) pag. 124. Pont. Romani edit. Venetæ anni 1572.

 secu-

fecutis; (id quippe indicari ajunt vocibus illis *Nomini*, *& Virtutibus*) veluti concreditur contra Dæmonum insidias, & vim defendenda ædes sacra. Audivi etiam qui diceret virtutum nomine in his locis indicari reliquias, plurimarum virtutum, idest miraculorum effectrices; his scilicet consecrabantur, & nunc etiam consecrantur Templa, & Altaria. Consuevere autem Veteres Sanctorum reliquias his, & affinibus vocabulis designare. Sic Agnellus, *merita* appellat Sanctorum reliquias hæc de Maximiano Ravennæ Episcopo effatus, *Collocavit autem hic merita Apostolorum, & Martyrum: idest S. Petri, & S. Pauli &c.* (*d*) Immo Maximianus ipse sacras reliquias meritorum vocabulo fortasse appellavit versiculo illo.

(*d*) capite 2. vitæ Maximiani p. 106. to.2.p.1.rerumItalicarum.

Templa micant Stephani meritis, & nomine sacra:

Fortasse vero sic appellantur, quia promereri nos faciunt. At sive hæc, sive altera quæpiam harum locutionum explicatio afferatur; liquet sane nullam earum locutionum, quas hostes nostri in malam partem detorquere student, improbabilem esse: quippe serio animadvertibus eadem quæ nos dicimus, jam pridem a Viris sanctissimis, & doctissimis fuisse dicta; ideoque si in rectum sensum illorum verba trahuntur, in rectum similiter sensum trahenda esse, quæ nos enunciamus. Nempe testatum omnibus facimus, si in nomine, & in honorem Sanctorum Templa construimus, Deo illa construi a nobis; imitamur quippe virtutem, pietatemque præclarissimi Aredii, qui referente Gregorio Turonico (*e*) *construxit Templa Dei in honore Sanctorum*, *expetiitque eorum pignora*. (*f*)

(*e*) l. 10. histo.francor. cap. 29.

(*f*) id est reliquias, ut sæpe explicat idem Gregorius.

III. Ad hæc porro, qui advertet animum, perspicue, intelliget, minime ad nos pertinere frequentes adversariorum aculeos, & acerbissimas reprehensiones, & quanto jure, meritoque hæc protulerit Joannes Alphonsus Turretinus, cujus quidem sententiis dum vehementer obsisto, ei multigenæ eruditionis, & ingenii laudem minime abrogo. (*g*) „ At vero quòd figuræ illæ „ post in literalem sensum detortæ sint, quòd Marty„ rum animæ circa tumulos ipsorum vagari, ibique „ preces exaudire, & miracula patrare creditæ, quòd „ eorum reliquiæ quæsitæ, & majori in dies cultu ex„ ceptæ, quòd Basilicæ, quòd Oratoria in eorum ho„ norem extructa, quòd Festa solemnia ipsis dicata, „ quòd

(*g*) Oratione IX. quæ inscribitur *de de variis Christianæ doctrinæ fatis* pag. 285. tomi illius, qui orationes accademicas complectitur.

„ quòd eorum denique patrocinium, & apud Deum „ deprecationes ſtudioſe ambitæ, illa degeneris Chri- „ ſtianiſmi, & revocati velut poſtliminio Ethniciſmi „ indicia fuere. „ Nam ut reliqua hic omittam, de quibus alibi copioſiſſime diſputavi, quis e Catholicis Martyrum animas circa tumulos vagantes finxit, ibique exiſtentes aſſeruit preces viventium exaudire? Nonne in Paradiſo cęleſti beatitudine potitas dicimus Sanctorum animas, e quo quidem loco res noſtras conſpicere, atque adjuvare facile poterunt? (*h*) De Reliquiis porro Sanctorum hic non ago, neque de feſtis diebus Sanctorum honori dicatis. Agam enim de Reliquiis ſubſequenti diſputatione, in qua quidem diſſolvam ea omnia quæ adverſus illarum cultum objiciuntur: de feſtis vero in Sanctorum honorem actis jam ſatis diſſerui, (*i*) neque conveniens duco hic ea repetere, quæ alibi diximus. Baſilicas ſane, & Oratoria in Sanctorum honorem extructa Ethniciſmi poſtliminio revocati eſſe indicia tum evinces, quum oſtendes hæc vero Deo non erigi, ſed falſis diis. Num falſis diis Baſilicas a Catholicis erigi evincis, dum apertiſſime hi tradunt Deo illas erigi, non Sanctis, quorum honori ſi eædem Baſilicæ vertuntur, non ea ſane ratione vertuntur, qua Deo honori vertuntur, ſed valde diſſimili. Quam quidem rationem, cum nuper explicaverimus, hic repetere non eſt neceſſe.

(*h*) Vide quæ tradidimus diſſer. 3. c. 27. & 38.

(*i*) Vide quæ dixi cap. 1. & ſequentibus. hujuſce diſſertationis.



CAP.

De Peregrinationibus ad Sanctorum Monumenta institutis.

I. NOn est apud me dubium, quin hoc opus, quo non paucos Catholicorum ritus a Protestantium accusationibus ad defendendum suscepimus, quàm gratum futurum est nostris, tantum etiam futurum sit adversariis invisum. At hi ipsi, si diligentius ea attenderint, quæ ex valde probabili antiquitate allegavimus, minus, ut arbitror, erunt nobis infensi, & demum agnoscent immerito reprehendi nos, & consuetudines, quas ii veluti superstitiosas condemnant, esse a superstitione alienissimas. Inter has haud postremum sane locum ea tenet, qua consueverunt Catholici Templa, aliaque loca, in quibus aut Sepulcra aut Reliquiæ, aut Imagines, aut monumenta aliqua Sanctorum extant, tam etsi ea longo viarum intervallo quandoque distent, adire, venerarique. En quid Sacrarum peregrinationum vocabulo intelligimus. Has porro si Protestantes oderunt, & carpunt maxime obsecuti monitis, & exemplis eorum, quorum verba Coccius (*a*) adducit: (*b*) Catholici contra apertissime ostendunt eas valde laudabiles esse, & jure meritoque a nostris probari. Horum argumenta ab antiquitate hujusce moris exorsus hic ego afferre conabor, non cuncta illa quidem, non pauca tamen ea neque levia, quibus induci possint adversarii ipsi, si velint, ad agnoscendum non modo non reprehendendos, sed commendatione dignissimos esse Catholicos, si peregrinationes has devotionis erga Sanctos causa, interdum suscipiant.

(*a*) libri 5. thesauri in ipso limine articuli decimi septimi.

(*b*) Vide etiam quæ de hostibus Sacrarum peregrinationum docet Bellarminus libro 3. *de cultu Sanctorum* cap. 8.



CAP.

CAP. XLIV.

Verisimilibus argumentis ostenditur, valde probabilem eorum esse opinionem, qui ad Judaica usque tempora referunt peregrinationes ad Sanctorum monumenta institutas.

I. Dixi alibi necesse quidem minime esse ad antiquitatem nostrarum consuetudinum ostendendam, ut eam a Judæis repetamus. Id, rursus fateor, necesse non est; plurimum tamen proderit, si id consequamur, ad eos revincendos, qui nostros ritus quasi novitios, & a Gentilibus desumptos accusant. Operæ itaque pretium faciam, si eas, de quibus agimus, peregrinationes, a Judæis etiam usitatas evincam. Constabit scilicet, si id consequar, neque recentem, neque a Gentilibus receptam hanc esse consuetudinem.

II. Atque hic non agimus de peregrinationibus, quas ex legis editione ad Templum Judæi agere jubebantur. Scilicet alterius generis eæ erant: hoc tamen commodi ex iis peregrinationibus capimus, ut apertissime intelligamus peregrinationes ipsas generatim inspectas ab improbitate remotissimas esse, longe aliter ac vellent non pauci ex nostris hostibus. Alia ergo producenda argumenta sunt, quibus ad Sanctorum monumenta peregrinationes aliquas ab Hebræis fuisse susceptas agnoscas. Hæc vero ad duo suprema genera revoco. Scripturam nimirum, & Patres. Porro ex Scriptura intelligimus visitata fuisse Josephi ossa, & ea post mortem prophetasse. *Ossa ipsius visitata sunt & post mortem prophetaverunt* (a) Absalonem quoque, ut patri illuderet, veram causam profectionis in Hebron simulata pietate obtexisse, ut scilicet in Hebron *vota pro reditu facta solveret;* (b) Nimirum licet allegatus Ecclesiastici locus aliter etiam explicari possit, commode tamen accipitur, ut significet ad Josephi tumulum populos accurrisse, ut ejusdem Josephi ossa venerarentur, permoti scilicet non modo ab obsequio, & pio erga Josephum amore, verum etiam ab iis beneficiis, quæ ibi recipiebantur. Id sane Chry-

(a) Ecclef. 49. 18.

(b) 2. Reg. cap. 15. v. 8.

ne Chrysostomus innuit, dum hæc ait. (*c*) ,, Quod ,, enim nec divitiæ, nec aurum præstare queunt, ,, hoc reliquiæ Martyrum præstant: siquidem aurum ,, neque morbos unquam depulit, neque mortem ,, abegit: ossa vero Martyrum utrumque perfecerunt: ,, illud quidem nostrorum majorum ætate; hoc vero ,, nostra etiam contigit. Ac de his ita non solum ,, nos, sed justi etiam, qui ante Christi adventum vi- ,, xerunt, exacte philosophari noverunt, quo tempo- ,, re cunctis ex Egypto excedentibus, & aliis quidem ,, aurum, aliis vero argentum evehentibus, Moyses ,, opum quarumvis loco Josephi ossa sumens ea de- ,, tulit, & thesaurum maximum, & innumeris bonis re- ,, redundantem secum domum vexit. ,, At quibus, obsecro, bonis redundarunt ossa illa, nisi miraculis, & beneficiis, quæ Deus populis ad Josephi tumulum confluentibus facile impertiebatur, & quam præsertim ob causam a populis sancti Patriarchæ ossa visitabantur? An minus verisimile censes fuisse facta ad Sanctorum veteris testamenti tumulos miracula, postquam noveris (*d*) *mortuum prophetasse corpus Helisei*; idest ingens miraculum edidisse: (excitavit nempe a mortuis cadaver in illius monumentum projectum:) & vehementer optasse libri Ecclesiastici auctorem, *ut duodecim prophetarum ossa pullularent de loco suo?* (*e*) id est, ut longe, lateque, & ad remotas usque regiones diffunderetur virtus ex duodecim istorum prophetarum sepulcris emanans, ut hæ nationes experirentur eorum tam etsi mortuorum beneficentiam, si viventium pietatem noverat, & defensionem perceperat Jacob: *nam corrobaverunt* (subdit idem Ecclesiastici auctor,) *& redemerunt se in fide virtutis*. Quod quidem desiderium expletum fuisse discimus ex Epiphanio: (si auctor is est libelli, qui inscribitur *de prophetis, corumque obitu, ac sepultura*) Etenim in Hieremiæ vita narrat consuevisse *Ægyptios sumpto pulvere* (quo ejus sepulcrum obtegebatur, ut puto) *morsibus aspidum mederi, ac crocodilos fugare*: quæ sane verba exscribit Isidorus ille, quem *juniorem* appellat Margarinus de la Bigne, (*f*) & cui tribuimus librum, cui præfigitur titulus: *de vita, vel* (id est &) *de obitu Sanctorum, qui Deo placuerunt*. (*g*)

III. Neque vero Hieremiæ tantum modo miraculorum

(*c*) n. 4. hom. *de S. Droside* to. 2. pag. 688. hæc tamen verba extant pag. 694.

(*d*) Eccles. 48. 14.

(*e*) Ibidem 49. 12.

(*f*) pag. 166. to. 2. Operum Isido. edit. anno 1580.

(*g*) cap. 38.

lorum post mortem edendorum virtutem tribuit Deus; Ezechieli id quoque fuisse concessum edocet nuper allegatus scriptor *de vita vel obitu prophetarum*, de Ezechiele agens. Quin etiam ad Helisęi, Joannis, & Abdiæ sepulcrum frequentia fuisse miracula testatur Hieronymus; (*b*) quibus quidem miraculis ad veneranda sacra horum Prophetarum cadavera facile populi deducebantur. Porro cum horum miraculorum nullam originem indicet Hieronymus, non erravit, ut puto, ille, qui a Judaicæ ipsius legis temporibus peracta miracula repetat. Helisęi vero, & Abdiæ sacris cadaveribus appositum est sacrum Joannis Baptistæ cadaver, Propheta scilicet novi testamenti veteris testamenti prophetis, & parilem a Deo peragendorum post mortem, ad suum præsertim sepulcrum, miraculorum gratiam consecutus.

(*b*) n. 13. Epistolæ ad Eustochium olim 27. in Veronensi editione 108.

IV. Alter vero Scripturæ locus a nobis commemoratus haud contemnendam probationem subministrare videtur, qua persuadearis consuevisse Judæos in Hebron pergere precum fundendarum, & solvendorum votorum causa; cujus quidem moris nulla verisimilior occurrit ratio, quàm si dixerimus a tumulatis in Hebron sanctissimis Patriarchis excitatos fuisse illos, ut illuc devotionis ergo contenderent. Quam suspicionem nostram utique non contemnendam commendat virorum optimorum, & in judaicis ritibus peritissimorum, Lyrani nempe, & aliorum etiam ad hanc sententiam accessio, quorum nempe auctoritate, ea probatior efficitur.

V. Sed quid opus est ad repetendam sacrarum peregrinationum, de quibus agimus, a Judaicis usque temporibus antiquitatem, tam multa adducere, quando quidem apertissime testatur Epiphanius, aut alius quisquis est scriptor vitæ Ezechielis, Judæos orationis causa ad ejusdem Prophetæ sepulcrum confluere consuevisse; describitque miracula eo in loco facta, quibus quidem quàm deo gratum foret eorum populorum erga sacrum Prophetæ cadaver obsequium, manifesto innotesceret? (24)

(24) Jacet autem vir sanctus in Syrorum regione, ac multi ejus ad sepulcrum orationis causa confluere solebant. Cumque frequens Judæorum illic ad ipsius memoriam con-

CAP. XLVI.

Dissolvantur nonnulla, quæ afferunt adversus sententiam superiori capite propositam.

I. OCcurrunt tamen dictis nostris adversarii, & quoniam nullas positivas probationes habent, quibus nostram sententiam impetant, ad ea argumenta dissolvenda se accingunt, quibus nos opinionem nostram comprobavimus; atque illud in primis, quod a versiculo 18. capitis 49. Ecclesiastici desumpsimus, in quo scilicet hæc occurrunt. *Ossa ipsius* (Josephi) *visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Hæc porro hi proferunt. Cur ad ostendendam earum, de quibus agimus, peregrinationum antiquitatem versiculus ille affertur, si minus aptus est ille ad id quod agimus, evincendum? Sic illum explica. A Domino visitata sunt, id est Domino approbante, & desiderium Josephi explente, in regionem illam deducta sunt Josephi ossa, in quam ea deduci idem Josephus opoptaverat. Hæc quidem ossium translatio comprobavit Josephum verum esse prophetam, quippe qui prædixerat ossa sua in terram Chanaan transferenda fore. Sic, inquam, locum hunc explica; ad eum sane modum illum explicabis, quo explicant multi etiam ex Catholicis, quos ad eam explicationem movent alia testimonia, quibus edocemur visitationem Domini (cujus sæpe mentio fit in Scri-

---

concursus esset aliquando factus, veriti Chaldæi ne contra se consurgerent, impressionem in eos facere, atque interficere decreverant. At Prophetæ beneficio fluminis aqua constitit, ut Israelitæ ulteriorem in ripam transmittentes evaderent. Ex hostibus qui fugientem populum ausi sunt persequi, pone ipsum demersi sunt. Ad hæc Propheta sponte susceptis precibus uberrimam piscium copiam suppeditans fame jam confectos aluit; ac deficientibus plerisque a Deo vitam impetravit. Idem, cum populus ab hostibus opprimeretur, horum ducibus occurrit, ac prodigiis perterrefactos desistere coegit. (*) Similia tradit Beniamin Tudelensis. (*)

(*) t. 2. pag. 241.
(*) in itinerario.

in Scripturis) peculiare aliquod beneficium indicare, (25) & nullum occurrit tuæ explicationis, ideoque probationis vestigium. Reliquas porro probationes peculiari aliquo argumento minime rejicimus, vel quia corruunt ipsæ per se, ut pote debilibus conjecturis, & levi auctoritate fundatæ, vel quia primaria evulsa probatione, aliæ quoque evelluntur illi conjunctæ & veluti innixæ. Hæc adversarii.

II. Sed minime movere nos debent ista, nec a proposita sententia retrahere. Enim vero tua illa interpretatio qualescunque habeat fautores, difficultati non levi subjicitur. An putas visitationis divinæ nomine meram ossium translationem indicari? Sed memineris Jacobi etiam cadaver vel ipso Josepho id curante, in terram Chanaan fuisse translatum. (a) Ubinam porro a Deo visitatum dicitur Jacobi cadaver? Nonne etiam ossa reliquorum Patriarcharum, qui in Ægypto objerunt, in eandem terram Chanaan fuere deducta? (b) Ubinam vero legis horum ossa fuisse a Deo visitata?

III. Constat igitur visitationem eam, cujus hic meminit sacer Ecclesiastici scriptor, eam quam nos diximus, fuisse, ideſt peregrinorum ad Josephi sepulcrum devotionis causa confluentium concursum; vel si vis Domini, non populorum visitationem hic indicari, fatere aliquid præstantius fuisse sola ossium translatione, ideoque miracula edendi virtutem, qua quidem ad Josephi sepulcrum populi veluti allicerentur: quod sane cum nuper dixerim, hic repetere non est necesse.

IV. Quod vero attinet ad prophetiam ibi commemoratam; *& ossa ejus prophetaverunt*, cur tam animose ais translationem suorum ossium a Josepho prædictam iis verbis significari? Quum hæc pronuncias, ostendis profecto minime te advertisse, Josephi fratres alloquentis

(a) Genes. 50. 5. & sequent.

(b) Act. 7. v. 16. & Hieron. n. 13. epist. olim 27. in Veron. edit. 108.

(25) Genes. 21. n. 1. *Visitavit Dominus Saram*: ideſt ex sterili fæcundam reddidit. 1 Reg. 2. 21. *Visitavit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* Neque fortasse multum absunt versiculus quintus psalmi octavi. *Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* & versiculus decimus psalmi 64. *Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.*

(c) Cap. 50. Gen. v. 23. & 24.

tis verbis (c) minime indicari prædictionem, sed præceptum, &, si appellare ita vis, adjurationem Josephi, qua quidem fratres obligarentur, ut in terram Chanaan illius ossa transferrent. Ecce illius verba. *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob*. Post quæ verba hæc adjungit sacer historicus: *cumque adjurasset eos, atque dixisset Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco isto; mortuus est*.

V. Nolim vero putes propheticam prædictionem contineri verbis illis nuper allegatis *Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham*. Etenim hæc non ex peculiari Dei inspiratione dixit, sed quia certo noverat fuisse terram illam promissam posteris Jacob ab illo, *qui non mentitur*, omnipotenti Deo: Etenim terram illam se daturum juraverat Deus *Abraham, Isaac, & Jacob*. Illud itaque prophetiæ genus verbis illis: *Et post mortem prophetaverunt ossa ejus* indicatur, quod idem Ecclesiastici liber innuit, quum de Heliseo hæc ait: *Et mortuum prophetavit corpus ejus:* quod jam diximus. Explicationi huic nostræ robur additur ex eo, quod plana, expeditaque sit, & ipsius Ecclesiastici locutioni congruens (quod nuper ostendi) tum Patrum monitis plane consentiens. Quis enim id neget, postquam audierit illa Chrysostomi verba antea allegata, atque illa præsertim *ac thesaurum maximum, & innumeris bonis redundantem secum domum duxit?* Atque hæc ad priorem illam tuam objectionem, seu ad præcipuæ probationis nostræ (si superis placet) ingeniosam solutionem dicta sint satis.

VI. Nec mihi dicas reliquas probationes nostras leves esse. Validæ per se sunt illæ porro; at validiores eas efficit prior argumentatio nostra, quam tu (quod nuper vidimus) minime oppugnas. Quanti porro æstimandi sint ii Scriptores, quos attuli, adversarii ipsi ostendunt, dum eos sæpe allegant. Tanto vero melior hac in re causa nostra est, quanto exploratius habemus vetustos esse illos, & negare neminem ex veteribus quod ex iis discimus.

CAP.

C A P. XLVI.

Nonnulla indicamus argumentorum capita, ex quibus evinci facile possit, jam pridem Christianos ad Sanctorum monumenta sacras peregrinationes instituisse.

I. AT non deerunt, qui hactenus dicta parvi pendant, exquirantque a nobis, qui Christianæ fidei institutis vivimus, ut ea argumenta producamus, quibus innotescat antiquitus consuevisse Christianos Sanctorum monumenta multo viarum spatio remota devotionis causa invisere, ac frequentare, ideoque eas peregrinationes suscipere, cujus meta esse solet ædes aliqua, aut imago Sancti alicujus crebro populorum concursu celebris. His obsequimur, & statim animum intendo ad argumenta, quibus eas, de quibus agimus, perigrinationes antiquissimas esse contendimus. Porro huc adducta vidi a præclaris Theologis quæcumque comprobant populorum concursum in anniversariis præsertim Sanctorum festivitatibus ad sacras Basilicas in eorum honorem erectas. Itaque hic ii describunt, quæ de summa ad Sanctorum ædes diebus illorum festis convenientium populorum frequentia sæpe narrat Gregorius Turonicus tum in libris, quos *de Gloria Martyrum*, tum in iis, quos *de Gloria Confessorum*, tum denique in iis, quos *de Miraculis Sancti Martini* inscripsit: describunt etiam Prudentii de hujusmodi concursu sæpe loquentis testimonia, veluti eos versus, quibus exorditur hymnum undecimum, *idest in Beatos Apostolos Petrum, & Paulum*, versus quoque 188. & subsequentes hymni 10. idest in S. Hyppolitum, (*a*) plurima etiã Paulini testimonia in hanc afferunt rem, sed hęc in primis descripta ex carmine 3. in Natali S. Fælicis. (*b*)

Alma dies magnis celebratur cætibus (omnes
Vota dicant sacris rata postibus).....
. . . .
Nec modus est populis coeuntibus agmine, denso
Nec requies; properant in lucem a nocte, diemque
Expe-

(*a*) in libro peri Stęphanon.
(*b*) vers. 45. & subsequentibus.

Expectare piget; votis avidis mora noctis
Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt.
Stipatam multis unam juvat urbibus urbem
Cernere, totque uno compulsa examina voto.
Lucani coeunt populi, coit Appula pubes,
Et Calabri, & cuncti quos abluit æstus uterque.

Arcesunt denique frequentes preces a populis ad Sanctorum monumenta fusas, quarum quidem pleni sunt Veterum libri, & nos aliqua testimonia superioribus capitibus delibavimus, quæ hic recole, si tu vis.

II. Quamquam vero hæc, & affinia alia ad comprobandas peregrinationes ad Sanctorum monumenta susceptas commode traducuntur; etenim si diligentius expendas, ea palam innuunt iter ad Sanctorum monumenta venerationis causa susceptum, ideoque id ipsum, quod sacras peregrinationes appellamus, aut certe aliquid adeo illis proximum, & affine, ut ab eis vix sejungas, tamen, si vis, peculiariter etiam ostendam susceptum jam pridem fuisse ad Sanctorum monumenta plerumque non breve iter, idque iis etiam diebus, quos festos eorum Sanctorum esse non constat.



CAP. XLVII.

Proposita ad dicendum superioris Capitis materies expressioribus argumentis evincitur. Gregorium Turonicum, Acta Sanctorum Leonis, & Paregorii allegamus. Exemplum addimus Theodosii Magni; loca etiam quædam Hieronymi, aliorumque probatissimorum Doctorum ad eundem morem comprobandum adducimus.

I. SI Gregorio Turonico fidem adhibes, ex eo disces iis ipsis Ecclesiæ temporibus, quibus Christi Fideles persecutorum metui suberant, ideoque priscis profecto & remotissimis (*) *vidisse Gentiles omnem populum ad D. Bartholomæi sepulcrum concurrere, eique deprecationes assidue, & incensa deferre*. Quis vero putet eos omnes, qui ad S. Apostoli sepulcrum concurrebant, propinquarum regionum incolas esse? immo simillimum veri est eorum multos ex valde distantibus locis subsidii, opisque exposcendæ causa ad idem sepulcrum convenisse.

(*) de glo. Marty. cap. 33.

II. Antiquum porro, & probatum id est, quod discimus ex actis SS. Leonis, & Paregorii: nempe Leonem, qui postea martyrium subiit, Paregorii sepulcrum adiisse precandi causa: Audi verba Actorum illorum: (a) *Apud se autem disserens egressus est ad locum, in quo jacebant reliquiæ beati Martyris Paregorii.... Cum ergo accessisset ad locum ei propositum, & preces fudisset consuetas* &c. Porro id aut sacræ peregrinationis cujusdam exemplum est, aut ad easdem peregrinationes commendandas deduci facile potest.

(a) Vide Bollandum 18. Februarii, & Ruinart. Acta Martyrum pag. 478. & 479.

His adjunge, si vis, quæ Agnellus Ravennas de S. Agapito vetustissimo Ravennæ Episcopo his verbis narat. (b) *Hic agapes cum peregrinis quotidie faciebat*. Ille enim, ut puto, minime errabit, qui affirmet, peregrinorum nomine eos fuisse indicatos, qui sacram aliquam peregrinationem ad Sanctorum tumulos, & monumenta instituerant.

(b) pag. 43. part. 1. to. 2. Rerum Italic.

III.

III. At multo clarius id eſt, quid de Theodoſio Imperatore vetera monumenta teſtatum faciunt. Eximius hic Princeps non minus prudenti regni adminiſtratione, & bellica laude, quàm chriſtiana virtute laudatiſſimus, Tyrannum Eugenium certamine adorturus, tum aliis quidem pietatis argumentis, tum etiam itinere ad Sanctorum monumenta ſuſcepto, ad illud ſe paravit. Id certe haud obſcure indicat Ruffinus cum hæc ſcribit: (c) „ Igitur præparatur ad bellum non tam armorum, telorumque, quàm jejuniorum, orationumque ſubſidiis, „ nec tam excubiarum vigiliis quàm obſecrationum „ pernoctatione munitus. Circuibat cum Sacerdotibus, „ & populo omnia orationum loca: ante Martyrum, „ & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus, & „ auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat.

(c) libro 2. cap. 33. hiſtoriæ.

IV. Quid Hieronymus? An non Paulæ, & Euſtochii nomine ad Marcellam ſcribens (d) ad Hieroſolimitanam urbem, ideoque (ut deinceps oſtendemus, & Hieronymus ipſe teſtatur) ad Sanctorum etiam monumenta ſuſcipiendam peregrinationem & crebro optimorum virorum exemplo, & emolumentis ex ea derivatis adhortatur? Porro inter ea emolumenta poſtremum non eſt quod his verbis deſcribit. (e) „ Ergo ne „ erit illa dies quando nobis liceat ſpeluncam Salva„ toris intrare? . . . . Videre exire „ Lazarum faſciis colligatum, & fluenta Jordanis ad „ lavacrum Domini puriora? Inde ad paſtorum cau„ las pergere: in David orare Mauſeolo? Amos Pro„ phetam nunc buccina paſtorali in ſua conſpicere „ rupe clangentem? Ad Abraham, Iſaac, & Jacob, trium „ quoque illuſtrium Fæminarum, vel tabernacula pro„ perare, vel memorias? Videre fontem, in quo a „ Philippo eunuchus eſt tinctus? Samariam pergere, „ & Ioannis Baptiſtæ, Eliſęi quoque, & Abdiæ pa„ riter cineres adorare? Ingredi ſepulcra, in quibus „ perſecutionis, & famis tempore Prophetarum agmi„ na ſunt nutrita?

(d) Erat olim hæc epiſtola 17., at in nova Veronenſi editione 46. eſt.

(e) n. 12. ejuſdem epiſtolæ.

Sed quoniam Hieronymum allegare cæpimus, alia illius teſtimonia proferamus. Sane inter chriſtianas virtutes recenſet ille *diſcurſus huc, & illuc factos, & peregrinorum ſuſceptionem*. (f) Porro nomine diſcurſuum huc, & illuc factorum peregrinationes non pauci intelligunt, a quorum quidem ſententia ſi forte diſcedas, negare pro-

(f) in epiſtola ad Nepot. olim 2. nunc 52. n. 3.

cul

cul dubio non potes peregrinationibus maxime favisse Hieronymum, nam dum inter virtutes susceptionem peregrinorum recenset, susceptionem illorum recenset, qui Protestantium quidem judicio remotissimum a christiana virtute vitæ genus peregrinando agunt, quod non fecisset, nisi vere non levem pietatem in eo vitæ genere positam vidisset. Mox etiam eundem Nepotianum jubet, ut peregrinos sobria mensa suscipiat. (*g*) *Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conviva noverit.*

(*g*) Ibidem n.5.

Denique, ut finem faciam, testatur se adeo in peregrinis suscipiendis occupatum fuisse, ut ab eo studio impeditus fuerit, quo minus sacrorum librorum interpretationi operam daret. (*h*) (26) An putas omissurum fuisse Hieronymum sacrorum librorum interpretationem, ut peregrinos frequentissime ad Monasterium suum convenientes susciperet, si peregrinationes, quas frequentissimas ex eo noscis, non approbasset?

(*h*) in præf. in l.7. Comment. in Ezechielem.

V. Tametsi vero Joannes Chrysostomus episcopali cura impeditus remota Sanctorum monumenta perlustrare, invisereque non posset, ea tamen sæpe edocet, ex quibus intelligas illorum consilium ab eo approbari, qui re ipsa invisunt. „Propterea admiror (inquit ille) (*i*) Urbem „ (Romam) non propter copiam auri, non propter co- „ lumnas, vel propter alium fastum; Sed propter „ has columnas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dederit, „ ut Corpus Pauli circumplectar, ut sepulcro hæream, „ ut videam pulverem corporis illius, quæ Christo de- „ erant, adimplentis, stigmata illius gestantis, prædi- „ cationem ubique disseminantis? pulverem, inquam, „ illius Corporis, per quod Christus loquebatur, & „ lux splendebat omni fulgore clarior, & vox exilie- „ bat quovis tonitru dæmonibus terribilior, per quod „ beatum illud dictum emittebat: *Cupio anathema esse* „ *pro*

(*i*) numeris primo, secundo, & tertio hom. 32. in epistolam ad Romanos.

(26) Fateor me explanationes in Ezechielem multo ante tempore promisisse, & occupatione de toto Orbe huc venientium implere non posse: dum nulla hora, nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, & monasterii solitudinem, hospitum frequentia commutamus: in tantum ut aut claudendum sit nobis ostium, aut scripturarum, per quas aperiendæ sunt fores, studia relinquenda. Itaque lucrativis, immo furtivis noctium horis &c.

„ *pro fratribus meis:* per quod loquebatur coram Re-
„ gibus, nec erubescebat? per quod Paulum didicimus,
„ & Pauli Dominum? .... Vellem videre sepulcrum,
„ ubi jacent arma justitiæ, arma lucis, membra nunc vi-
„ ventia, & mortua dum ille viveret; in quibus om-
„ nibus vivebat Christus, quæ crucifixa erant Mundo
„ membra Christi.

Quin etiam homilia octava in Epistola ad Ephesios (*) expressissime tradit se ab episcopalibus curis, & corporis ægritudine detineri, quo minus ad venerandas Apostolorum reliquias se se conferret. „ Nihil est (in-
„ quiens) illa catena beatius: Vellem nunc esse
„ in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula,
„ & videre, Virosque illos (*Petrum*, *&* *Paulum*)
„ admirari, propter Christi desiderium. Vellem vi-
„ dere catenas, quas pertimescunt quidem, & hor-
„ rent Dæmones, reverentur autem Angeli. Nihil est
„ melius, quàm male pati propter Christum.... Si ab
„ ecclesiasticis curis essem remotus, & esset mihi cor-
„ pus sanum, ac validum, non recusarem hanc susci-
„ pere peregrinationem, ut solum viderem catenas, &
„ carcerem, in quo fuit vinctus. „ Quantam vero laudis ex iisdem peregrinationibus Christianæ Religioni accedat, testatum facit, quum alibi (*k*) hæc ait.
„ Atque isti qui Corpora gestarunt, virtutes corpore
„ vacantes superant: pulvisque, ossa, & cinis natu-
„ ra illas invisibiles (Dæmones) dilacerant. Ideo,
„ nemo est, qui peregrinationem unquam inire susti-
„ neat, ut Imperatorum aulas videat: contra multi
„ plerumque Imperatores peregre profecti sunt, ut hoc
„ spectaculo fruerentur. Siquidem Sanctorum Marty-
„ rum templa futuri judicii vestigia, & signa exhibent,
„ dum dæmones flagris cæduntur, hominesque casti-
„ gantur, & liberantur. Viden' quæ Sanctorum etiam
„ vita functorum vis sit?

VI. Nec minus illustre est, quod hoc super argumento præbet Paulinus Nolanus: quippe singulis quibusque annis Romam pergebat ad venerandas Apostolorum, & Martyrum Reliquias, sicut multis veterum productis monumentis ostendunt, qui vitam Sanctissimi Episcopi ex ejus præsertim libris adornarunt, præposueruntque eisdem libris. Consule quæ traduntur capite 22.: ea quippe in hoc capite comprehenduntur, quæ si legeris,

(*) n. 1., & 2.

(*k*) n. 5. homiliæ 26. in epistol. 2. ad Chorint. tom. x. p. 626. Bellarminus vero hæc eadem verba allegat ex homilia 66. ad popul Antioche.

hac de re te dubitare non finent. Idem apertissime indicat ille in Epistola ad Severum scripta; quippe decem dies Romæ se mansisse scribit. (*l*) *Quam vix decem dies vidimus* (inquiens) *non videntes, & ipsum temporis ante meridiem in votis nostris, quorum cura veneramus, per Apostolorum, & Martyrum sacras memorias consumentes.* In ea etiam epistola enixissime obtestatur Severum, ut ad venerandum S. Fælicis corpus, (quod ille dudum promiserat) tandem aliquando veniat: neque velit adeo ad S. Martini tumulum visendum operam dare, ut Fælicis sepulcrum negligere videretur. Etiam numerum quartum ejusdem Epistolæ obsecro ut legas, ex quo quidem numero palam innotescet mos eorum temporum longum iter suscipiendi ad Sanctorum monumenta, quem morem, & commendat, & suo etiam exemplo confirmat, approbatque Paulinus, quod nuper diximus. Sed antequam a Paulino discedo, advertisse vos volo ad ea, quæ de jugi ad S. Fælicis Basilicam peregrinorum concursu apertissime docet ille (*) hæc elocutus.

(*l*) erat olim 13. in nova editione 17. n. secundo.

(*) versu 305. Natalis XI. S. Fælicis.

Et magni solium breve Confessoris adorat
Jugiter e variis confecta frequentia terris.

VII. At non ne etiam eundem morem, & innuit, nec sane improbat Prudentius hymno 1. libri, quem *de Martyrum coronis* scripsit, de monumento Sanctorum Martyrum Hermiterii, & Cheledonii hæc inquiens? (*m*)

(*m*) vers. 13. & subsequentibus. tom. 8. Biblioth. Patrum pag. 448.

Hic calentes hausit undas
Cæde tinctus duplici.
Illitas cruore sancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes
Voce, votis, munere;
Exteri nec non & orbis
Huc colonus advenit;
Fama nam terras in omnes
Præcucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi,
Quos precantes ambiant.

VIII. Hanc consuetudinem confirmat Sulpitius Severus: quippe *de Virtutibus Monachorum Orientalium* agens, (*n*) aptissime ad rem nostram hæc eloquentem.

(*n*) capite secundo

 Postu-

Posthumianum inducit. „ Ante hoc triennium „ quo tempore tibi, Sulpici, hinc abiens vale dixi, ubi Narbona navim solvimus, quinto die Portum Africæ intravimus, adeo prospera Dei nutu, navigatio fuit. Libuit animo adire Carthaginem, loca visitare Sanctorum, & præcipue ad sepulcrum Cypriani Matyris adorare.

IX. Placet etiam ea proferre quæ Palladius de Philoromo tradit. „ (o) Is (Philoromus) pedestri „ itinere venit Romam usque, ad orandum in Martyrio Sanctorum Petri, & Pauli. Pervenit etiam usque Alexandriam, cum vovisset in Martyrium venerandi Athletæ Marci. Dignus autem (inquit) sum habitus, qui voti gratia bis propriis pedibus venirem Hierosolymam ad honoranda loca Sancta, & ipse mihi suppeditavi impensas.

(o) cap. 113. Histor. Lausiacæ tom. 13. Bibl. Patrum pag. 1028.

X. At quis de peregrinationibus agens vel exempla Sanctissimorum virorum peregrinos suscipientium omiserit, vel hortationes, ut iidem susciperentur. Porro non modo Gregorius Magnus peregrinos ad sacra Apostolorum limina venientes benignissime suscipere solebat, (*) iisque ministrare, summæque caritatis, humanitatisque officia exhibere, (quæ quidem Domino fuisse acceptissima ex ingenti miraculo agnovit (p)) verum etiam inter feminas in sæculo degentes, quæ sanctitate ceteris præstabant, in hoc etiam pietatis, & officio aliis exemplo præerant. Hæc de Pulcheria, illiusque sororibus Sozomenus scriptis tradidit. (q) *Erga Sacerdotes, ac sacras ædes promptæ, ac sedulæ: in peregrinos egentes, ac pauperes munificæ.*

(*) Vide caput 151. Prati Spiritualis.

(p) lib. 2. c. 22. & 23. Vitæ S. Grego. editæ a Joanne diacono.

(q) lib. IX. cap. 3. edit. Valesii.

XI. Leo vero meritis, & sanctitate, vere Magnus varia caritatis officia recensens, & ad illa populum, exhortans peregrinorum susceptionem etiam recenset. *Suscipiatur peregrinus &c.* (*)

(*) Serm. 2. de Jejunio x. Mensis.

XII. Quis porro hic non alleget ea, quæ hoc de more ait Gennadius, (r) testatus nempe iis verbis communem eorum temporum persuasionem? „ Sanctorum „ Corpora, & præcipue beatorum Martyrum Reliquias, ac si Christi membra sincerissime honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca divino cultui mancipata, affectu piissimo, & devotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venit, non Christianus, sed Euno-

(r) cap. 40. aliàs 73. libri illius, quem de *Ecclesiasticis dogmatibus* inscripsit.

„ minia-

„ minianus, & Vigilantianus creditur. „ Atqui plerique sentiunt verbis illis *Basilicas eorum* (Sanctorum) nominibus appellatas adeundas, ad sacras peregrinationes eum respicere.

XIII. Gregorius Turonicus morem hunc subsequentibus etiam temporibus perstitisse compertum fecit: etenim se devotionis causa visitasse sepulcrum S. Hilarii ait, (*s*) & sæpissime de suscepto ab aliis ad Sanctorum sepulcra devotionis causa itinere loquitur.

XIV. Id etiam discimus ex monitis Bollandi ad Acta Sanctorum Cyri, & Joannis Martyrum: quippe numero 18. idem Bollandus (*t*) ostendit, ad sepulcrum rum undique confluere consuevisse Fideles.

XV. Eodem spectat quod Adelinus Sagiensis in vita Sanctæ Opportunæ his verbis narrat. (*u*) „ Factum est, ut Go-
„ degrandus Sagiensis Ecclesiæ Episcopus, ob amorem
„ cælestis patriæ ad limina Beatorum Apostolorum Pe-
„ tri, & Pauli, & diversa loca Sanctorum orationis
„ causa vellet peragrando circumire. Cumque secum
„ isthæc deliberaret, velletque tali in opere septem
„ annorum curricula transigere, ut laborando, peregri-
„ nando, & orando posset delictorum veniam, & gau-
„ dia æterna obtinere, disposita Ecclesiæ suæ admini-
„ stratione, cæpit misericordiam Dei invocare, ut cu-
„ stos ejus esse dignaretur in concepto itinere.

XVI. Venantii quoque Fortunati verbis (*x*) sacras peregrinationes ad Sanctorum monumenta institutas in honore fuisse discimus. Quædam delibo ex plurimis.

Inde Ravennatem placitam pete dulcius Urbem,
Pulpita Sanctorum per relligiosa recurrens:
Martyris egregii tumulum Vitalis adora;
Mitis & Ursicini, parili sub sorte beati:
Rursus Appollinaris, preciosi limina lambe,
Fusus humi supplex, & templa per omnia curre.

(*s*) capite quinto lib. 1. *de Gloria Martyrum*.

(*t*) Bolland. 31. Januar. pag. 1084. tom. 2. Mensis Januarii.

(*u*) Apud Surium 22. Aprilis pa. 873.

(*x*) sub finem libri quarti inter eos, quos *de Vita S. Martini* scripsit. pag. 771. t. 8. Biblio. Pat.

CAP.

CAP. XLVIII.

Idem argumentum prosequimur, aliosque valde probatos afferimus ejusdem consuetudinis testes. Ea etiam indicamus loca, ex quibus alia argumenta ad eumdem morem comprobandum desumi possint.

I. QUamquam autem necesse non est alia adjungere, quoniam id, de quo disputatur, superioribus testimoniis satis ostendimus: ex his scilicet innotescit iis etiam sæculis, in quibus aut minime labefactatam, aut longe minus fœdatam, quàm nunc sit, Ecclesiam fuisse ajunt Protestátes, consuevisse Christianos peregrinationes ad Sanctorum Monumenta suscipere: alia tamen addam, quibus constet tum superioribus, tum subsequentibus etiam sæculis minime interruptum fuisse morem hunc. Sane Aribo Frisingensis (*a*) hac consuetudinem indicat hæc elocutus. „ Tunc demum iniens consilium, „ ad limina sacratissima beatorum Apostolorum Petri, „ & Pauli orationis causa ire decrevit; & ibi se Apostolici Viri doctrinæ, & orationibus commendare.... „ ut ad Sanctorum Apostolorum patrocinia posset securius pervenire.

II. Præclarum quoque est illud, quod Marcellinus Presbyter (*b*) tradit his verbis. „ Eodem „ tempore tanta erat devotio hominum Angligenarum, „ postquam tota insula fidei Sacramentis erat imbuta, „ ut non solum nobiles, ignobiles, Clerici, Laici; „ verum etiam Reges, & filii Regum de gente Anglorum, spretis regnis, & deliciis Mundi, eligerent „ ex maxima devotione ad tempus peregrinari pro „ Christo in terris.

III. Pratum spirituale Moschi, aut si vis Sophronii, præter illa, quæ alibi a nobis allegantur, miraculum (*c*) describit sane non leve, quo visus est Dominus peregrinationes ad Sanctorum etiam valde distantia monumenta crebro a Joanne Anachoreta susceptas approbasse; candelam scilicet accendebat

(*a*) cap. 4. Vitæ S. Corbiniani. Apud Surium 8. septem. pag. 157.

(*b*) cap. 4. Vitæ Sancti Svviberti. Apud Surium 1. Mar. pag. 9.

(*c*) cap. 180.

debat pius ille senex ante Imaginem Virginis Deiparæ, cui, & candelam ipsam, & suscipiendam ab eo peregrinationem commendabat. „ Hisque ad Imagi-
„ nem dictis egrediebatur, peractoque proposito itine-
„ re revertebatur, aliquando post mensem, sæpe etiam
„ post duos, vel tres menses, nonnunquam post quin-
„ que, vel sex, & ita reperiebat integram cande-
„ lam, & ardentem, sicut eam, cum iter arriperet,
„ dimiserat, & nunquam hanc a se ipsa extingui vi-
„ dit, neque de somno surgens, neque e peregrinatio-
„ ne rediens, neque ex eremo in speluncam pergens.
Capite vero 100. a Petro *quodam genere Pontico, multis, præclarisque virtutibus ornato iter primo quidem susceptum fuisse* narrat *ad montem Sina: tum a Monte Sina usque ad Alexandriam ad sanctum Menam: denique a S. Mena usque in sanctam Civitatem, cum nihil omnino gustasset senior in via*. Cum porro S. Menæ meminit, locum aliquem hic indicari puto, quem S. Menas aut reliquiis, aut incolatu sanctificaverit.

IV. Sæculo octavo non intermissas fuisse ad Sanctorum monumenta peregrinationes, præter ea, quæ adduxi, præter alia quæ facile adduci possent, testatur ea S. VVibibaldi vita, quam secundo loco posuit Vir ille eximius, qui Sanctorum Benedictinorum vitas collegit. Verba huc spectantia ut pote multa consulere lector per se ipse poterit. (*d*)

V. Quantum vero frequentes, copiosæque sæculo IX. forent peregrinationes ad Apostolorum Petri, & Pauli sepulcra susceptæ, manifesto adtestatur Nicolaus I. hæc proferens. (*e*) „ Siquidem tanta millia ho-
„ minum protectioni, ac intercessioni Beati Apostolo-
„ rum Principis Petri, ex omnibus finibus Terræ pro-
„ perantium, sese quotidie conferunt, & usque in
„ finem vitæ suæ apud ejus limina semet mansura pro-
„ ponunt, ut præter illud, quo vas e Cælo submis-
„ sum, in quo cunctorum ostensa sunt eidem Beato
„ Petro horum omnium rectori animantium genera,
„ Catholicam signat Ecclesiam: etiam ipsa sola Ro-
„ manorum urbs, apud quam ejusdem Apostoli cor-
„ poralis præsentia sedule veneratur, ipsius vasis cun-
„ ctas dignoscatur in se continere universorum anima-
„ lium (quæ homines intelliguntur spiritualiter)
„ nationes.

(*d*) 1. par. sæculi 3. benedict. pag. 347. editionis Venetæ.

(*e*) Epist. 9. ad Michaelem Imperatorem Tom. IX. Concil. pag. 1316. sed verba alleg. extant. pag. 1336., & 1337.

VI. Et

Et hæc quidem satis esse reor tum antiquitati, tum continuationi peregrinationum ad Sanctorum monumenta susceptarum comprobandæ: Nam a sæculo nono ad nostram usque ætatem frequentes fuisse primum quidem Romam, tum capta a Christianis Hierosolyma, ad hanc quoque Urbem peregrinationes, nemo vertet in dubium. Alia si cupis hujusce consuetudinis exempla a veteribus quidem sæculis institutæ, & a capta Hierosolyma ad nostra usque tempora continuatæ, probabilia subministrabunt Coccius, (f) Cardinalis Stanislaus Hosius, (g) Gretserus, (*) aliique plurimi, apud quos præclarissima perspicuaque invenies hujusce moris testimonia. Neque fortasse inopportuna ad rem, de qua agimus, putes, quæ isti afferunt de peregrinationibus Hierosolymam actis: tametsi enim ad loca à Christi ipsius incolatu, & crebra visitatione sanctificata eæ dirigerentur; tamen hoc sane emolumentum, commodumque præbent, ut ab optimorum Virorum exemplo, neque improbas, neque temere susceptas intelligas peregrinationes ad remotissimas usque Provincias. At aliunde etiam ea testimonia apta esse reor. Scilicet qui Hierosolymam proficiscebantur, non ea tantum modo visebant loca, quæ a Domini incolatu sanctificata fuere, verum ea etiam, quæ ob Sanctorum Reliquias, vel incolatum venerationem a populis consequebantur. Hinc referente Hieronymo (h) (cujus testimonium jam protulimus, & repetere hic placet) qui Hierosolymitanam peregrinationem suscipiebant, tum ad alia contendebant Sanctorum virorum incolatu, aut sepulcris celebratissima loca, tum certe ingrediebantur sepulcrum Lazari; Mariæ, & Marthæ videbant hospitium; sepulcra quoque in monte Ephraim Jesu filii Nave, & Eleazari filii Aaron Sacerdotis venerari consueverant. Ad Abraham, Isaac, & Jacob, trium quoque illustrium fæminarum, vel tabernacula, vel memorias properabant. Videbant fontem in quo a Philippo Eunuchus est tinctus: Samariam pergebant, & Joannis Baptistæ, Helisæi quoque, & Abdiæ cineres adorabant. Invisere quoque consueverant Patriarcharum sepulcra: & Sebastem, idest Samariam, quæ in honorem Augusti ab Hærode Græco sermone Augusta est nominata. Ibi siti sunt, Helisęus, & Abdias Prophetæ: & (quo major inter natos mulierum non fuit) Joannes Baptista. Ubi multis intremuit (Paula) consterna-

(f) libro 5. Thesauri Catholici articulo 17.

(g) cap. 90. cui propositus est titulus *de caremoniis, quæ desumuntur* a loco.

(*) par. poster to. 4. editio. Ratisbo. an. 1734.

(h) Hierony. epistola olim. 27. in Veron. editio. 108. numeris præsertim 12. & 13.

ta

ta mirabilibus: Namque cernebat variis Dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulcra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum. (*l*) Hæc si excipias, (cur porro non excipies?) tum continuo tibi subministrabitur a peregrinationibus Hierosolymam susceptis aptissimum argumentum ad antiquitatem, & continuationem peregrinationum ad Sanctorum monumenta initarum ostendendam. Quid enim (ut exemplo aliquo utar) neges visitatam fuisse a peregrinis illuc devotionis causa confluentibus etiam Ecclesiam illam, quæ eversa & solo æquata Hierosolyma, incolumis perstitit? quæ quidem Ecclesia (*m*) *in eo loco constituta fuerat, in quem discipuli, posteaquam Salvator in cælum ex Oliveti monte subvectus est, se se recipientes, cænaculum conscenderunt*: in qua etiam *Stephanus Archidiaconus fuit ordinatus*. (*) Indicat etiam Hieronymus loca, quæ Sancti veteris testamenti incoluerant, celebria fuisse, & notissima, quæque proinde a Christianis visitarentur. Novimus enimvero primis ipsis Ecclesiæ seculis, ideoque iis, quibus crebræ erant persecutiones, peregrinationes *ad loca sancta* non fuisse prorsus a viris præclarissimis neglectas. De Firmiliano vetustissimo Cæsareæ Episcopo id attestatur his verbis Hieronymus: (*n*) *Firmilianus Cæsareæ Episcopus . . . . sanctorum locorum Palestinam veniens, diu Cæsareæ in sanctis scripturis ab eo* (Origene) *eruditus est*.

VI. Neque eum solum indicare possumus ex priscis Episcopis. Alexandrum primùm quidem Cappadocum, tum Hierosolymorum Episcopum Firmiliano adjungo; de quo Alexandro testatur Eusebius (*o*) diu ante Constantinum Hierosolymam perrexisse orandi causa. Adjungo denique præstantissimos eos viros, de quorum ad Hierosolymitanam urbem peregrinationibus hæc ait Hieronymus. „ (*) Longum est nunc ab „ ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Jerosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evange- „ lium

(*l*) *Sepulcrum ejus* (Abdiæ) *usque hodie cum Mausoleo Helisei Prophetę, & Baptista Joannis in Sebaste venerationi habetur*. Hierony. in cap. 1. Abdiæ.

(*m*) Epiph. de mensuris, & ponderibus n. 14. t. 2. pag. 170.

(*) Episto. Lucian. de revelatio: Steph. Marty. n. 8. & 10.

(*n*) de viris illustribus cap. 54. in quo quidem capite de Origene potissimum agit.

(*o*) lib. 6. cap. 11. editio. Valesf. Christoph. 9. Rufini 8.

(*) Episto. Paulæ, & Eustochii nomine scripta olim 17. nunc 46. n. 9.

„ lium de patibulo coruscaverat. „ Quid quod in epistola ad Desiderium, (*) hæc suo nomine effatur? „ Hortor vos, & precor per Domini caritatem, ut nobis „ vestros tribuatis aspectus, & per occasionem sanctorum locorum tanto nos ditetis munere. Certe si consortia nostra displicuerint, adorasse ubi steterunt „ pedes Domini, pars fidei est; & quasi recentia nativitatis, & Crucis, ac passionis vidisse vestigia. „ Affinia his fortasse tradit Cyrillus Hierosolymitanus; (p) tradunt quoque Eusebius, (q) & reliqui omnes, quos allegat Gretserus, (r) ad quem lectorem plura hoc de argumento scire cupientem amando.

(*) olim 155. in Veron. editio. 47. n. 2.

(p) catech. 17. n. 16.
(q) lib. 6. *demonstrationis Evang.* cap. 18. pag. 288.
(r) lib. 1. *de Sacris peregrinatio.* cap. 6., & seq.

CAP. XLIX.

Argumenta ea adducimus, quibus vetustatem institutarum ad Sanctorum monumenta peregrinationum impeti mos est.

I. HIs præmuniti ad illa nunc excutienda vos conferte, quibus veritatem eorum, quæ hactenus diximus, elevare, imminuereque contendunt Hospinianus, aliique Hospiniani similes. Ajunt itaque in primis temere a Catholicis peregrinationum vetustatem jactari, quibus vetustatis earum exempla desunt. Nicephorum si excipias, qui libro 3. cap. 18. peregrinationis ad templum, & ad sepulcrum S. Clementis primus omnium meminit; reliqui etsi vetustissimi Patres nihil plane de peregrinationibus habent. Porro Nicephorus tanto ineptior est ad faciendam fidem, quanto compertius est, in ea ipsa, quam narrat sepulcri Sancti Clementis historiola, cum vetustis scriptoribus non concordare. Quod si ad alia confugias, veluti ad quędam Cleti Apostolorum æqualis peregrinationibus faventia decreta, quæque ab historicis minime probatis relata maximam apud nonnullos fidem obtinuere, aut si vis ad exemplum Alexandri Cappadocum Episcopi, qui referente Eusebio (*) Hierosolymam adiit, aut Sancti Nicolai, qui ante ipsa Constantini tempora voti causa Hierosolymam profectus est; facilę tolluntur ista. Nimirum quod de Cleto ab

(*) libro sexto historiæ capite 11.

ab aliquibus traditur, adeo insulsum est, ut ab iis ipsis, qui inter Pontificios magis sapiunt, rejiciatur. Alexander vero Cappadocum Episcopus is fortasse describitur ab Eusebio, quales erant aliqui, &, si vis, plerique Christiani postremis Constantini Magni temporibus, quibus ille scribebat; aut potius simulata sacræ peregrinationis specie occultavit Alexander veram suæ profectionis causam: Hierosolymam nempe perrexit, ut fieret certus de historia evangelica, de qua dubitabat. Quæ vero de Nicolao Myræ Episcopo narrantur, unius Simeonis Metaphrastis nugacis, recentisque scriptoris auctoritate nituntur. Et de vetustioribus harum peregrinationum testibus satis. Atqui ea etiam, quæ ad continuationem earumdem peregrinationum comprobandam afferuntur testimonia, inopportune afferuntur: si quid enim iis ostenditur, id ostenditur, quod Protestantes fateri non recusant; postremis scilicet Constantini Magni temporibus cœpisse a mulierculis quibusdam, & bonis monachis peregrinationes Hierosolymam & ad sancta, uti appellabant, loca institutas frequentari. Egregios sane Ecclesiastici ritus testes! Audebis ne eos præferre aut Nisseno doctissimo & sanctissimo Episcopo, aut Hieronymo, quos sane ab hisce peregrinationibus alienissimos fuisse certum est, & deinceps adductis ipsissimis eorum verbis peculiariter ostendetur? Quibus quidem testimoniis si sanctissimorum, doctissimorumque Virorum exempla addi vis, libentissime addentur: eorum scilicet, quorum meminit Hieronymus in Epistola ad Paulinum (*) *Antonius* (inquiens) *& cuncta Ægypti, & Mesopotamiæ, Ponti, Cappadociæ, & Armeniæ examina Monachorum non viderunt Hierosolymam, & patet illis absque hac Urbe Paradisi janua.* Antonio adiunge Martinum Turonensem Episcopum, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, Leonem Magnum, & Gregorium itē Magnum, de quorum sanctitate ut nihil dicamus, sane si doctrinam, ingeniumque spectemus, neminem profecto habet Ecclesia, quem cum his comparet. Porro hi aut nullum iter ad remotissimarum regionum templa, peregrinationemque nullam susceperunt (ideoque suo exemplo auctores fuere, ne sapientiores imperitiorum quorundam exempla sequerentur, neque alienas regiones nescio qua falsa pietatis causa adducti temere peragrarent) aut si forte aliquam pe-

(*) olim. 13. nunc 58. num. 3.

regrinationem susceperunt, non eo susceperunt animo quo (Pontificiorum quidem sententia) is suscipiat necesse est, qui inter peregrinationum fautores enumerari vult. Sæpe enim Romam, aut Hierosolymam perrexerunt, vel quia Episcopalis cura iis imposita eos illuc pergere compellebat, vel alia haud absimili causa, quam quia indoctum vulgus ignorabat, sibi in animum temere induxit fallacis cujusdam, levissimæque devotionis causa iter illud a præclarissimis viris fuisse susceptum. Putavere sane non pauci Gregorium Nissenum devotionis causa Hierosolymam fuisse profectum; tamen testatur ipsemet multo diversam ob causam ad eam urbem contendisse. Id sane non dissimulavit idem Nissenus, dum hæc ait. (*) „ Sed scio, quid mihi multi adversus ea, „ quæ dicta sunt objiciunt. Ajunt enim: Quam „ ob rem hæc contra te etiam non decernis? Si enim „ nullum operæ pretium facit, qui secundum Deum „ illuc peregrinatus fuerit, quam ob rem frustra tantam viæ molestiam sustinuisti? Audiant igitur, quo „ jure me in iis defendam. Mihi propter hanc vivendi rationem, in qua ut vivam, ab eo qui dispensat vitam nostram constitutus sum, necesse fuit „ pro Sancto Concilio habito emendandæ Arabicæ „ Ecclesiæ gratia, ad loca ista proficisci. Ac cum esset Arabia locis Hierosolymitanis contermina, pollicitus eram me una cum iis, qui sanctis Hierosolymitanis præsunt Ecclesiis, disceptaturum, quod illis esset status perturbatus, ac quodam qui medius „ intercederet, egerent. „ Hæc adversarii.

(*) in Oratione *de iis qui adeunt Hierosolyma*. Tom. 3. pag. 653. edit. Paris. an. 1638.



CAP.

CAP. L.

Prima superioris Capitis argumenta expendimus, diluimusque.

I. QUorum quidem sententiæ nunquam ego subscribam: neque porro tam valida ea sunt, quæ attulere, ut nostras probationes infirment. Id ut planissime intelligas, objectionum ordinem sequor, & ad eas dissolvendas aggredior. Statim ais temere narratum esse a Nicephoro (qui, tua quidem sententia, omnium primus eam fabulam finxit) quod de peregrinationibus ad S. Clementis sepulcrum institutis tradit. Ego contra hæc repono. Quis omnium primus ea narraverit, quæ de S. Clemente in mare projecto, deque mari ipso die Sancti Clementis festo, & per octo subsequentes dies fluctus cohibente, & viam præbente populis visitantitibus sacram ædiculam, in qua venerandum illius cadaver conditum erat; non multum curo, & si perquirerem, difficile fortasse id assequerer. Id enim in Actis passionis ejus vetustis sane legitur, ex quibus desumpta arbitror, quæ de S. Clementis Ædicula, & puero per annum integrum in mediis fluctibus servato incolumi narrat Gregorius Turonicus, & Ephrem ille, cujus de D. Clemente lucubrationem tum alii, tum certe vulgavit Surius in Vitis Sanctorum. [a] Sed quisquis eorumdem Actorum fuerit auctor, indubitata res est diu ante Nicephorum conscripta fuisse illa; neque re vera vetustis Vitæ S. Clementis scriptoribus obsistere, sed addere circumstantias, (qualescunque illæ sint) quas veteres historici præteriere. At dic obsecro hæc ne monumenta tantum modo afferunt Pontificii, dum sacrarum peregrinationum antiquitatem statuunt, ut tu ad ea tantum refellenda animum serio intenderes?

II. Quæ de D. Cleti Apostolorum æqualis decretis ad Romanas peregrinationes pertinentibus nonnulli narrant, si non rejiciam ego, tamen excipi non sinent solertiores, diligentioresque historici, qui cum in vetustis monumentis ea non reperiant, arbitrantur aut con-

(a) Surius to. 6. pag. 559.

conficta ea esse, aut saltem dubia. Non his ego innitor. Innitor enimvero in monumentis reliquis, quæ tu non refellis, ideoque, ne cuncta hic commemorem, in eo etiam innitor, quod de Firmiliano Cæsareæ Episcopo testatur Hieronymus. (b) Innitor quoque in eo, quod de Alexandro primùm quidem Cappadocum, tum Hierosolymorum Episcopo adduxi. Et sane, quod Alexander iste non eas ob causas, quas aliqui confinxere, Hierosolymam adiverit, sed ut eam urbem, & nisi probabilis conjectura nos fallit, proxima loca Christi incolatu, frequentibusque Sanctorum monumentis illustrata veneraretur, indicat Hieronymus in libro quem *de Viris illustribus inscripsit* (c) *Alexander* (inquiens) *Episcopus Cappadociæ cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret &c.* Porro multo majorem meretur Hieronymus fidem, quàm promereantur ii, qui nulla probabili ratione fulti secus sentiunt. Neque vero aliam sive Hieronymus, sive Eusebius causam attulit, cur Alexander Hierosolymam perrexerit, nisi eam, quam ego quidem Hieronymi vestigiis insistens adduxi: neque ea aut in ipsa Eusebii historia, aut aliquo illius interprete verba reperi, quę veluti ab Eusebio deprompta allegat Hospinianus (d) hæc elocutus. *Deinde diserte addit* (Eusebius) *hoc factum ab ipso quoque historiæ gratia, ut scilicet certior fieret de historia Evangelica, & sic in fide sua confirmaretur.* (26) Immo procul dubio cum pie-

(b) de viris illustribus cap. 54. in quo quidem capite de Origene potissimū agit.

(c) cap. 62.

(d) lib. 2. de origine Templorum pag. 307. colum. 2.

(26) Editio Rufini (cap. 8.) hæc proponit. ,, Is namque ,, Alexander ex gente Cappadocum, ubi erat præclarę ,, urbis Episcopus, Hierosolymam adorandi, & Sanctorum locorum videndi gratia properaverat. ,, Christophorsonus sic vertit. ,, Unde Alexandrum, cum tanquam divino quodam oraculo ex Cappadocum regione, ubi primum in Episcopatus gradu fuisset locatus, Hierosolymam tum voti, tum locorum visendorum causa contenderet. ,, En etiam quo modo Valesius verterit. ,, Alexander, cum ex Cappadocia ,, in qua primum Episcopus fuerat ordinatus, Hierosolymam profectus fuisset, tum orandi, tum locorum visendorum gratia &c. En denique etiam Musculi ,, scriptoris sane Protestantibus minime suspecti, interpretationem. (cap. xi.) E Cappadocia ubi antea ,, Epi-

pietate Alexandri id minime consensisset. Quis enim probum eum Episcopum arbitretur, qui certior fieri cupit de Evangelica historia, atque in fide sua indiget confirmari, & eam ob rem loca ipsa adire vult, in quibus evangelicæ religionis mysteria peracta sunt: quasi probus ille sit, qui nisi videat, non credit, aut certe in fide nutat, & anceps est? Innitor denique in eo quod de Martyribus, & Episcopis Hierosolymam visitantibus testatur idem Hieronymus, cujus nuper verba allegavi, & mox repetam. (e) At reliqua prosequamur.

V. Sic porro occurro iis, ob quæ negas Nicolaum Myræ Episcopum Hierosolymam visendorum sacrorum locorum causa adiisse. Non ego id sane animose negare audeo: fortasse enim in eorum numero est, quos indicat Hieronymus (f) „ Longum est (inquiens) nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, „ qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in „ doctrina ecclesiastica virorum venerint Hierosolymam, „ putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, „ nec summam, ut dicitur manum accepisse virtutum, „ nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus Evan„ gelium de patibulo coruscaverat. „ Et sane si Firmilianus, & Alexander, quorum meminimus, vivente adhuc Origene, & Narcisso Sanctorum locorum visendorum causa Hierosolymam perrexere, cur illuc post ea etiam tempora pergere non potuit Nicolaus? At neque id certo affirmo, usque dum ii, qui illius peregrinationem asseverant, probatiora monumenta proferant. Et sane fieri omnino non potuisse, ut hanc peregrinationem susciperet eo tempore, quo Metaphrastes narrat, contendit Tillemontius. (g) Tum quippe nondum detecta erat Crux, nec dum notum Sepulcrum, aut erectum Templum; quæ tamen veneratum fuisse Nicolaum indicant tum Metaphrastes, (h) tum Leonardus Justinianus, qui S. Nicolai vitam e græcis idoneis scriptoribus, sed potissimum ex Metaphraste se collegisse testatur (i) Fidem ergo sibi, suæque narrationi videntur demere scriptores isti, dum propter hæc

(e) cap. 48. §. 6.

(f) in Epist. Paulæ, & Eustochii nomine ad Marcellam scripta num. 9. & in nova editione veronensi 46.

(g) tomo sexto historiæ Ecclesiasticæ adnotatione 1. in S. Nicolaum pag. 824.

(h) Tom. v. Lyppomani p. 226. & seq.

(i) To. 1. Lyppomani pag. 138. & sequent.

„ Episcopatum fuerat sortitus, Hierosolyma orandi gra„ tia, & ut ea loca videret, profectum Alexandrum Hie„ rosolymitani summa cum benevolentia suscipiunt.

hæc visenda, S. Nicolaum Hierosolymam, & sancta loca adiisse ajunt. Dixi *videntur demere:* potuit enim historiæ ordinem aliqua ex parte pervertere Metaphrastes, & qui eum sequitur Leonardus Justinianus, & id prius describere, quod deinceps, & Constantino imperante egit Nicolaus. Audivi etiam qui diceret Diocletiano ipso imperante loca sancta aliqua fuisse, quæ viseret Nicolaus, nempe Ecclesiam Apostolorum, cujus sępe meminimus, (*k*) aliaque loca Christi, Apostolorum, aliorumque Sanctorum frequentia, & incolatu sanctificata. Crucis autem locus peculiaris tam & si reliquis ignotus, potuit singulari Dei beneficio Nicolao viro sanctissimo innotescere: peculiari enim, singularique Dei beneficio sacra adyta fuisse Nicolao reserata haud obscure indicat Metaphrastes, dum hæc tradit (*l*) „ cum illinc autem profectus esset ad „ Christi sepulcrum, rursus etiam venit ad venerandum Golgotha, ubi etiam pro nobis fixa est (*m*) „ crux salutaris. Deinde etiam noctu accedit ad divinum lignum Crucis. Et ei quidem sua sponte aperiuntur sacrosanti loci portę.„ At num probabilis sit, an non, responsio ista, incertus hæreo, hæreboque, donec græcam ipsam a Metaphraste exaratam Nicolai vitam inspiciam, expendamque; quod nondum licuit. Sane (ut omittam illorum temporum difficultatem,) si iter illud Diocletiano imperante factum est, cum locus, in quo erat posita crux, humo foret oppletus, (quod alibi videbimus) minime assequor, quo modo sua sponte Nicolao noctu oranti apertæ fuerint sacrosanti loci portę.

VI. At quamquam (uti dixi) non multum in hac narratione confido, non propterea tria priora Ecclesiæ sæcula sacris peregrinationibus caruisse puto. Etenim nota sunt quæ narrantur de iis, qui Adrianum præcessere, cum Socrates (*n*) hæc tradat: *Qui Christi fidem sequebantur, monumentum istud* (Sepulcrum Domini) *magnopere coluerunt*. Nota sunt quoque quæ referunt nonnulli de Origene, & reliquis, qui vel Romam perrexere, vel ad loca etiam alia, aut Domini incolatu, & miraculis, aut Sanctorum monumentis, & memoria celebratissima. Credibile est autem alias quidem ob causas, sed certe ob sancta etiam loca visenda, fuisse sæpe suscepta a Viris illis optimis lon-

ga

(*k*) Vide Cyril. Catech. 16. n. 4. & quæ in ea adnotat Clariss. Toutèe.

(*l*) pag. 228.

(*m*) adverte non dicere Metaphrastem tum fuisse fixam.

(*n*) lib. 1. cap. 17.

ga itinera: Et si vis in Hierosolymitana Urbe, & Palestina me consistere, apertissime testatur Hieronymus (cujus verba crebro produximus) longum futurum fore sibi sermonem, si per singulas ætates currens narrandum suscepisset quinam Episcopi, Martyres, & eloquentes in doctrina ecclesiastica Viri ab ascensu Domini ad ea usque tempora, quibus hæc scribebat, [*usque ad præsentem diem*] Hierosolymam adiissent, putantes se minus religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, virtutum manum accepisse, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus Evangelium de patibulo coruscaverat. Quibus quidem verbis a Domini ascensione cæpisse, & per ætates reliquas ad sua tempora perstitisse edocet apud Christianos consuetudinem proficiscendi Hierosolymam, visendique loca Sancta.

VII. Ea vero profectio tanto aptiorem probationem ad rem nostram subministrat, quanto certius est ante detectam ab Helena Constantini matre Crucem, & reliqua Nativitatis, Passionis, & Resurrectionis Christi monumenta, vix, aut plane nullo modo ad ea veneranda a Christianis iter sucipi potuisse, tum quia ignota, tum multo magis quia Gentilium superstitionibus, & delubris profanata jam pridem fuerant loca illa, adeo ut ea venerari non possent, nisi putari vellent Jovis, Veneris, aliaque Gentilium simulacra venerari. [*] Iter ergo quod Hierosolymam, & ad loca sancta suscipiebant, ad visenda loca reliqua, quæ aut Christus, aut Sancti aliquando incoluerant, & ad Sanctorum sepulcra veneranda potissimum dirigebatur; perstitisse enim iis etiam temporibus Ecclesiam illam, quæ *Apostolorum Ecclesia* vocatur a Cyrillo Hierosolymitano, (*o*)(& cujus meminit Epiphanius,(*)& Lucianus,)(*p*)atque adeo alia Sanctorum monumeta, nuper ostendimus: quibus ea adde, quæ de Ilice Mambre tradunt, Socrates, (*q*) & Sozomenus. (*r*) Et sane ea loca & Domini, & Sanctorum incolatu fuisse nobilitata indubitata res est: suspicari vero ex quibusdam exemplis merito possumus ostendisse vetustissimis etiam temporibus Sanctos acceptissimum sibi esse honorem iis locis delatum. (*)

VIII. Porro delubra, quæ super monumenta ortus, Passionis, & Resurrectionis Gentiles erexerant, crebræ quoque eorumdem Gentilium persecutiones, quibus no-

(*) Vide quæ tradunt Eufeb. *de vita Constantini*. li. 3. cap. 26. Socrates li. 1. cap. 17. & Sozomen. 2. 1. Paulinus in Episto. ad Sever. olim. 12. nunc 31. n. 3. denique Hierony. in Epist. ad eundem Paulin. olim 13. in Veron. editio. 58. n. 3.

(*o*) Cate. 16. n. 4.

(*) de mensuris, & ponderibus n. 14. to. 2. pag. 170.

(*p*) de revelatio. S. Stepha. n. 8., & 10.

(*q*) 1. 18.

(*r*) 2. 4.

(*) Vide caput 1. *Prati Spiritualis*.

nostri aliquando ob levissimas suspiciones rapiebantur ad certam necem, prohibere Christianos poterant, quo minus crebras, manifestasque peregrinationes Hierosolymam, aut Betlehem agerent: eædem quoque persecutiones in quibus non minus Christiani ad mortem, quam sacri libri ad ignem, atque incendia perquirebantur, effecerunt, ut minime pervenirent ad nos ea volumina, quæ harum peregrinationum meminere: adeo ut mirum non sit, si pauca eorum temporum hujus modi peregrinationes describentia monumenta habeamus. At enimvero Scriptorum, veterumque monumentorum paucitatem, jacturamque reparat fortasse Cyrillus, sed certe reparant Eusebius, & Hieronymus, ex quorum verbis paulo ante adductis apertissime intelliges neque tum primo cæpisse peregrinationes sacras a fidelibus agi, quum Constantini temporibus detecta est Crux & a Domini præsepe, & sepulcro prophana delubra amota, neque mulierculas solas, aut bonos Monachos (quod adversarii nostri blaterant) loca sancta adiisse. An mulierculas, & bonos Monachos appellabis aut preclarissimos Antistites Firmilianum, & Alexandrum, aut Martyres, Episcopos, & eloquentia, doctrinaque ecclesiastica præstantes viros illos, quorum sæpe allegatus Hieronymus meminit?

IX. Cave vero putes hunc morem reprobari vel a Nisseno, vel ab Antonio, vel ab Hieronymo ipso Protestantium quidem sententia id alibi reprehendente quod in locis, quæ nos protulimus, docet. *Non reprobarunt hi sane. Sed cum eo de argumento deinceps haud indiligenter dicturus sim, hic differere omitto.



CAP.

CAP. LI.

Ea dissolvimus, quæ ex Hieronymi Epistola, ideoque ex Sanctorum Virorum exemplis eruunt. Hos ipsos, quos objecerunt, id est Chrysostomum, Augustinum, Leonem, & Gregorium Magnum sacris peregrinationibus favisse, evincimus.

I. NUnc aggredi oportet exempla Virorum optimorùm quæ objecerunt, & interea omisso Nisseno, de cujus quidem sententia copiose mox disseram: audeo dicere ex desumptis ab Hieronymo, atque adversus nos objectis verbis non reprehendi sacras peregrinationes a sæcularibus, aut ab Ecclesiasticis susceptas; (quas quidem peregrinationes ab Ecclesiasticis in pretio habendas esse, atque in honore, haud obscure idem Hieronymus indicat, dum Nepotianum ecclesiasticę vitæ genus aggredi cupientem consulit, ut peregrinos mensa suscipiat. (a) *Mensulam tuam pauperes & peregrini & cum illis Christus conviva noverit.*) Hoc itaque tantum Hieronymus tradit: exemplo S. Antonii, & reliquorum Monachorum, qui nullo prorsus tempore Hierosolymam perrexerunt, evinci Monachorum instituto minus congruere peregrinationes ad loca frequentia (qualia tum erant sacra Hierosolymæ loca,) susceptas. Tum porro Paulinum monachi vitam agere meditantem, (& quantum sinebat initum cum sanctissima fæmina Therasia conjugium, agentem etiam,) in iis instruit, quæ ad hujusce vitæ genus conducunt, & ab iis avertit, quæ tametsi proba per se sint, facile tamen a solitudine, ac silentio illo avertunt quæ præcipua Monachi cura esse debet. Quod mirum non est. Etenim Petrus Damiani, qui perspicuis verbis testatur se Rainerio Marchioni injunxisse, ut Hierosolymam pænitentiæ causa pergeret, Monachos a suscipiendis peregrinationibus omnino avertit. Sed verbis ipsis, quibus id significavit Petrus Damiani, declaratum id volo. „ (*). „ Injunxi tibi Vir magnifice, ut pro peccatis, quæ „ mihi confessus es, Hierosolymam peteres, divinam-

(a) in Epistola ad Nepotianum olim 2. In Veronensi edit. 52. n. 5.

(*) li. 7. epislo. 17. p. 342. to. 1. ed. Rom.

„ que justitiam longinquæ peregrinationis satisfactio-
„ ne placares . . . . . Nos plane quandam tenemus
„ in hujus pænitentiæ moderatione distantiam, ut nec
„ omnes passim, qui nobis consilium expetunt, ab
„ hoc itinere compescamus, nec omnibus ire volen-
„ tibus libera licentiæ fræna laxemus. His enim,
„ qui regulariter vivunt, ut vel canonicæ, vel mo-
„ nasticæ religionis legitime jura custodiunt, suademus,
„ ut in ea, qua constituti sunt vocatione permaneant:
„ nec pro his, quæ in humano constituuntur arbi-
„ trio, ea, quæ necessaria proponuntur, omittant....
„ Hos autem, qui vel paludati Mundo deserviunt, vel
„ spiritualis quidem præferunt militiæ titulum, sed
„ professionis suæ non custodiunt institutum, horta-
„ mur, ut spiritualis exilii iter arripiant, tremendo-
„ que Judici peregre satisfaciant; cujus intra dome-
„ sticæ curæ sollicitudines leges ac mandata non ser-
„ vant. Et hoc modo vagando quietem, peregrinan-
„ do patriæ sibi provideant mansionem.

II. Ante Petrum Damiani eadem tradiderat Jonas Aurelianensis. Etenim his verbis compellanti Abbatem Theodomirum Claudio Taurinensi; (*) *Quare tu Monachos tuos retines in Monasterio, & non mittis omnes Romam?* hæc respondet Theodomirus: *quia peregrinatio bona est, sed non convenit Monachis, sicut & nuptiæ bonæ sunt, sed non conveniunt professoribus abstinentiæ.*

III. Quid igitur exempla Antonii Abbatis, & reliquorum Monachorum a Hieronymo commemorata adversus nos intorquent, quando quidem hoc tantum his obtinent, quod ego facile dabo: scilicet non admodum consuevisse Monachos peregrinationes etiam si sacras habere? At ea ratione minime evincis easdem peregrinationes tum crebras non fuisse. Num negabis fuisse auditas a Fidelibus Episcoporum homilias, quod eas perrari audirent Monachi? Num etiam negabis primis Ecclesiæ temporibus multos publicis Nosocomiis deservisse, aut sacramenta fidelibus ministrasse, quòd paucissimos noverimus Monachos his caritatis officiis intentos? Menses etiam integros sine Eucharistia degebant solitarii fortasse non pauci. An id quoque de reliquis fidelibus dices? Peccat itaque in eo argumentum tuum, quod generatim negat id fuisse factum, quod a Monachis tantum non fuit factum, ideoque (ut Scho-

(*) lib. 3. *de cultu Imaginum* pag. 579. to. 4. Biblioth. Patrum.

Scholasticorum locutionibus utar) transit *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter*. Ideo porro a sacris peregrinationibus Monachi abstinuerunt, quòd vitæ generi ab iis suscepto non admodum convenientes peregrinationes sunt. Num conveniens dices Monacho mulieres crebro videre & in hominum frequentia esse? Tamen si diu peregrinaberis, sæpe te necessitas coget, ut mulieres crebro videas, & in frequentibus degas locis. Id vero sæcularem hominem, aut Clericum, minime dedecebit: ideoque ab hoc hominum genere agi peregrinationes facile poterunt, immo vetustissimis etiam temporibus fuisse actas indubitatis exemplis ostendimus. Ceterum Monachos ipsos, si eandem solitudinem, ac silentium in peregrinatione servare valebant & precibus operam dare, a sacris peregrinationibus minime arcebant veteres. Quis enim id prorsus antiquis Monachis interdictum dixerit, in quo præivit Hilarion? *qui cum Palestinus esset, & in Palestina viveret, uno die vidit Jerosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur*: (*) prævivere etiam tum alii sanctissimi Monachi, & Anachoritæ, tum certe duo illi, quorum peregrinationes alibi commemoravimus, illi denique quorum meminit Cassianus (*b*) his verbis: *quidam fratrum, qui ad loca sancta orationis causa convenerant*. Et hanc quidem, non aliam quamlibet Hieronymi fuisse mentem ex ipsis Hieronymi verbis manifesto percipies: quæ propterea tam etsi multa sint, afferre libet. „ Cur inquies (*c*) hæc „ tam longo repetita principio? Videlicet ne quid„ quam fidei tuæ deesse putes, quia Hierosolymam „ non vidisti: nec nos idcirco meliores æstimes quod „ hujus loci habitaculo fruimur: sed sive hic, sive ali„ bi æqualem te pro operibus tuis apud Dominum „ nostrum habere mercedem. Revera, ut simpliciter „ motus mentis meæ fatear, considerans, & proposi„ tum tuum, & ardorem, quo sæculo renunciasti, „ differentias in locis arbitror, si Urbibus & fre„ quentia Urbium derelicta, in agello habites, & „ Christum quæras in solitudine, & ores solus in mon„ te cum Jesu, sanctorumque tantum locorum vicinita„ tibus perfruaris, id est ut & Urbe careas, & pro„ positum Monachi non amittas. Quod loquor, non

„ de

(*) n. 5. Epist. olim 13. nunc 58.

(*b*) lib. 4. qui *de institutis renunciantium* inscribitur c. 31.

(*c*) ait ille n. 4. modo allegatæ epistolæ.

,, de Episcopis; non de Presbyteris; non de Cle-
,, ricis loquor, quorum aliud officium est; sed de
,, Monacho, & Monacho quondam apud sæculum no-
,, bili; qui idcirco pretium possessionum suarum
,, ad pedes Apostolorum posuit, docens pecuniam es-
,, se calcandam; ut humiliter & secreto victitans sem-
,, per contemnat quod semel contempsit. Si Crucis,
,, & Resurrectionis loca non essent in Urbe celeber-
,, rima, in qua curia, in qua aula militum, in qua
,, scorta, mimi, scurræ, & omnia sunt, quæ solent in
,, ceteris Urbibus: vel si Monachorum turbis solum-
,, modo frequentaretur, expetendum revera hujusce-
,, modi cunctis Monachis esset habitaculum. Nunc
,, vero summæ stultitiæ est renunciare sæculo, dimit-
,, tere Patriam, Urbes deserere, Monachum profite-
,, ri, & inter majores populos peræque vivere, quàm
,, eras victurus in patria. De toto huc Orbe con-
,, curritur. Plena est Civitas universi generis homi-
,, num: & tanta utriusque sexus constipatio, ut quod
,, alibi ex parte fugiebas, hic totum sustinere coga-
,, ris. Quia igitur fraterne interrogas per quam viam
,, incedere debeas, revelata tecum facie loquar. Si
,, officium vis exercere Presbyteri, si Episcopatus te
,, vel opus, vel honor forte delectat, vive in Urbi-
,, bus, & Castellis; & aliorum salutem fac lucrum
,, animæ tuæ. Sin autem cupis esse, quod diceris,
,, Monachus, idest solus, quid facis in Urbibus, quæ
,, utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?
,, Habet unum quodque propositum Principes suos. Ro-
,, mani Duces imitentur Camillos..... & ut ad nostra ve-
,, niamus, Episcopi, & Presbyteri habeant in exemplum
,, Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem
,, possidentes, habere nitantur, & meritum. Nos
,, autem habeamus propositi nostri principes Paulos,
,, & Antonios, Julianos, Hilariones, Macarios. Et
,, ut ad Scripturarum auctoritatem redeam, noster
,, princeps Helias, noster Eliseus, nostri duces filii
,, Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudi-
,, nibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta
,, Jordanis ..... Obsecro itaque te, ut quoniam
,, sanctæ sororis tuæ legatus es vinculo, & non peni-
,, tus expedito pergis gradu, sive hic, sive ibi, mul-
,, titudines hominum, & officia, & salutationes,

,, &

,, & convivia, veluti quasdam catenas fugis voluptatum.

IV. Quamquam autem aliqua ex parte deprimere videtur susceptas ad Hierosolymitanam Urbem peregrinationes, indicareque æque Deo acceptas esse deprecantium voces sive ex Jerosolymæ, sive alibi etiam fundatur. *Non audeo Dei omnipotentiam* (inquit ille numero tertio) *angusto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quem non capit Cœlum. Singuli quique credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur. Et veri adoratores neque Jerosolymis, neque in Monte Garizim adorant Patrem, quia Deus spiritus est, & adoratores ejus in spiritu, & veritate adorare oportet.* Et mox. *Et Crucis igitur, & Resurrectionis loca prosunt iis, qui portant Crucem suam & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo*: tamen revera non deprimit, sed duo valde apta monita præbet: meliorem scilicet, præstantioremque pietatis partem in interiori Dei cultu sitam esse. Parum quoque tibi profuturum hoc iter, si a pietate, & divinorum præceptorum observantia remotus sancta loca visites: plurimum vero utilitatis tibi allaturum fore si dignam Christiano agens vitam eadem loca sancta frequentes. At quis e Pontificiis etiam si sacris peregrinationibus addictissimus sit, aut negare hæc, aut in dubium vertere audeat? Num fortasse, dum peregrinationes commendamus, Paulo obsistimus quum hæc docet. (*) *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* At dic, obsecro, dum peregrinationes commendamus, num interiori animi pietati eas præferimus? minime vero: sed tantum dicimus, sicut alia cruciamenta, & corporis afflictationes plurimum habent utilitatis, ita etiam sacras peregrinationes plurimum prodesse iis, qui eas agunt, præsertim quum summa emolumenta in iis sacris locis, ad quæ ea dirigi consueverunt, percipi soleant. Sed hoc de argumento cum deinceps acturi simus, hic multis disserere necesse non est. Recolas tamen hic volo, quod alibi etiam tradidi, sequi Patres, imitarique scripturarum locutiones, & phrasim. Porro scripturæ positivis locutionibus sæpe id exprimunt, quod comparationem tantum modo indicat. *Sacrificiis non delectaberis*

(*) 1. Timoth. 4. 8.

beris &c. idest multo minus delectaberis; aut ea de primunt, & veluti redarguunt, quæ laudatissima per se quidem sunt, sed hominem salvare, Deoque gratum efficere non possunt ipsa per se, sed addatur illis necesse est interior animi pietas & Dei cultus. Atque ad hanc quidem regulam comprobandam juverit fortasse affere nuper allatum psalmi quinquagesimi testimonium sed certe apertissime comprobatur ex illo Isaiæ loco. „ Quo mihi „ multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? „ Plenus sum: holocausta arietum, & adipem pingium: „ & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum „ nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis „ quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in „ atriis meis? Ne offeratis ultra sacrificium frustra: „ Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt „ cœtus vestri. „ At ad Hieronymum revertamur. Dum hæc monita tradit ille, laudes sibi a Paulino tributas declinat, atque illam in primis, quam ab incolatu, quem in sacris Palestinæ locis Hieronymus ducebat, desumpserat. Monet scilicet idem Hieronymus non tam sanctum vitæ genus, quale ducendum fuisset sibi Jerosolymis degenti, a se duci; Et tamen Deo non incolatus in Jerosolymitana Urbe, sed vitæ sanctitas incolatui illi conveniens Christianos Deo acceptos efficit: (28) tum verum indicat sanctitatis fontem, pietatem nempe, & vitæ probitatem: qua si cares, peregrinationes, & incolatus in locis sanctis tibi vix proderunt. Has quidem animadversiones si jungas monitis iis, quæ modo ex numero tertio ejusdem epistolæ allegavimus, & ex quibus discis minime necessarias putari a Hieronymo peregrinationes sacras; iis denique, quæ ex numero 4. 5., & 6. laudatæ Epistolæ nuper attulimus, veram D. Hieronymi de sacris peregrinationibus, & in sanctis locis incolatu sententiam deprehendisti Catholicorum sententiæ utique non adversantem: fatemur enim

(*) Isa. 1. v. 11. & sequen. quibus quidem simillima ea sunt, quæ traduntur Jere. 6. 20. & Amos 5. 22.

(28) „ Nos suffarcinati auro (ait ille numero secundo E„ pist. 58. nuper citatæ) Christum pauperem sequimur „ & sub prætextu eleemosynæ, pristinis opibus incu„ bantes, quo modo possumus aliena fideliter distribue„ re, qui nostra timide reservamus? Plenus venter fa„ cile de jejuniis disputat. Non Jerosolymis fuisse, sed „ Jerosolymis bene vixisse, laudandum est.

nim utiles esse: necessarias minime dicimus: immo, ut utiles vere sint, cum morum probitate conjunctas volumus.

V. Et sane easdem peregrinationes, & incolatum in sanctis locis ab eo non fuisse damnata, aut contempta, multis quidem argumentis ostenditur, sed tria tantum hic adducere conveniens puto: nempe peregrinationes antea ab illo actas, quas quidem idem Hieronymus approbat hæc locutus. (*) *Neque vero hoc dicens me metipsum inconstantiæ redarguo, damnoque quod facio: ut frustra videar ad exemplum Abraham, & meos, & patriam reliquisse: sed non audeo &c.*: Exemplum S. Hilarionis, quo ille utitur. (*) *Beatus Hilarion* (inquiens) *quum Palestinus esset, & in Palestina viveret, uno tantum die vidit Jerosolymam, ut nec contemnere loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum loco claudere videretur:* Denique (ne cuncta repetam quæ §. 4. capitis 47. dixi, & quæ, si vis, hic aptissimum habebunt locum) apertissimum sancti Doctoris testimonium inter excellentiores corporales christianas virtutes recensentis sacras peregrinationes. An vero hujusce generis virtutibus annumerasset, si inutiles eas agnovisset, & nullius pretii? Id sane planissime eruo ex verbis illis numeri tertii epistolę ad Nepotianum scriptæ. (*) „ Omnes „ pene virtutes Corporis mutantur in senibus, & cre„ scente sola sapientia decrescunt cetera, jejunia, vi„ giliæ, & eleemosinæ, chameuniæ, huc illucque dis„ cursus, peregrinorum susceptio, defensio paupe„ rum. „ Et hæc quidem ad objecta Antonii, & sanctissimorum Monachorum exempla, adeoque ad desumpta ex Hieronymi auctoritate adversus nos argumenta, dicta sint satis.

VI. Cur vero aliorum etiam sanctissimorum virorum, atque expresse Martini Turonici, Ambrosii, Augustini, Chrysostomi, Leonis & Gregorii Magni exempla adversus sacras peregrinationes adducis? Expeditissima sane ad hæc, aptissimaque responsio est, impeditos fuisse illos tum ab episcopali munere, (*) tum sæpe etiam ab negotiis illorum curæ commissis, interdum etiam a mala valetudine, & affinibus causis aliis: aut putasse longe consultius sibi esse, & civibus suis, si eos omnino non desererent, Sane Martini præsentia plurimum Turonensibus profuit, quod ipse animad-

(*) n. 3. Epis. 58.

(*) eodē nū. cit. Ep.

(*) olim secundæ, in Veronensi vero editione 52.

(*) Id tamen non omnes prohibuit Episcopos, ne longa etiam itinera visendorum sanctorum locorum causa susciperent. Id de nostro Sanctissimo Antistite Petronio ex antiquis monumentis discimus; De Licinio Turonensi Episcopo id testatur Gregorius Turonicus libro 10. histo. Fran. cap. 31. n. 9.

vertens, populum suum vix deserere posse videbatur; quum eum ad cælestes sedes beata mors evocabat. Ambrosium vero Mediolani retinebat, & populi amor, & manifesta necessitas; quippe si pedem sustulisset ex ea Urbe, Episcopale solium fortasse occupasset Auxentius aliquis, quod sæpe tentasse Arianos compertum est. Chrysostomum quoque crebra, eaque summa negotia, populi desiderium, onusque Episcopale prohibuere, ne longas saltem peregrinationes susciperet. Ceterum sacras peregrinationes laudarunt hi omnes, & suis etiam verbis adjuverunt, & promoverunt. Chrysostomus (*) sane (quod alibi dixi) testatus est ingens desiderium, quo flagrabat visendæ Romæ, ut Pauli sepulchrum, & sacrum cadaver veneraretur, & eum inspiceret carcerem, & vincula, quibus detentus idem Paulus fuerat: at impediri se ait a mala valetudine, & Ecclesiæ negotiis sibi impositis.

(*) Vide quæ ex Chrysos. allegavimus §. 5. capitis 47.

VII. Neque vero ad rem tuam Leonē Magnū, & Augustinum objicias. An nescis Leonem Magnum (quod alibi etiam dixi) cum auditores suos ad pietatis opera hortatur, ad suscipiendos etiam peregrinos extimulare? (*suscipiatur peregrinus &c.*) quos quidem peregrinos si dixeris eos fuisse, qui Romam venerandorum monumentorum (in quibus Sanctorum Reliquiæ servabantur) causa veniebant, id dices quod apertissime Paulinus Nolanus, & alii non pauci ex veteribus tradunt. An non etiam Augustinus incertus plane quis ex duobus se se mutuo accusantibus, innocens, quis reus esset; ad S. Fælicis sepulcrum valde ab Hyppone dissitum utrumque misit? Quid quod crebro monens ad S. Fælicis tumulum ea miracula fieri, quæ alibi non fiebant, & ad memorias Martyrum se se maxime prodere divinam pietatem, & benificentiam, adeo ut in iis præsertim id quod petebant, supplices populi obtinerent; ad suscipiendas sacras peregrinationes stimulos quosdam, atque igniculos addidit? De Gregorio Magno nihil dico, cum quæ fuerit de sacris peregrinationibus illius sententia ex alibi dictis satis constet. Ea itaque quæ §. 10. capitis 47. allegavimus, hic repete, quibus hæc ejusdem Gregorii verba junge: *Ex quo nimirum exemplo* (Discipulorum scilicet euntium in Emmaus, & compellentium Christum sub peregrini specie se se occultantem, ad hospitium) *colligitur, quia peregrini ad hospitium*

pitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi. (*) Et hæc quidem ad objectas difficultates satis sint dicta: quod enim ad Nissenum peculiariter attinet, difficiliora illius testimonia deinceps expendentur, ex quorum solutione quid reponere possitis illi, quod nuper objecerunt, subministrabitur. Sinite interea, ut ab adversariis exposcam cur inter eos, qui nullam peregrinationem ad loca remota susceperunt, Episcopos tantum recensuerint? Possem equidem eos refellere exemplis sanctissimorum Episcoporum, qui ad Sanctorum ædes tam etsi longo viarum spatio distãtes perrexerunt, e quibus nonnullos inter vetustos recensui, alios vero, si vis, addam qui decimosexto Ecclesiæ sæculo magna cum sanctitatis fama vixere, Borromeum scilicet, & Palęotum amplissimos S.R.E. Cardinales, & Episcopos laudatissimos. Sed aliunde eosdem adversarios refello. Num ignorant partes Episcopi esse, ut præsens suo gregi adsit, illumque quum opus est, pascat & regat? Quomodo ego nisi fortasse perraras, easque plerumque breves peregrinationes suscipere hi poterũt? Sane ille idem sanctissimus Carolus Borromeus, qui longas quandoque peregrinationes faciebat, quoad poterat cavebat, ne Episcopi, immo ii omnes, qui Ecclesiastico officio obligabantur, peregrinationum obtentu ab Ecclesia illis commissa temere discederent. Rem audite iis ipsis verbis significatam, quibus eam descripsit Carolus a Basilica. „ (*) Non satis habuit Carolus exemplo „ suo, suos Mediolanenses, aliosque excitare ad Ro- „ manam peregrinationem suscipiendam: fecit id quo- „ que litteris editis: quæ per alias, non solum urbes, „ sed provincias quæstus causa a librariis disseminatæ, „ magnos christianis hominibus salutaris peregrinationis „ stimulos adhibuere. Itaque ante finem ipsius anni, qui „ agebatur, Pontificis voluntate profecturus, scrip- „ tam prius ejus rei facultatem postulavit; non alia de „ causa, quàm ex desiderio ejus instituti tenendi; ut ad „ sacrorum canonum præscriptum Episcopus ab Eccle- „ sia sua sine legitima facultate non discedat. Qua de re „ illud etiam in tempore suasit Pontifici; ne ullum Epis- „ copum absque illius concessu scripto, temporisque „ præfinitione adjecta, Romam ire pateretur; ne Jubilei „ nomine quis sedis suæ diutius deserendæ causam quæ- „ reret. Id ipse a suis clericis servari mandavit; ut „ & cum suis litteris proficiscerentur; & illas Romæ

(*) homi. 23. in Evang. n. 1.

(*) li. 3. cap. 3. ad annum 1574.

„ Cæsari Speciano statim offerent; a quo item, cum
„ post tempus præscriptum redire vellent, afferrent
„ vitæ ibi actæ, honestæque habitationis testimonium.

C A P. LII.

Agitur de probitate peregrinationum ad Sanctorum monumenta susceptarum.

I. OCcurrunt in Protestantium scriptis querelæ quædam, & reprehensiones sane non leves, quibus eam, de qua hactenus disseruimus Catholicorum consuetudinem acerbe distringunt. Quoniam vero argumenta reliqua adversus Catholicorum ritus expendimus, & dissolvimus, hęc quoque minime præteribimus, & post assertam ejusdem consuetudinis probitatem, paucis capitibus objectiones, & solutiones complectemur & his quidem institutam *de sacris peregrinationibus* disputationem absolvemus. Enimvero sacras peregrinationes cum multa commendent, earumque prædicent probitatem, id præstat in primis essentia ipsa, & notio earum. Quid enim obsecro complectuntur, nisi iter, illudque fere laboriosum ad sacram aliquam ædem, aut monumentum vel Christi, vel alicujus Sancti incolatu, aut memoria, & reliquiis celebre, ad excitandam nempe in nobis pietatem, aut ad beneficium exposcendum, ad agendas, illo recepto, gratias, ad votum solvendum, aut certe ad colendum Christum, vel Sanctum illum, cujus reliquiæ, aut monumentum in ea sacra æde extant. At reprehendant quantum libet Protestantes, proba sunt ista: nisi fortasse vis dicere improbum esse, & illaudabile labores devotionis causa suscipere: nosque exemplis, & memoria Christi, & Sanctorum ad pietatem excitare: illosque desipere, & improba opinione duci, qui putant loca aliqua a Deo fuisse electa, in quibus beneficentior apparere ipse velit, & majora miracula edere, quæque propterea peregrinationibus frequentantur: reprehendi quoque debere illos, qui cum multa non possint, gratiarum saltem actione eos a quibus beneficium ali-

quod

quod se consecutos agnoscunt, honorant, & colunt; aut alienum a pietate sit promissa reddere, ac vota solvere, nec recte agere eos, qui Sanctos colunt. At primum, ut puto, non dices, neque alterum ex propositis; horum quippe probitas adeo perspicua est, ut a nemine, nisi fortasse stultissimo, verti in dubium possit. Tria vero postrema facile laudabis, si ad ea advertes animum, quæ his de argumentis sæpe disserui, quæque hic non repeto, ne lectori molestus sim. Tamen, si vis, ea deinceps etiam afferam, quibus horum probitas declaretur. Superest ergo, ut id quod tertio loco proposui, nunc ostendam: loca scilicet aliqua a Deo fuisse electa, in quibus beneficentior apparere ipse velit, & majora miracula edere: quæque propterea peregrinationibus frequentantur. Id vero facile evincunt templa; evincunt crebra Patrum monita, & experientia ipsa comprobat. Atque ut a templis exordiar: Deus sane in templis facilius preces nostras se exauditurum, & majora beneficia se largiturum pollicitus est; cui rei argumento (quod jam pridem nostri monuere Theologi, atque inter cæteros præclarissimus Petrus Canisius, quem acute, diserteque disputantem audire vos volo. „ (a)) Cui inquam rei argumento nobis primum Judæi esse possunt, qui quum apud tabernaculum fæderis, & Arcam Moysis, posteaque in templo Hierosolymitano precarentur, Deum sibi magis propitium, voluntateque sua efficaciora, & præsentia in his locis miracula persæpe senserunt. Tum sapientissimus ille Salomon, cum templum Deo peculiariter condidisset, mirisque modis ornasset, divinam habuit promissionem, fore nimirum, ut qui suum templum reverenter adirent, cultumque divinum illic peragerent, multa, & præclara beneficia ibidem consequerentur. Sic enim illi loquitur Deus: (b) *Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Nec dubium sane, quin permulti templum adeuntes virtutem Dei presentem fuerint experti, iique non solum Israelitæ, sed etiam Ethnici, præsertim cum adorandi causa quotannis templum Hierosolymitanum (sicut Joannes, (c) & fortasse etiam indicat Lucas (d)) peterent, quando quidem juxta divinas, promissiones, quæ primum Salo-

(a) Tom. 2. de corrupte. li. 5. cap. 24. pag. 1067, ed. Paris.

(b) 3. Reg. 9. 3.

(c) Joa. 12. 20.

(d) Act. 8. 28.

Salomoni factæ sunt, multiplicem ex hoc ipso templo fructum reportarunt. (29) Adeo verum est, quod Heliodorus ab Angelis flagellatus, postquam sacrilegæ temeritatis pænas in eodem templo dedisset, aperte suo Regi affirmavit (e) in eo loco vere Dei quandam virtutem inesse. Quanto autem reverentius de Christianis templis judicare par est, quæ in immensum veteri, & umbratico illo templo præstant, postquam semel illius Mosaici templi velo disrupto, ac plane sublato, sacra lex Evangelii nobis coruscat, & Spiritus Sanctus a Christo missus, atque in totum terrarum Orbem effusus, domos Dei tum interiores, tum exteriores cæpit sanctificare. Hic enim Spiritus, uti novæ legis Sacramentis peculiarem, & copiosam impertit gratiam, sic etiam sacris Christianorum locis, atque conventibus multo majora dona, quàm in suo templo unquam habuere Judæi, usque communicare dignatur. Hoc enim est templum, quo veri adoratores cum alibi passim, tum in sacris locis Patrem non sine spiritu, & veritate habent adorare, (f) & mundam oblationem offerre: (g) ideoque loca in quinus orant, & offerunt, spiritu sanctificationis per Ecclesiæ ministerium peculiariter mundantur, atque sanctificantur, ut vere dicantur, & sint domus Dei inhabitantis, & in credentium animis peculiariter operantis, sicut Petrus Cluniacensis ostendit. (h) Præterea si usquam alibi, hic sane valet illa Christi promissio „ (i) „ Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, „ ibi ego sum in medio eorum. „

II. Quod si sacrorum locorum, sive templorum delectus quidam a nobis non haberetur, profecto divinæ bonitati certis in locis nobis sua munera liberaliter offerenti vel contradicere, aut sane ingrati esse viderentur. Nec refert, si fortassis ignoremus qua de causa Deus non solum in Sanctis, sed etiam in templis suis mira-

(e) 2. Macha. 3. 38.

(f) Joan. 4. 23.

(g) Mala. 1. 11.

(h) Contra Petrobusianos de basilicis, templis, & altaribus.

(i) Matth. 18. 20.

(29) Consuevisse Ethnicos Hierosolymitanum templum adire, numenque loci illius venerari non modo ex Canonicis iis scriptoribus, quos allegavi, verum etiam ex prophanis fortasse constat. Indicare sane id videtur Svetonius, cum hęc de Augusto ait (*) „ Cajum Nepo- „ tem, quod Judæam prætervehens apud Hierosolymam „ non supplicasset, collaudavit.

(*) cap. 93.

mirabilis, uno loco, vel templo magis quàm altero se hominibus munificentiorem, atque clementionem ostendat. Satis est si cum Augustino hujus arcani rationem ad summi Dei inscrutabilem sapientiam referamus, locique sanctitatem, & operantem in illo virtutem, quamvis differentem, pro christiana prudentia veneremur, atque suspiciamus. Augustini verba illustria sunt, & digna, quæ nobis hoc loco repetantur. (k) *Ubique quidem Deus est*, (inquit) *& nullo continetur, vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum a veris adoratoribus in spiritu, & veritate oportet adorari, ut in occulto exaudiens, in occulto etiam justificet, & coronet. Veruntamen ad ista, quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscutari quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notissima est sanctitas loci, ubi beati Felicis Nolensis corpus conditum est quo volui, ut pergerent &c.* Nec multo post de Sanctis Martyribus Gervasio, & Prothasio loquens, dæmones propter illos mirabiliter, & terribiliter confiteri Mediolani; neque id tamen in Africa, licet Sanctorum Martyrum Corporibus referta, usquam deprehendi affeverat. Ac locum tandem ita concludit: *sicut quod Apostolus dicit: Non omnes Sancti habent dona curationum, nec omnes habent djudicationem spirituum, ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille, qui dividit propria unicuique prout vult.*

(k) in episto. ad Clerum, & populum Hipponensem olim 37. nunc 78. n. 3.

III. Similia iterat sermone 31. *de diversis*, (l) in quo producit exemplar libelli a Paulo dati, in quo quidem memoria dignissima hæc extabant. „ Ego autem qui nascendi ordine sum sextus illorum, cum hac sorore mea, quæ me ætate subsequitur, ubicunque gentium, ubicunque terrarum loca esse sacra, in quibus operaretur Deus miracula, compe- rissem, magno desideratæ sanitatis amore carpebam iter. Sed ut de ceteris celeberrimis Sanctorum locis taceam, etiam ad Anconam Italiæ Civitatem, ubi per gloriosissimum Martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perveni . . . . Nec Uzalim Civitatem Africæ prætermisi, ubi beatus Martyr Stephanus magna prædicatur frequenter operari . . . . Sorori autem meæ in visione Sanctitas tua in ea effigie,

(l) in serie 323. pag. 1277.

„ in

„ in qua te præsentes videmus , apparuit, per „ quod nobis significatum est, ad istum locum „ nos venire debuisse . . . Admoniti ergo „ evidenti auctoritate divina ad hanc venimus civita- „ tem ante dies ferme quindecim &c. „ Ad idem argumentum spectat subsequens Augustini sermo (*m*) rursus alter, qui eum proxime sequitur, (*n*) & quem sic concludit. „ Ubi ergo tale miraculum „ fecit Deus per martyrem suum, non potuit ibi istos „ curare? Et tamen huc nobis directi sunt. Conversi „ ad Dominum &c.

(*m*) 32. *de diversis*, in serie 323.

(*n*) 33. *de diversis*, in serie 323. pag. 1280.

IV. Verum ne in uno immorer tam etsi probatissimo, acutissimoque doctore Augustino, ea etiam afferre hic libet, quæ de sanctis Hierosolymæ locis testatum reliquit Paulinus ille, qui vitam S. Martini versibus descripsit. (*o*)

(*o*) li. 5. Vitę S. Martini t. 8. Biblio. Patrum. pag. 871. col. 2.

His persæpe locis, quibus hoc vicinia præstat,
Pacificum exponunt per vascula pura liquorem,
Desuper infusi mutandum nectare roris,
Quo fluit in sanctum cælestis gratia succum,
Aut quos longarum spatia intersusa viarum
Diversa amotos penitus regione retentant
Credentes Dominum non claudi fine locorum,
Et miserantis opem cunctas excedere metas,
Incunctante fide præsentia munera poscunt
Præsentis Domini, qui pro virtute favoris
Non longe ad se se venientum vota fatigat,

V. Et hanc quidem amplissimam laborum eorum, quos in peregrinationibus toleravimus, voluit Dominus esse mercedem, qua veluti illecebra homines alliceret ad molestias itineris suscipiendas, & ad frequentanda ea loca, quæ elegit ipse, ut in iis peculiariter glorificaretur. Id jam pridem animadvertit Chrysostomus, cujus verba subjiciam ad augendam dictorum fidem. (*p*) „ Quia enim ex hominibus alii segnitie, alii sæcularibus curis abducti, nolunt Martyrum thecas adi- „ re; ideo providit Deus, ut hoc irretirentur modo, „ & animæ curatione, medelaque fruerentur. Et pe- „ rinde accidit, ac si quis ægrum congruentia reme- „ dia adhibere nolentem, pharmacum dulci condimen- „ to obductum offerens deciperet. Sic igitur paula- „ tim ad sanitatem reducti eo perveniunt, ut non jam „ deliciæ solum, sed etiam Sancti desiderium, subur-

(*p*) in libro, quem inscribi mos est: *de S. Babyla contra Julianum, & Gentiles*. Tom. 2. n. 23. pag. 557.

„ bium

„ bium adeundi occasio sit multis. „ Tum idem àlibi cum de Sanctis in universum hæc pronunciasset. (q) „ Nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt, „ & sicut scopuli omnes insidias repellunt, multam „ iis, qui intus sunt, afferrentes tranquillitatem, sicut „ luminaria tenebras impietatis discusserunt; & sicut „ tauri anima, & corpore & promptitudine eadem „ suave Christi jugum traxere, „ tum demum ad eorum monumenta veneranda his verbis hortatur. „ Idcirco sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide reliquias eorum complectamur, ut inde „ benedictionem aliquam assequamur. Etenim sicut „ milites, vulnera quę in præliis sibi inflicta sunt, Regi monstrantes, fidenter loquuntur; ita & illi in „ manibus abscecta capita gestantes, & in medium afferentes quæcunque voluerint apud Regem cælorum „ impetrare possunt. Proinde magna fide, & alacritate huc veniamus, quo & visis Sanctorum monumentis & consideratis eorum certaminibus, inde varios thesauros undequaque colligamus. „ Et receptorum quidem beneficiorum tum magnitudine, & numero tum frequentibus etiam Patrum monitis permoti populi ad Sanctorum monumenta in eorum præsertim festis contendebant, (r) adeo ut cum convolante Apum examine eos comparaverit Basilius, (s) cum formicarum vero euntium, & redeuntium innumerabili multitudine, Nissenus. (t)

(q) homi. in Juvent. & Maximum n. 3. To. 2. pag. 583.

(r) Consule n. 1. capitis 46.

(s) n. 1. homi. in S. Gordium to. 2. pag. 141.

(t) num. 6. aliàs 7. Orationis in S. Theodorum, quę quidem oratio deinceps allegabitur.

VI. Quamquam non sola recipiendorum beneficiorum spes ad Sanctorum monumenta populos traxit. Ut nostræ Religionis adversus dæmones tum crebras tum manifestas victorias & divini erga Sanctos mortuos, atque adeo erga nos viventes amoris perspicua argumenta conspicerent, ad Sanctorum monumenta quandoque deducti ii sunt. Non hic refero quæ ad eam, de qua agimus, rem facile ex Gregorio Turonico, aliisque Gregorio Turonico posterioribus scriptoribus deducere possem; at me continere nequeo, ne Chrysostomi verba ex hom. 4. de laudibus Pauli desumpta hic describam. (u) „ Unde igitur „ non solum hunc crucifixum, sed etiam pro ipso occisorum favillas Dæmones contremiscunt? „ & homili 8. ad populum Antiochenum. (x) „ Sanctorum Martyrum favilla malignos expellit Dæmones. „

(u) to. 2. pag. 490. at hæc verba respondent pag. 494.

(x) to. 2. pag. 93.

Rursus idem Chrysostomus testatur Dei amorem

rem tum erga Sanctos mortuos, tum erga nos viventes enitere in Sanctorum reliquiis hæc inquiens. (y) ,, Quisquis cum fide ad illum (S. Ignatii loculum) accedit magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo Corpora, sed ipsi loculi, & monumenta spirituali gratia conferta sunt . . . Ideo reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, ut nos eorum opera ad eundem zelum perducat, & sint nobis velut portus quidam, & idoneum solatium malorum, quæ assidue nos affligunt. ,, Sed & alii Sancti Patres apertissime tradunt Deum peculiari quadam ratione Sanctorum suorum reliquiis præesse, earumque curam, & patrocinium habere. Verum cum hoc de argumento copiose alibi sim dicturus, juverit hic interea digitum intendere ad numerum 3. sermonis 275. (z) inter Augustinianos, & duos Paulini Nolani versiculos allegare. En illos (aa)

Ossa quibus Sanctus nunquam desistit adesse
Spiritus, unde piis stat gratia viva sepulcris.

VII. Ad hæc: proba sunt procul dubio grati animi, amorisque argumenta erga eos, qui cum aliunde amore dignissimi sint, beneficiis etiam in nos collatis obsequia nostra, ac dilectionem merentur, ac veluti efflagitant. At metam hanc non raro sibi præfigunt qui peregrinationes ad Sanctorum monumenta suscipiunt. Quàm crebro is, qui Sancti alicujus suffragatione ex gravi, diuturnoque morbo convaluit, ad agendas Deo, & Sancto illi, cujus precibus receptam sanitatem se debere fatetur, longum iter suscipit, ut nempe ad tumulum Sancti illius effusiores, expressioresque gratiarum actiones reddat, & recepti beneficii indicium aliquod linquat! Amoris etiam sane non levis argumenta peregrinationes sæpe esse testatus est primùm quidem Theodoretus, tum Jonas Aurelianensis, quorum dicta tanto lubentius recito, quanto eorum auctoritate fit certius id quod tradidi. Habete statim, quæ Theodoretus hoc de argumento docet. (bb) ,, Illinc (ex Galatia) videndi causa venit (Petrus) in Palestinam: ,, ut cum vidisset loca, quæ susceperunt passiones salutares, in his Deum qui servavit, adoraret; non quasi loco circumscriptum; sciebat enim ejus naturam circumscribi non posse; sed ut pasceret oculos spectaculo eorum, quæ desiderantur, nec sola animæ vis, qua contemplatur, absque visu, spiritali ,, ali-

(y) n. 5. homi. in S. Ignatium. To. 2. pag. 600.

(z) olim 9. inter editos a Parisiensibus; pag. 1111. tom. 5.

(aa) Nata. 13. S. Feli. v. 579.

(bb) In eo libro, quē vitæ Patrum appellavit Petri vitam, ac pia gesta describens.

„ alimento per fidem frueretur. Iis enim, qui diligunt aliquem, insitum a natura est, ut non solo „ ejus aspectu capiant voluptatem, sed & domum, & „ vestes, & calceos contemplentur cum magna lætitia. „ Quam quidem sententiam exprimit etiam Jonas Aurelianensis, dum hæc eloquitur. (cc) „ Localiter autem non ita ejus (Beati Petri) intercessionem requirimus, quasi qui non ejus aspectui „ pateamus, nisi in eo loco, quo exuvias ejus venerari scimus: firmiter tenentes, quod illi omnis Creatura sit angusta, qui videntem omnia videt; continenti omnia inhæret. Sed devotioni satisfacimus „ animi, qui ea, quæ sibi amare summopere persuasit, etiam continere omni modo quantum sibi datur, satagit: talemque devotionis ardorem eum remunerare credimus, qui se usque ad mortem diligentes dilexit, sepulcrum suum adeuntes, & crebro visitantes mulieres ultra sexum suum provexit, & Apostolorum (ut ita dicam) prædicatrices constituit, primisque mortalium se rexurrexisse innotuit.

(cc) lib. 2. de cul. imag. par. 1. to. 4. Biblio. Patrum pag. 586.

VIII. Quis etiam ignorat sæpe traditum fuisse a Patribus cupere Martyres, ut ibi maxime colatur Deus, ubi maxime adversus Deum visus est sævisse Dæmon concitans adversus Martyres Dei ministros, & adjutores rabiem, & feros impetus Tyrannorum? Sæpe etiam iidem Patres insinuarunt amari a Martyribus loca in quibus eorum corpora sepulta sunt; ideoque suspicari nos merito posse acceptissimum esse Martyribus, si nos eadem loca frequentibus, & (si loqui ita volumus) jugibus, ac devotis honoremus officiis. Multos quidem afferre hic possem veteres Patres hæc, aliaque affinia monentes. Sed unus pro millibus sit Eusebius Emissenus, seu potius Gallicanus, quem alii Eucherium esse putaverunt. Hunc quippe seligo, quòd immensitatis & præsentiæ divinæ acerrimus sit propugnator, ideoque illius dogmatis a quo quidem sacras peregrinationes summum in modum impeti tu arbitraris. En quæ tradat ille. (dd) „ Et quidem beati Martyres . . . . . „ plenum quocunque loci cultum de honore Dei impensa sibi religione suscipiunt . . . . Sed absque dubio multo eis gratius, multo jocundius est si „ eos ibi potissimum fervor excolat pietatis, ubi super eos furor incubuit passionis. Si illic eis suppli-

(dd) tom. 6. Biblioth. Patr. edit. Lugdunensis pag. 669.

„ cationum sacrificia deferantur, ubi in Dei sacrificium
„ procubuerunt. Si illic eis vota fundat prædicanda
„ posteritas, ubi innocentem sanguinem feralis profu-
„ dit immanitas. Si denique eos ille Christiani no-
„ minis inimicus, ubi credidit interemptos, illic videat
„ consecratos. Dulcius inquam eis probatur obse-
„ quium, si ibi eos laudum concelebret benedictio,
„ ubi super eos tribulationum desæviit magnitudo. Si
„ inde invocentur ad suffragium, unde primo resurre-
„ ctionis signo evocabuntur ad palmam. „ Porro ad hæc loca fere contendunt, qui sacras peregrinationes suscipiunt.

IX. In iisdem peregrinationibus inhærentem pietatem alia etiam declarant. Quis enim minus pium id esse dicit, quod Ecclesia approbat? Porro susceptas ad Sanctorum monumenta peregrinationes illa approbat: quippe peregrinis ad Sanctorum monumenta pergentibus frequentia & ampla xenodochia erexit: iisdem peregrinis tuendis a latronum insidiis honestissimorum virorum cætus instituit, atrocium criminum pænitentibus longas, ac laboriosas peregrinationes imposuit, aliaque præbuit sane non levia argumenta, ex quibus intelligas easdem peregrinationes utique ab illa laudari. Commendant denique sacras peregrinationes egregiæ laudes, quibus eas celebrant Patres, hortationes, quibus veluti stimulis, & igniculis quibusdam alios excitant ad eas suscipiendas; quo in genere fortasse eminent Epistola Paulæ, & Eustochii nomine a D. Hieronymo ad Marcellam scripta, epistola quoque D. Paulini Nolani Episcopi ad Severum missa. (ee)

(ee) Epist. hæc olim 13. erat, nunc decima septima est.



CAP.

CAP. LIII.

Adversariorum objectionibus occurrimus, atque eas primo recensemus, dissolvimusque, quæ propterea improbas esse ajunt sacras peregrinationes, quòd improbis opinionibus, ac sententiis innitantur.

I. Tam vere, quàm pulcre elocutus est, quum hæc tradidit Hilarius. (*a*) „ Duplex autem „ nobis in refellendis eorum (Arianorum quibus cum „ disputabat) vaniloquiis cura est, ut primùm, quæ „ sunt sancta, & perfecta, & sana doceamus: . . . „ tum deinde, ut quæ ab illis inanium, ac falla„ cium sententiarum argutiis ad speciem veri blandien„ tis aptantur, ea ipsa conscientiæ omnium ridicula „ esse, & inepta pandamus. Non enim sufficit no„ bis docuisse, quæ pia sunt nisi piissima ea esse per „ id intelligantur, dum quæ impia sunt, refelluntur. „ Stabilita itaque sacrarum peregrinationum probitate, ad ea animum intendamus, quibus improbas easdem peregrinationes esse nituntur ostendere adversarii. Ea porro ad duo capita revocantur: ad ea scilicet, quibus directe, atque ad ea, quibus oblique adversus nos pugnant. Atque hic quidem primo loco statuimus objectiones ex eo desumptas, quod (adversariorum quidem judicio) improbis opinionibus, ac sententiis peregrinationes innituntur. Sic autem differunt. Improbum id est, quod improba falsaque persuasione innititur: improba porro, & falsa persuasione innituntur peregrinationes a nobis descriptæ. Nituntur quippe ea opinione, quæ prorsus adversatur immensitati, & pietati Dei. Cur enim peregre ad loca remotissima pergimus, in quibus fundamus preces, nisi ut iis easdem preces audiat Deus, & ratas habeat? perinde quasi non docuisset Apostolus (*b*) *viros orare in omni loco:* aut Christus nobis non præcepisset ne iis crederemus, qui dicerent (*c*) *Ecce hic est Christus, aut illic*: adeoque non esset Deus in eo quoque loco, unde

(*a*) li. 8. de Trinit. n. 2.

(*b*) prima ad Tim. 2. 8.

(*c*) Matthæi 24. 23.

unde discedis, Hierosolymam aut Compostellam, aut Romam profecturus: neque in ea æde, quam in tua habes Urbe, tui misereri ille posset. Id est sane Deo demere, aut certe imminuere præsentiam, & attributa, & eum procul perquirere, quem æque præsentem habemus in eo quo degimus cubiculo, præsentissimum habituri si probi simus: tum enim præstantissima Dei templa efficimur, in quibus lubentissime ille habitat. Audite Hieronymum (*d*) eos qui ita sentiunt, pulcre redarguentem. „ Ceterum qui dicunt templum Domini, „ templum Domini, audiant ab Apostolo: Vos estis „ templum Domini, & Spiritus sanctus habitat in „ vobis. Et de Jerosolymis, & de Britania æqualiter patet aula cælestis: Regnum enim Dei intra „ vos est.

(*d*) in Epistola olim 13. in nova Veronensi editione 58. n. 3.

II. Idem vero Hieronymus peregrinationes ad remotissima loca susceptas rejicit eodem plane argumento, quod nuper adduximus, ideoque eo, quo potissimum Protestantes utuntur. „ Non audeo (inquit Hieronymus (*e*) Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coarctare parvo terræ loco, quem non „ capit cælum. Singuli quique credentium non locorum diversitatibus, sed fidei merito ponderantur. „ Et veri adoratores, neque Jerosolymis, neque in „ monte Garizim adorant Patrem: quia Deus spiritus „ est, & adoratores ejus in spiritu, & veritate adorare oportet. Spiritus autem spirat ubi vult. Domini est terra, & plenitudo ejus. Postquam siccato Judeæ vellere, universus Orbis cælesti rore perfusus est, & multi de Oriente, & Occidente venientes recubuerunt in sinu Abrahæ; desiit notus esse „ tantum in Judea Deus, & in Israel magnum nomen „ ejus: sed in omnem terram exivit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

(*e*) in eadem episto. in ipso fere initio n. 3.

III. His ipsis rationum momentis adductus est Nissenus, ut peregrinationes, *ad loca Sancta* condemnaret. Id manifesto intelliget quicumque leget celebratissimam illam Epistolam, quam doctus, ac pius Pater *de peregrinationibus Jerosolymitanis* ad amicum scripsit. (*f*) „ Quid vero (inquit ille) etiam plus est habiturus, qui locos illos adit? quasi vero etiam num „ corporaliter Dominus in illis locis degat, & a nobis abjerit: aut veluti Sanctus spiritus apud Jeroso-

(*f*) to. 3. pag. 653.

„ ly-

„ lymitanos abundet, ad nos autem transire non pos-
„ sit. „ Addit; & hæc præclara sane ad refellendam Pontificiorum persuasionem. „ Atque si ex iis
„ quæ conspiciuntur, Dei præsentiam conjicere licet,
„ potius in natione Cappadocum Deum moram trahere quis statuerit, quàm in externis locis. Nam
„ quot sunt in iis Altaria, per quæ Domini nomen
„ celebratur? Nec sane quis totius fortasse orbis
„ totidem enumeraret Altaria.

IV. Neque aliter sensit Magnus ille Antonius, quem veluti præclarissimum sanctitatis, & scientiæ lumen totus Orbis miratus est. „ Græci „ (inquiebat ille, uti ex illius vita intelligimus) (g) „ studia transmarina sectentur, & in alieno Orbe constitutos manium literarum quærant magistros: Nobis vero
„ nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta
„ sunt Regna cælorum. Unde Dominus in Evangelio ait: Regnum Dei intra vos est. Virtus, quæ
„ in nobis est, mentem tantum requirit humanam. „ Porro quod de Deo diximus, proportione dicere de Sanctis potes: tollunt enim prorsus, aut certe imminuunt plurimum peregrinationes ad Sanctorum monumenta susceptæ verisimilitudinem illius persuasionis, quæ tamen apud Pontificios in summo honore est, qua putamus in quo libet loco audiri a Sanctis preces nostras, atque earumdem precum eos misereri, fierique adjutores, ac suffragatores nostros apud Deum.

(g) apud Surium to. 1. pag. 403.

V. Innituntur quoque eædem peregrinationes simili alia, sed æque improba persuasione, quæ scilicet tradit sanctitatem quamdam in iis inesse locis, quæ visimus, quę sanctitas invisentibus eadem loca, ac colentibus communicetur: quasi vero non animorum tantum, sed & ædium sanctitas quædam foret, & ea tam grandis, ut participari ab hominibus eas ædes frequentantibus posset: adeo ut non ea tantum loca sancta forent, appellarenturque, verum etiam sancti forent quicumque ea adirent, quicunque in iis degerent. In hanc sane ineptissimam opinionem peregrinationum causam, & fomitem insurgit Nissenus in crebro laudata epistola hæc elocutus. „ Si in locis Jerosolymitanis plus divinæ
„ gratiæ inesset, illic viventium peccatum non tam
„ frequens, & consuetum esset. Jam vero nullum est
„ Im-

„ immunditiæ genus, quod apud eos non perpetretur: „ ac militiæ, adulteria, furta, Idololatriæ, veneficia, „ invidiæ, & cædes, ac tantum in primis malum illic „ tam frequens & assiduum est, ut nusquam tanta sit „ ad trucidandum promptitudo, quanta illis in locis, „ ubi belluino more in sanguinem contribulium mu- „ tuo incurrunt frigidi lucri causa. Ubi ergo hæc „ fiunt, quo argumento intelligas, illis in locis amplio- „ rem gratiam esse? „ Hinc jure, meritoque concludit Hieronymus. (*) „ Non Jerosolymis „ fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse laudandum „ est. Illa expetenda, illa laudanda est civi- „ tas, non quæ occidit Prophetas, & Christi sangui- „ nem fudit, sed quam fluminis impetus lætificat: quæ „ in monte sita celari non potest: quam matrem san- „ ctorum Apostolorum clamitat: in qua se municipa- „ tum cum justis lætatur habere.

(*) n. secundo epistolæ olim 13. in veronensi editione 58. ad Paulinum, cujus sæpe meminimus.

CAP. LIV.

Objectionibus nuper propositis occurrimus.

I. Vos vero ad hæc respondete: peregrinationes eas, quæ improbis persuasionibus inniterentur, procul dubio improbas futuras fore. Erunt itaque improbæ eæ peregrinationes, quæ ad eum finem instituentur, ut Deus audiat quod alibi non auditurum arbitraremur, adeoque essent etiam improbæ eæ, quæ propterea susciperentur, ut certi efficeremur de veritate eorum, quæ narrat Evangelica historia. (30) Tametsi

(30) „ Nos enim Christum, qui apparuit, esse Deum verum „ confessi sumus, etiam antequam eo ivissemus, item- „ que postea, fide neque imminuta, neque aucta. Quod- „ que homo ex Virgine natus sit, antequam Betlehem „ intueremur, scivimus: & resurrectionem a mortuis, „ antequam etiam monumentum ejus inspiceremus cre- „ di-

& si enim Ethnico, aut Judęo nostræ religionis veritatem assequi cupienti non verterim crimini, si Jerosolymam, & reliqua loca, quorum meminit Evangelium suis ipse oculis perlustraret, fieretque hoc modo Evangelicæ luci percipiendæ aptior; in homine Christiano tamen id condemnarim: neque enim certus is fieri debet de veritate nostræ Religionis, cum de ejusdem Religionis veritate omnino dubitare non possit; neque, si vellet fieri certus, ea monumenta omnem scrupulum amoverent. Quo modo enim indubitate assequar Deum esse, aut a mortuis surrexisse Christum, quòd illius cunas, aut sepulcrum intuear?

II. At tam perversis opinionibus non innitimur, cum Jerosolymam, aut Sanctorum monumenta adimus, sed propterea illa adimus, ut vel obsequium nostrum, & gratum animum erga Deum, & Sanctos testatum faciamus, vel ea quæ optamus, facilius, certiusque impetremus, vel alias ob causas laudabiles sane, & probas; de quibus cum capite 52. dixerim, hic necesse non est multa tradere, & ad memoratum caput incredulum lectorem allego.

III. Cur vero Scripturarum loca obiicis, perinde quasi ea sacris peregrinationibus adversentur; cum procul dubio non adversentur? Novumne tibi est, tam etsi *orare debeant viri in omni loco*, aliqua tamen loca a Deo electa fuisse, ut ibi peculiariter oremus; veluti templa, quæ in novo etiam testamento ad hoc *tantum facta sunt, ut respiciat orationem servorum suorum & obsecrationem eorum Dominus Deus noster, & audiat preces, quas fundunt famuli sui coram eo?* (a) Hinc mirum non est, si dixerim aliquas sacras ædes fuisse electas, in quibus orantibus beneficentior apparere, vult ille, *qui dividit dona sua unicuique pro ut vult* (*)

(a) 2. Para 6. 19.

(*) 1. Chor. 12. 11.

Hæc sane si nova, atque inaudita tibi sunt, nova etiam, atque inaudita tibi erunt non modo ea, quæ de loco, quem peculiariter in antiqua lege selegerat Dominus, ut in eo gloriam suam manifestaret, ve-

„ didimus, atque Ascensionem in Cælum nondum inspe- „ cto olivarum monte confessi sumus. „ Nissenus in ea, quam sæpe allegavimus, epistola. Hic repete, si vis, verba ex Theodoreto, & Jona Aurelianensi num. 7. capitis 52. allegata.

verum etiam ea, quæ nuper de locis quibusdam in quibus beneficentior apparere vult Deus, valde probabilibus monumentis evicimus. (b) Quæ quidem persuasio ab objecto Pauli loco minime impetitur. Tametsi enim quis verior eorum verborum sit sensus, nondum perspectum habeamus, duæ tamen valde probabiles afferuntur illius interpretationes. Harum prima monet edoceri nos domi, & in privatis cubiculis orari posse Deum: quod quidem adeo verum est, ut nos ipsi tametsi sacris peregrinationibus minime infensi fundamus domi, & in privatis cubiculis ad Deum preces. Vult explicatio altera verbis illis *in omni loco* indicari ab Apostolo quamlibet Ecclesiam; quam quidem Hierosolymitano templo opponit: docet nempe nunc ad orandum (oratione scilicet publicâ, & sacrificiis a Sacerdote deprecante Deo oblatis) necesse non esse fidelibus Hierosolymam contendere, sed aptissimam ad id esse quamlibet ædem sacram in quavis urbe erectam, in qua cætus ecclesiastici sint constituti. Utraque vero explicatio egregios habet fautores, quos quidem allegat Cornelius a Lapide, (c) ad quem vos amando. Sed quis propterea sacras peregrinationes rereprehendet? An non etiam docuerat idem Apostolus, (d) immo ante Apostolum Paulum (e) Christus ipse omni tempore orandum esse? Nemo tamen negare audet quædam ad orandum tempora temporibus aliis aptiora esse.

(b) num. 1. 2. 3. 4. & 5. capitis 52.

(c) in locum hunc.

(d) 1. Theff. 5. 17.

(e) Luc. 18. 1.

IV. De loco vero illo Matth. 24. 23. non est cur glorientur. Quippe eo tantum modo edocemur cavendos esse illos, qui vero Christo temere substituunt Christum aliquem ab iis confictum, quem etiam designantes, hic illicque esse ajunt, ut illi adsciscant adoratores. Videte obsecro, quali argumentorum genere sacræ peregrinationes impetantur!

V. Sed quid significant (inquis) (f) illa Hieronymi verba? *Cæterum qui dicunt templum Domini &c.* Significant minime necessarias esse Christiano peregrinatiões, neque opus esse ad divinã gratiã assequendã, ut ad Hierosolymitanũ templum contendas: significant quoque facile inveniri posse intra urbes, & ædes nostras Deum, qui nos suum templum efficiet, si recte vivimus: idque assequi posse hominem a templo Hierosolymitano remotissimum, veluti in Britanniæ finibus positum. En quid significant primùm objecta Hieronymi verba, At quis dum probas, utilesque esse ait

(f) n. 3. objectæ ep. ad Paulinum.

sa-

facras peregrinationes his dictis obsistit? Dic amabo: nonne tu ipse fateris nulla necessitate Christianos adigi ad matrimonium: neque ad divinam gratiam assequendam opus esse cuipiam ecclesiasticis ministris annumerari: haud difficile esse æternam salutem consequi illi, qui tum a matrimonio, tum ab ecclesiastico munere alienus recte vivit? Nonne etiam fateris sæpe traditum fuisse a Hieronymo adigi neminem ad solitudinem? An propterea dices matrimonium, aut facrum ordinem improbum esse, aut esse reprehendendos Antonium, & Hilarionem, quòd ab hominum consuetudine remotissimi diu vixerint? Minime vero. Non itaque peregrinationes esse improbas dices, quia Hieronymo judice, & fatentibus nobis necessariæ eæ non sunt, & pii esse possumus, tametsi easdem peregrinationes minime suscipiamus.

VI. Neque vero te deterreant posteriora Hieronymi verba desumpta ea quoque ex nüero tertio ejusdem epistolæ: *Non audeo &c:* nam ea si diligenter expendes, hæc tria edoceberis: Deum ut pote immensum nullis locorum limitibus coarctari. Minime necesse esse Christianis (erat vero id Hebræis necessarium) ad hierosolymitanum templum pergere, & in peculiari aliqua urbe, aut æde sacrificia offerre, & religionis nostræ ceremonias, ritusque peragere. Denique christianam religionem per totum terrarum Orbem diffusam esse, & Christi cultum undique propagatum. Quis porro e Pontificiis tam etsi peregrinationibus enixe favens Deum, illiusque majestatem infra templi alicujus, aut ædis ambitum concludit? Quis te jubet, ut si ritus nostros observare vis, & ceremonias, ac sacrificia perficere, determinatum aliquod templum adeas? An dum peregrinationes commendamus, & probas, atque utiles dicimus, falsa esse pronunciamus verba illa Malachiæ? (g) *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* An denique in sola Hierosolymorum urbe Deum colimus, aut intra solius Judeæ fines cultum Christo adhibemus?

VII. Non absimilis adhiberi solutio potest verbis illis Nisseni, quæ deprompsere ex ea epistola, de qua Bellarminus, (h) & Gretserus (i) visi sunt dubitasse num Nisseni

(g) Mala. 1. 11.
(h) *de cultu Sanctorum*. lib. 3. cap. 8.
(i) in adnotationibus in hanc ipsam epistolam. pag. 71., & sequ. annot. to. 3. Ope. Gregor. Nisseni, & cap. 10. libri 1. de sacris peregri. & rursus capite 1. notarum in notas Molinei.

(*) tom. 9. de S. Gregor. Nisse: ar. 8. pag. 581. & subseq.
(*) ibidem.

ni ea foret: cui tamen tribuendā ajunt Tilleont,(*) Dupin, aliique summi nominis viri, quos idem Tilleont allegat, (*) cujus quidem solutionis summa hæc est: nihil sane formalis, & intrinsecæ sanctitatis quam se visitantibus tribuant, per se habere loca illa (quæ tamen sanctitatem latiori quadam significatione habere, & tribuere posse deinceps ostendam.) His quoque locis non esse alligatum Spiritum sanctū, & dona Dei: eosque errare, qui tantū modo ex incolatu, quem olim egit Dominus in aliquibus locis, metiuntur ubertatem beneficiorum, adeo ut majora largiatur, ubi diutius moratus est, minora ubi minus. Sequeretur nempe, (si inde deduceretur ratio, & mensura beneficiorum Dei) ut in iis, quæ minime incoluit, locis, nulla prorsus beneficia tribueret: quod procul dubio falsum est, & ex plurimo altarium in Cappadocia erectorum numero rectissime ostendit Nissenus beneficiis plurimis auctam fuisse Cappadociam, tam etsi provinciam eam omnino non incoluerit Dominus. At animadvertas volo, nos ipsos qui sacras peregrinationes maxime commendamus, nos ipsos, qui monemus consuevisse Deum beneficia majora elargiri, & miracula crebriora edere in iis locis, quæ aut ipse incoluit, aut Sancti incolatu vel reliquiis suis decorarunt, expressissime etiam tradere, manum Domini non esse alligatam, & posse quum vult, extra illa loca majora etiam beneficia tribuere, majora miracula edere: & hæc ipsa majora beneficia ab iis plerumque impetrari qui ad illa recipienda piis operibus se disponunt. Hinc verissima tradit Nissenus, quum docet nudum (si loqui ita finis) Dei, aut Sanctorum incolatum formalem non esse rationem (liceat aliquando Scholasticorum more presse loqui, ac concise) ob quam Deus beneficus sit: & nos quoque illud Hieronymi monitum usurpamus. *Non Jerosolymis fuisse, sed Jerosolymis bene vixisse laudandum est.*

VIII. At quoniam ad Nissenum appellasti, sine quæso, ut illius auctoritatem excipiens, probas esse peregrinationes ex ipsis Nisseni monitis evincam. Sane, si quid tu ex Nisseni dictis adversus peregrinationes assequeris, hoc tantum assequeris, quod minus probet ille peregrinationes eorum, qui Hierosolymam contendunt: qua in re, si nulla etiam hyperbole in Nisseni dictis inest, minime reprehendendus est ille; etenim ii

quos

quos reprehendit, visi sunt illud iter suscepisse vel persuasione haud proba permoti, qua scilicet putarent haud beneficum extra Hierosolymam esse Deum: vel non ea ratione, & consilio, qua peregrinationes Ecclesia approbat: qua de re deinceps differam. At minime probas (quod tibi probandum erat tamen) peregrinationes omnes, ideoque eas, quibus ad Sanctorum monumenta itinere minime periculoso & laudatissima persuasione permoti contendimus, esse reprehendendas. Ego vero apertissimis Nisseni verbis moveor, ut has laudabiles, & a Nisseno ipso commendatas pronunciem. Mentior si statim, quod dixi, non evincam. Age itaque. An non eum peregrinationibus ad Sanctorum monumenta susceptis favere dices, qui populorum ad Martyris tumulum iis ipsis de causis coeuntium approbat, quibus Catholici peregrinationes ad Sanctorum monumenta ineunt? At is est Nissenus, qui eam in S. Theodorum orationem, quam illi demere perperam nonnulli optarunt, (i) sic exorditur. ,, Vos qui populus Christi, ,, qui grex sanctus, ac regale estis Sacerdotium, qui ,, undique, & ex urbibus, & ex agris catervatim confluxistis, unde signo itineris accepto ad hunc sacrum locum venistis? Quis vobis huc veniendi ,, adeo feriam, ac quasi præstitutam necessitatem imposuit? . . . . An palam est, quod sanctus ,, Martyr ex militaribus Ordinibus tuba cecinit, & multos ex diversis regionibus excitatos ad suæ requietis locum, ac sedem vocavit? ,, Et deinceps (k) ,, Ipse ,, quidem (idem S. Theodorus) præclaro, ac beato itinere abiit ad Deum; nobis vero memoriam certaminis pro doctrina reliquit, populos congregans, ,, Ecclesiam erudiens, dæmonas arcens & fugans, angelos pacificos reducens, rogans a Deo pro nobis utilia, variorum morborum medicinæ officinam hunc locum efficiens, portum eorum, qui afflictionum tempestatibus jactantur, pauperum abundans, & copiosum ,, ærarium, viatorum quietum diversorium, locum celebrem conventus, ac dies festos continenter agentium. ,, Etsi enim anniversariis feriis hunc diem celebramus: ,, at nunquam cessat studiose advenientium multitudo, ,, ac formicarum similitudinem servat ea, quæ huc pertinet, via publica, cum alii quidem ascendant, alii ,, vero venientibus cedant. ,, Tum eorum pietatem, ac

(i) Vide quæ diximus differta. 3. cap. 15. §. 4.

(k) n. 6.

illuc conveniendi rationem, ac causam approbans, statim invocat, deprecaturque sanctissimum Martyrem hæc subiiciens. „ Ac nos quidem, o beate, benignitate Crea-
„ toris anniversariam circuli vicissitudinem assequuti,
„ coegimus tibi publicum conventum, sacrum, inquam,
„ Martyribus addictum, & communem Dominum ado-
„ rantes, & suorum certaminum victoriæ commemora-
„ tionem peragentes. Tu vero huc jam ades ad nos,
„ ubicunque tandem fueris, ut diei festo præsis &c. „
Hæc, aliaque etiam fortasse expressiora tradit idem ille Nissenus, quem tu veluti sacris peregrinationibus infensum nobis obiicis; quibus quidem positis num Catholicis, an tibi potius is adversetur, judicet, volo, æquus lector.

IX. Produnt porro Protestantes, quàm malam caussam tueantur, dum ea quæ retulimus Antonii Abbatis verba adversus peregrinationes intorquent. Dubitavi sane aliquando, serione, an joco hæc ab illis obiicerentur, adeo remota sunt ab eo, quo de agimus, argumento. Sed serio agam ego, & manifesto ostendam, aliò prorsus spectasse, dum hæc inquiebat Antonius. Quonam? inquis. Nempe ut doceret opus minime esse Monachis a se collectis assequendæ veritatis, ac virtutis causa ad celeberrimas Academias, atque ad remotissimos Magistros contendere: quod facere compellebantur ii, qui a philosophicarum sectarum principibus sapientiam discere optabant. Insita nobis virtutum semina esse; interiorem animarum nostrarum nos habere Magistrum: Deum scilicet, cujus dono ea quæ dixi, virtutum semina nobis inhærent, & cujus interius docentis voci & præceptis si assentimur, anima nostra sapientia, & virtutibus ornabitur. An ne his monitis sacræ peregrinationes improbæ declarantur? At ipsamet Antonii verba audias, volo, ne scilicet suspiceris alienā illi me apposuisse sententiam. (*) „ Nolite, quæso, virtutis, tanquam im-
„ possibile nomen pavere: nec peregrinum vobis, aut pro-
„ cul positum videatur hoc studium, quod ex nostro, Dei
„ gratia prçcedente, pendet arbitrio. Hujus operis ho-
„ mini inserta natura est, & ejus modi res est, quæ no-
„ stram tantum modo expectat voluntatem. Græci stu-
„ dia transmarina sectētur, & in alieno Orbe constitutos,
„ inanium literarum quærant Magistros: nobis vero
„ nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessi-
„ tas

(*) To. 1. Surii pag. 403.

„ tas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt
„ regna cælorum. Unde Dominus in Evangelio ait:
„ *Regnum Dei intra vos est*. (*l*) Virtus, quæ in no-
„ bis est, mentem tantum requirit humanam. Cui enim
„ dubium est, quia naturalis animæ puritas, si nulla fue-
„ rit extrinsecus sorde polluta, fons sit, & origo omniū
„ virtutum? Bonam necesse est esse eam, quam crea-
„ vit bonus Creator . . . . . Nemo causari potest
„ extrinsecus situm, quod in se nascitur: facturam suam,
„ qui fecit, agnoscat: opus suum inveniat, ut creavit.
„ Sufficit nobis naturalis ornatus: ne deturpes, homo,
„ quod tibi largitio divina concessit. Opera Dei im-
„ mutare velle, polluere est.

(*l*) Luc. 17. 21.

X. Nimis porro formidolosum te fingis, dum simulas te vereri, ne ab ea persuasione, quæ peregrinationibus favet, impetatur altera, quæ nos docet a Sanctis preces nostras audiri, & mundana negotia conspici. Formidinem hanc, qualiscunque ea est, depone obsecro: illam quippe a fidelium cordibus amovit Jonas Aurelianensis verbis iis, quæ cum nuper citaverim, (*) hic rursus allegare non est necesse. Tu tamen, si vis, hic repete, dum nos ad alia properamus.

(*) cap. 52. §. 7.

XI. Irrides Catholicos *sancta* appellantes *loca* illa, ad quæ peregrinando contendunt. At minime irridebis, si eorum verborum significationem ac sensum assequeris: quem propterea diligentius exponere convenientissimum reor. Non itaque ea significatione a nobis appellatur sanctus ille, quem visimus, locus, qua sanctum hominem appellamus, neque ea, quam nobis imponunt, dum monent talem sanctitatem a Pontificiis tribui locis quibusdam, ut ea sanctum efficiant quemcumque, & quomodocumque is accesserit. Non ita sentiunt Pontificii, qui (irrideant quantum libet Protestantes) tamen antecessore Hieronymo. (*m*) *Benedictam eam dicent terram, in qua sanguinem fuderunt Petrus, & Paulus*. Etiam præeunte Augustino (*) sanctum locum appelabunt eum, *in quo terribiliora opera Dei non sanam cujuscumque conscientiam multo facilius aperiunt, & ad confessionem vel pæna, vel timore compellunt*. Quin sanctitatem loci cum eodem Augustino reverebuntur, ubi Beati Fælicis Nolensis Corpus conditum est: ideoque locorum etiam aliorum, ubi Martyrum, aut aliorum Sanctorum corpora condita sunt. Propterea vero san-

(*m*) n. 8. Epist. quæ Paulæ, & Eustochii nomine ad Marcellam scripta est olim 17. in veron. edit. 46.
(*) n. 3. Epist. 78. olim 137.

cta appellant ea loca, non modo quia sanctitatem inspirant, & , ut cum Joanne Chrysostomo loquar, *veluti libri sunt, ex quibus sanctitatem addiscas*, verum etiam quia ea formidant humani generis hostes Dæmones, & Dei mirabilia in illis se magis produnt. At aliunde etiam sancta appellare possumus ea loca, quia scilicet vel a Sanctis dum vitam mortalem agebant, frequentabantur, & veluti incolatu sanctificabantur, (item ut brevi Domini Moysi, immo Angeli Josue apparentis mora loca quædam dicta sunt sancta, (31) vel quia Sanctorum reliquias continent: quia etiam pii homines, & ad Sanctorum exempla sectanda inclinati lubenter ea visitāt, deguntque in iis. Ad hæc: eadem loca memoriam Sanctorum in nobis excitando, ad eorum imitationem nos veluti impellunt. Etiam preces & sacrificia in iis locis Deo offeri mos est: quam ob causam tabernaculum, immo totum Hierosolymitanum templum sæpissime sanctum, immo sanctissimum dictum est. Denique quia sanctitatem ab iis efflagitare videtur, qui illa adeunt: neque enim pravorū hominum obsequia omnino accepta sunt Sanctis, quibus gratissimum tum præbebis cultum, honoremque, quum per virtutum, quibus illi ornati fuerunt, imitationem, simillimus illorum fies. At te ista non cogunt, ut ea loca visitans, incolensque continuo sanctus fias. Adhuc obsistere hactenus descriptæ loci sanctitati tu poteris, & in eadem illa æde, quam visitas, improbus esse. Sanctitatem scilicet ædes ista minime per se confert: quam quidem sanctitatem ut recipias, pietatem, & vitam convenientem instituto, ac sancto illi quem visis, aut incolis, loco adjungere debes. Id si negligas, in loco sanctissimo criminosus fortasse eris, & scelestus; augente ipsa quoque loci sanctitate crimen, ac scelus tuum. An negabis sanctum fuisse Hierosolymitanum templum, & tabernaculum, cujus nempe sanctitatem eximiam sæpissime inculcat Deus? filii tamen Heli (ne multos afferam) *filii Belial dicuntur*; (n) tametsi Sacerdotes ii forent arcæ, & tabernaculo proximi. Quod si pro-

(n) 1. Reg. 2. 12.

(31) „ Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de „ pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est. „ „ (a) Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: „ locus enim in quo stas, sanctus est. (b)

(a) Exod. 3. 5.
(b) Josue 5. 16.

propterea hactenus descriptam locorum sanctitatem contemnis, Sacramentorum quoque sanctitatem, ut puto, contemnes: neque enim cogunt ista, ut ex iis sanctitatem, cujus uberrimi fontes sunt, homines vel inviti percipiant. Sed hæc dicta sint hactenus. Neque vero, his positis, necesse est peculiarem responsionem postremis Nisseni, & Hieronymi monitis adhibere. Ad reliqua properemus.

CAP. LV.

Ea afferimus, ac dissolvimus argumenta, quæ desumunt tum ex vitiis, quibus undique obsessas, ac circumseptas esse ajunt sacras peregrinationes, tum ex periculis, quibus illæ subduntur.

I. Sic porro argumentari pergunt. Dubitabit hoc loco quispiam num improbæ sint, an non peregrinationes, quando etiam omissis iis, quæ superioribus capitibus sunt disputata, hæc sane non levia adhuc supersunt, quibus exploratissimum fit culpam sane non levem in iisdem peregrinationibus inhærere? Improbum sane id ostenditur, quod plurimorum origo, & fons criminum est. Porro plurimorum origo & fons criminum peregrinationes sunt: otium quippe alunt, ac voluptariam, ac delicatam vitam, atque a laboribus alienissimam. Hinc mirum non est, si improbos videamus esse omnes, qui peregrinando annos ducunt. His adde pericula, quibus peregrinationes abundant, tum in itinere ipso, tum ubi metam earumdem peregrinationum fuerimus assecuti. His ipsis sane rationum momentis Nissenus amicum suum a peregrinatione abducit. (*) „ Sancta (inquiens) & gravis vitæ institutio eadem omnibus & viris, & fæminis proposita est. „ Pe-

(*) pag. 652.

„ Peculiaris est vitæ philosophicæ honestas, & casti-
„ tas: quæ in vita sua, eaque non mixta, ac seor-
„ sim acta consummatur. Quasi impermixta, & mi-
„ nime confusa natura neque fæminis castitatem
„ amantibus virorum consortium, neque viris, qui ho-
„ nestatem diligunt, fæminarum familiaritatem permit-
„ tit. At vero itineris conficiendi necessitas id a te
„ observari non sinit. Nam fæmina longum iter sine
„ custode decurrere non potest: tum quia propter na-
„ turæ imbecillitatem jumento vehenda est, tum quia
„ in difficultatibus tuenda, ac servanda. At sive no-
„ tum habeat, qui illi præstet obsequium, sive mer-
„ cenarium, qui famuletur, reprehensione non care-
„ bit: sive enim itineris ducem externum, sive fa-
„ miliarem, ac notum hominem habeat, continentiæ
„ leges non servabit. Cum autem in locis illis orien-
„ talibus diversoria, atque hospitia, & urbes ipsæ in
„ morum, peccandique licentiam inclinatæ sint plurimum,
„ qui fieri poterit, ut per fumum ambulans, oculis non
„ lædaris? Si quum inquinatur & auris, & oculus,
„ inquinatur & cor per oculos, & aures turpia exci-
„ piens, impollutusne eris, quum per polluta loca per-
„ transieris? „

II. At alia (quod nuper dixi) nequiora etiam pericula præbebit ea ipsa Urbs, quam suscipiendæ sanctitatis causa adiisti. Id sane luculenter tradit idem Nissenus, cujus nuper verba protulimus. Sed neque illud omittit Hieronymus. (a) „ Si Crucis, (inquiens)
„ & resurrectionis loca non essent in Urbe celeberri-
„ ma, in qua curia, in qua aula militum, in qua scorta,
„ mimi, scurræ, & omnia sunt, quæ solent in ceteris urbi-
„ bus: vel si Monachorum turbis solummodo frequentare-
„ tur, expetendum re vera hujuscemodi cunctis Mo-
„ nachis esset habitaculum. Nunc vero summæ stulti-
„ tiæ est renunciare sæculo, dimittere patriam, urbes
„ deserere, Monachum profiteri, & inter majores popu-
„ los peræque vivere, quàm eras victurus in patria.
„ De toto huc Orbe concurritur. Plena est Civitas
„ universi generis hominum, & tanta utriusque se-
„ xus constipatio, ut quod alibi ex parte fugiebas,
„ hic totum sustinere cogaris. „ Hactenus illud argumentorum genus, quo directe sacræ peregrinationes oppugnantur. Sic statim per ordinem hæc dissolvo.

(a) n. 4. illius ejusdem Epist. ad Paulinum, ex qua etiam nuper monita quædam exscripsimus.

III.

III. Ais audacter a peregrinationibus otium foveri, & delicatam ac mollem vitam. At si easdem peregrinationes diligenter expenderis, apertissime conspicies labores summos in eo vitæ genere esse tolerandos. Quod si aliqui, ut graviores labores effugiant, sancta loca peragrare instituunt, id non sacrarum peregrinationum malum erit, sed eorum, qui iisdem peregrinationibus abutuntur. Dic quæso: nullum ne putas in sacras ceremonias, & consuetudines ecclesiasticas irrepere posse vitium, quod tu reprehendas? Utinam sane a sacris exulare cogerentur omnino pravus dolus, & mens improba. Tamen in ea illabi potuisse aliquando mihi declarare videntur crebra Sanctorum Patrum monita, & reprehensiones; e quibus seligere ea libet, quæ ad Nepotianum scribens Hieronymus summum in modum clerico vitanda monet ea ætate fortasse non infrequentia. „ Obsecro itaque te (inquit Hie„ ronymus, (b)) & repetens iterum, iterumque „ monebo, ne officium clericatus, genus antiquæ mi„ litiæ putes, id est ne lucra sæculi in Christi quæ„ ras militia: ne plus habeas, quàm quando clericus „ esse cæpisti, & dicatur tibi: cleri eorum non prode„ runt eis. „ Et alibi. (*) „ Nonnulli enim sunt di„ tiores Monachi, quàm fuerant sæculares, qui pos„ sideant opes sub Christo paupere, quas sub locu„ plete, & fallace diabolo non habuerant; ut suspi„ ret eos Ecclesia divites, quos Mundus tenuit ante „ mendicos. „ Et numero 5. nuper allegatæ epist. 52. „ Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, ex „ ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. „ Hæc Hieronymus, qui non propterea Clericatum reprehendit, aut ecclesiastica munia. Et ne veteribus tantummodo, aut Magistris nostris utar, audi quid Genevensis Pastor (*) haud indoctus generatim tradat. (*) *Certè propter abusus rei legitimus ejus usus auferendus non est. Propter errores in quos inciderunt, qui Ratione male usi sunt, non statim Rationem ipsam culpare, rectumque ejus usum prohibere decet. Nam Ratio est eximium donum Dei &c.* Agnosce itaque rebus ipsis (si bonæ illæ per se sunt) non esse vitio vertendum, si iis abutantur aliqui. Cogendi itaque sunt qui sacris peregrinationibus dare operam volunt, ut dignam tam sancto instituto vi-

(b) Epist. olim 2. in Veronen. edit. 52. n. 5.

(*) Epist. olim 3. in Veron. editio: 60. n. 11.

(*) Joannes Alphonsus Turretinus is est:

(*) *De Theologia in genere* Differtatione 1. pag. 67.

tam agant, iisque ad imitandum propone eam vitæ rationem quam dum ad sancta loca peregrinabantur, duo præclarissimi, & pietate, doctrina, ac pastorali vigilantia jure meritoque laudatissimi Cardinales servabant: quam quidem cum mox sim descripturus, hic exponere omitto.

IV. At pericula etiam obiicis, quibus respersas, immo undique obsessas & circumvallatas (si loqui ita sinis) ais sacras peregrinationes. Oh cautum, ac prudentem virum! quique a periculis adeo abhorres, ut ne in ea incidas, illa ipsa evitas, quæ ab improbitate remotissima ostendi. Memineris obsecro, me sæpe dixisse, & repetere hic juvat, nullum esse tam sanctum, aut occultum locum, in quo laqueos non tetenderit, multosque non deceperit Dæmon. Ceterum opto, ut qui peregrinationes suscipiunt, caute suscipiant, & cautius agant, seque regi sinant a sapienti præside, qui si minus opportunum duxerit iter illud ab iis agi, omnino non agant, intelligantque sibi consultius esse domi degere, Deumque orare in cubiculo, quàm remotissimas sacras ædes, & monumenta adire: accidet enim interdum, ut quæ ipsa sunt optima, minus tamen apta sint nobis: notissimumque est illud Hieronymi monitum tam etsi aliò spectans. (c) *Mihi quidem placet, ut habeas Sanctorum contubernium: nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es.* Et ut paritate aliqua rem confirmem, an non sæpe dixi sacras vigilias per se sanctissimas sublatas fuisse ab Ecclesia quòd plerisque minus aptas videbat? Si igitur minus aptæ tibi, tuoque instituto erunt sacræ peregrinationes, fatere probas, at ab iis abstine. Pulchre Augustinus. (d) *Et sensi, & expertus sum non esse mirum, quod palato non sano pœna est panis, qui sano suavis est, & oculis ægris odiosa lux, quæ puris amabilis.* Hinc præclarissimi Antistites selectum eorum fieri voluere, a quibus sacras peregrinationes agi sinerent: iisque ipsis sanctissimam vitæ rationem, convenientem scilicet instituto suscepto, & voluntati Ecclesiæ agendam pro posuere. Et quoniam nuper promisi exempla me adducturum duorum præclarissimorum, pietate, doctrina, ac pastorali vigilantia præstantium Cardinalium; promissa exsequor, & Caroli Borromei, qui Mediolanensi

(c) Epistola olim 4. nunc 125. n. 9.

(d) 7. Confess. ca. 16. aliàs n. 22.

„ Ec-

Ecclesiæ præfuit, ac Gabrielis Palæotti, qui patriam meam multis annis Episcopus rexit, exempla propono. De Carolo Borromeo hæc adtestatur Carolus a *Basilica Petri*. (e) „ Animi divinitus ardentis indicium, præcipueque res exempli visa fuit omnibus „ Taurinensis peregrinatio . . . .
„ Iter pedibus facere Carolus constituit, quod est passuum octoginta millium. Ex plurimis, qui libentissime profecti essent, idoneum comitatum sacrorum, piorumque hominum delegit. Itineris, exercitationumque rationem ordinavit. Dictus est profectioni dies. Pridie vero ejus diei, comitibus convocatis, exposuit quid in itinere fieri vellet. Mane a sacerdotibus Missa facta; accepta ab aliis sanctissima eucharistia; omnes affuerunt cum baculis, & indumentis, quibus solent pia de causa peregrinantes uti. Quibus ex ecclesiastico ritu, cum Carolus benedixisset, discesserunt. Clerus majoris ecclesiæ usque ad portam civitatis comitatus est. Ibi Carolus breviores vestes, baculumque sumpsit. Tum canonicos pie admodum, atque amanter singillatim complexus, magna cum multitudinis, quæ secuta erat, piaque jucunditate, dimisit; & iter ingressus est. Itineris ratio fuit: summo mane, sacris procuratis, aderant omnes; & ab ecclesia initium erat proficiscendi. Bini ibant; & horis certa ratione distributis; nunc ei rei a Carolo præfectus, salutarem meditationis materiam tradebat; nunc taciti, & meditantes ibant: pias animorum conceptiones postea conferebant: aliàs alternatim psalmos pronunciabant: interdum ex calculorum corona: quam manu tenebat quisque, precationem Dominicam, & Angelicam salutationem inter se repetebant. Ambulantibus denique nihil otii relinquebatur; totum viæ tempus salutariter consumebatur. Cum meridie, vesperique ad oppida hospitii causa venerant, adibant ecclesiam primo; ibique Carolus more suo genibus flexis, cum suis canonicarum horarum preces obibat; licet corpore de via sæpe non mediocriter languenti; mensa, quæ semper moderationem, ne dicam inopiam, præseferebat, sacra lectione, piove sermone minime vacabat: reliquum temporis, quod erat exiguum, rebus corpori necessariis dabatur. „

(e) *De vita, & rebus gestis Caroli S. R. E. Cardinalis etc.* li. 5. cap. 3.

Rur-

Rursus autem cum Taurinum ad visendam sacram Sindonem cum Cardinali Palęoto pergere statuisset, similem vitæ rationem, dum eo contenderet, servavit. At verbis ipsis, quibus nuper allegatus Carolus a Basilica id memoriæ tradidit, id ipsum significatum audite. (*) ,, Post ea,
,, quæ commemoravimus, cum iterum Carolus Taurinum
,, petere cuperet, & sacrosanctam sindonem visere; delegit tempus illud, ut cum Palęoto Cardinali una
,, proficisceretur . . . . Iter fuit piarum exercitationum plenum. In locis ubi manendum esset, primò
,, Cardinales ad ecclesiam veniebant, ibique litaniam
,, cum invocatione sanctorum ex ecclesiastico ritu habebant. Mane post sacrum in viam se dabant. In
,, itinere de rebus salutaribus sermones, cogitationesque
,, omnium erant. Singulis enim curribus sacerdos erat
,, præfectus; qui certa capita sociis ex evangelio traderet, dum iretur, meditanda. Novariæ, Vercellisque
,, concionibus, sacrisque aliis actionibus populorum pietatem adjuvarunt: qui quidem licet Antistites, ut
,, principes amplissimos honorarent; ut servos Dei, sanctosque viros etiam observabant, & venerabantur.
,, Armati, qui ex vicis honoris causa de more obviam
,, prodibant, nova militum specie, humi positis genibus
,, tormentis, ut consuetum est, sonum efficiebant. Mira delectatione, gaudioque pulpita, dum Præsules amplissimi concionarentur, insueta purpura collucentia,
,, pii omnes contemplabantur; & temporum fœlicitatem
,, vicissim gratulabantur.

(*) lib. 6. cap. 3.

V. Verum quoniam Paleoti sacras peregrinationes agentis meminimus, alias tam præclari, & de patria, ideoque de nobis etiam optime meriti Antistitis, & Cardinalis peregrinationes recenseamus. Non hic quidem eam expono, quam cum grege suo, cujus amantissimus erat, agente Jubileum annum Gregorio XIII. Bononiensi, Romam instituit (quam pulcre descriptam habes pag. 108. & subsequentibus libri illius, quem *Episcopale* appellavit) sed eas, quas ipse haud infrequentes habuit. Id testatur disertus, atque accuratus illius vitæ scriptor Alexius Ledesma, ex quo hęc didici. (*) ,, Piis peregrinationibus
,, quibus præsertim æstivis feriis oblectabatur, seu ad Sacrosanctam Lauretanam ædem proficiscens, seu ad alia
,, insignia Deiparæ Virginis in Italia Templa, sive Assium ad Sacrum Beati Francisci corpus, ad Aluernique
,, mo

(*) de Vita Cardinalis Paleoti cap. 5. pag. 13.

„ montis recessum; ubi Sanctus ille stigmata divinitus
„ accepit; longiusque interdum progrediebatur, pia il-
„ lectus Sanctorum memoria, ut eorum inviseret sepul-
„ chra, sacrasque reliquias veneraretur in terris, quos
„ patronos habebat in cælis. Itineris verò comites sibi
„ adiungebat eos, quibus cum & moribus, & studiis
„ sibi prorsus bene conveniret, quibus ipse dux, & co-
„ mes facundus erat in via pro vehiculo: cùm illisque
„ non leves jocos, sed pios sermones, non otiosa collo-
„ quia, sed sacras ad Deum preces, non tetricam gravi-
„ tatem, sed jucundam, ac liberalem comitatem honestis
„ salibus opportunè conditam intermiscere consueverat.

VI. Quibus quidem exemplis, si peregrinationes a nobis susceptæ congruent, queri desinent, & adversus eas declamare Protestantes, neque deinceps improbas esse eas dicent, quæ procul dubio cum sanctissime sint institutæ, sanctissime etiam agi volunt. Hos itaque præclarissimos viros imitetur, qui sanctorum monumenta procul posita adire cupit, suoque eos refellat exemplo, qui peregrinantium mores depravatos esse ajunt, & illaudabilem vitam.

CAP. LVI.

Eas afferimus, ac dissolvimus objectiones, quibus oblique sacras peregrinationes impetunt.

I. NOn magnum fuit objectiones priores tollere, nisi etiam eas expediamus, quibus oblique ejusdem consuetudinis probitatem impetunt: leviores illas quidem, eas tamen, ut multum in illis inesse roboris putent adversarii. Sic vero disserunt. Si probæ & laudabiles forent peregrinationes eæ, de quibus instituta est disputatio, eas Dominus Jesus, qui omnes indicavit sanctitatis fontes, minime prætermisisset: prætermisit ve-

ro,

ro, neque ullum innuere possumus apicem, ex quo ap- pareat suos aliquando fuisse hortatum, ut peregrinationes ad sacra loca susciperent. Sic certe argumentatur Nissenus, cujus non auctoritatem modo, verum & verba ipsa adversus Pontificios urgere facile possumus.

(*) pag. 651. „ Cum itaque (inquit Nissenus (*)) sint qui solitariam, „ ac privatam vitam sibi delegerint, quibus vice pietatis habetur Hierosolymitana loca vidisse, in quibus argumenta Domini adventus in carne conspiciuntur: „ præclare se res habebit, si ad regulam ipsam respiciamus, idque si velit præceptorum ductus, ut opus faciamus, quasi mandatum Domini: sin præter Domini præcepta id appareat introductum, haud scio quid „ sit, quod præcipiat velle quid aliquem facere, qui „ ex ingenio, atque arbitratu suo bonum id dicat esse, quod putat. Ubi ad Regni cælorum hæreditatem consequendam vocabit Dominus benedictos, profectionem ad Hierosolymitanam urbem inter bene facta non enumerabit; neque in beatitudinum numero peregrinationes positæ sunt. Quod autem neque beatum efficit, neque ad Regnum cælorum assequendum quidquam affert utilitatis, utique non meretur contentiones nostras, & studia.

II. Prævenit vero idem Nissenus id quod reponere aliquis posset: id est re vera Dominum hierosolymitanæ Urbis incolatum præcepisse discipulis, dum eos jussit, ne ab Jerosolymis discederent: prævenit, inquam, sapienti hac animadversione; qua posítum inter ea tempora, & nostra discrimen, illiusque præcepti metam assequeris.

(*) pag. 654. „ Quod si quis objiciat (inquit Nissenus (*)) Domini vocem præcipientem discipulis, ne „ Jerosolyma discederent, intelligat quid tum indixerit Dominus. Cum Sancti spiritus gratia, & diffusio nondum venisset super Apostolos, illis præcepit „ Dominus, ut in eodem sisterent loco, donec scilicet „ virtute ex alto replerentur. At si quod ab initio fiebat, ut Spiritus sanctus ignis specie singulis dona impertiret, nunc etiam fieret, oporteret, ut omnes in eo „ sisteremus loco, in quo dona distribuerentur. At si Spiritus, ubi vult, spirat, (*) ii quoque qui hic sunt, ac credunt, Spiritum sanctum obtinent, juxta fidei mensuram, non juxta peregrinationem, quam ad Jerosolymitanam urbem susceperint. „ Porro his, aliisque, quæ jam

(*) Joan. 3. 8.

jam adduximus, & Hieronymi nuper allatis verbis argumentum non leve subministratur, quo quidem improbas esse intelligas peregrinationes. Num improbum id esse negabis, quod a doctissimis, & sanctissimis Patribus reprehenditur? Cum itaque peregrinationes susceptæ sive Jerosolymam, sive ad alia quæ vis loca, quæ temere *sancta* a Pontificiis appellantur, a doctissimis, & sanctissimis viris reprehendantur, reliquum est, ut eas improbas fatearis. Hactenus Protestantes.

III. At contra hæc breve istud, sed efficax præscribitur. A Domino Jesu non omnes peculiariter & singillatim indicati fuere sanctitatis fontes: neque enim, (ut exemplo id aliquo ostendam) indicavit sitim, aut modos alios, quibus Apostolus Paulus,(*) & reliqui viri sanctissimi *castigare corpus suum, & in servitutem redigere* consueverunt. Satis fuit Christo (cui tamen edocere præsertim volenti *adorationem in spiritu, & veritate* (*) magis cordi erat interiora, quàm exteriora pietatis argumenta indicare; proclives enim per se erant ad exteriora pietatis, ac religionis argumenta Judæi) satis, inquam, fuit Christo generalia præcepta dare, per quæ ad Dei cultum, ad caritatem, & honorem erga alios, denique ad sui victoriam populi dirigerentur. At peculiares modos, quibus id assequerentur, in Ecclesiæ manu, & arbitratu reliquit; quæ quidem Ecclesia si laudat peregrinationes ad Sanctorum monumenta susceptas, mihi satis est, ut ego statim eas laude dignissimas prædicem. Præter quam quod fortasse indicavit Dominus Jesus sacrarum peregrinationum probitatem, dum peregrinationem ad templum non raro ipse iniit, & auctor fuit, ut ea a discipulis iniretur. Reliqua prosequamur.

(*) 1. Cho: 9. 27.

(*) Joan. 4. 24.

IV. Novi porro plurimum te hic quoque in Nisseni, & Hieronymi auctoritate confidere, a quibus quidem ais sacras peregrinationes propterea etiam impeti, quòd temere in Ecclesiam invectæ sint, nulloque Evangelii loco innitantur. At novi etiam iis, quæ nuper dixi, facile tolli desumptam ex Evangelii silentio difficultatem: novi quoque iis quæ paulo ante ad similia horum sanctorum Patrum obiecta testimonia dicta sunt, facile dissolvi ea, quæ hic quoque obiiciuntur, Palam scilicet primo loco Nissenus de Monachis loquitur. *Cum itaque* (inquiens) *sint qui solitariam, ac privatam vitam sibi delegerint, quibus vice pietatis habetur* (*) *Hiero-*

(*) in postrema editione legitur: *qui in parte pietatis ponant*; (pag. 651.)

solymitana loca vidisse. At crebro diximus, horum instituto, si generatim loquimur, parum consentaneas esse peregrinationes. Recole, quæ num 1. 2. & 3. capitis 51. diximus, & palam conspicies Nisseno nos assentiri. An non diximus longe salubrius esse Monachis Dominum in solitudine quærere, quàm se illis exponere periculis, quæ in populorum frequentia imminent quidem omnibus, sed præsertim Monachis, quos maxime allicient insueti mulierum aspectus, & reliquæ mundanæ illecebrę? Multo magis, procul dubio, proficient illi, si clausi Deo inservient, quàm si longo itineri, ac periculis sane non levibus se se exponant: quæ quidem pericula perfectiores, si vis, evitabunt: (& revera evitarunt Hilarion, aliique quorum alibi (*) meminimus.) At quis nisi perspicua divina inspiratio, aut ecclesiastici præsidis jussio, aut denique sapientis viri consilium id exposcat; quis inquam tale suscipiet vitæ genus, quod licet sanctissimum per se sit, minime tamen cum solitudine congruit? Vide quæ §. 4. capitis 55. hoc de argumento diximus, & fundatam super primo Nisseni testimonio adversariorum difficultatem dissolves.

(*) cap. 51. n. 3.

V. Ab altero sic te paucis expedi. Fatere apertissime sacras peregrinationes non esse præcepto *ullo* præscriptas. Quisnam, rogo, e Catholicis aliter docet? Ajunt hi quidem probas esse, atque utiles sacras peregrinationes, at ad eas nullo nos præcepto adigi etiam ajunt. Ceterum Nisseni monita determinatissime eos tantum reprehendunt, qui hierosolymitanam peregrinationem a Domino inculcatam, præscriptamque esse dicebant. Nemo porro tam etsi sacris peregrinationibus summum in modum faveat, eam quæ Hierosolymam dirigitur, aut necessariam, aut adeo utilem esse dicet, ut eam reliquis pietatis operibus præferat.



CAP.

CAP. LVII.

Nonnulla adjungimus de sacrarum peregrinationum utilitate, atque emolumentis.

I. UTiles sacras peregrinationes esse negant, qui improbas esse ajunt. At alii etiam, qui eas veluti improbas damnare non audent, quasi inutiles reiiciunt. Nos vero non modo probas, verum etiam utiles putamus esse. An negabis id esse utile, quo pietatem in Deum, & obsequium in Sanctos exercemus, & ad eos amandos magis accendimur? Id quo rebelle corpus castigamus, id quo ad Sanctorum imitationem excitamur, & beneficia non levia obtinemus? Hæc porro sacris peregrinationibus recte actis facile assequimur: quod cum in superioribus capitibus fuse ostenderimus, hic ostendere omittimus. Utiles etiam esse ait Paulinus vitæ S. Martini scriptor, ex eo quòd sacras reliquias habendi, easque aliis elargiendi commodum præbent. Novimus enimvero particulas sanctæ Crucis fuisse hac ratione per totum Orbem distributas; & ii sane, qui ad sancta loca ex longo itinere perveniebant, reliquias aliquas, quasi sacri laboris mercedem quandam, recipiebant. Testantur id quidem tum alii multi, tum certe idem ille Paulinus, qui Sancti Martini vitam versibus descripsit, hæc elocutus. (a)

Hæc qui corde gerunt quacunque in parte locati
Munus habent Domini, seu *Sacra* (b) credita mandent
Vota viris, seu sacratis quæcunque recondant
Sanctificanda locis: Christus quod Corpore sancto
Non adiit, virtute tegit, licet ille reversus
Ad sublime poli jam dudum, & corpore regnet.

II. Indulgentias etiam largiores iis locis dispensare solet Ecclesia, ad quæ devotionis, aut voti causa confluunt peregrini, quas quidem indulgentias irrideant, quantum velint, Protestantes, jure meritoque nos magni facimus, ideoque id etiam magni facimus, per quod uberiores consequimur. Sed hoc de argumento, bene volentibus Superis, alibi (*) copiosissime disputabo.

(a) li. 5. to. S. Biblio. Pat. pag. 871.

(b) fortasse legendū est *Sacris:* id enim videtur exposcere ratio metri & quod dari consueverant sacræ reliquiæ religiosis, & piis viris.

(*) In peculiari tractatu *de indulgentiis.*

CAP. LVIII.

Disserimus de more eligendi prope Sanctorum tumulos, & in eorundem Sanctorum Basilicis sepulturæ locum. Post exposita summa capita præsentis disputationis, allatumque ex Actis SS. Tarachi Probi & Andronici locum, exempla quædam recensemus, quibus constet vetustissimum esse, & in Ecclesia jam pridem usitatum morem, ut Episcopi in Sanctorum Basilicis sepeliantur.

I. A Deo insita a primis usque sæculis Christianorum animis fuit in Sanctos reverentia, & obsequium, ut post mortem etiam, qua ratione possent eosdem Sanctos colere niterentur. Martyres sane, & Sanctos post mortem quoque colere voluisse visi sunt ii, qui prope eorum tumulos, & in eorum Basilicis sibi sepulturæ locum elegerunt. Hujusce consuetudinis, quæ jam diu invaluit, quæque nostris temporibus plurimum viget, antiquitatem, continuationemque inquiremus: peculiarem quoque locum, & discrimina ejusdem sepulturæ indicabimus: emolumenta denique illius, & causas.

II. Ut ab antiquitate exordiamur, vestigia aliqua hujusce moris invenire fortasse possumus apud Hebræos. Etenim propheta ille, qui mendacio suo Virum Dei induxit ad comedendum, & ad bibendum (qua de causa idem Vir Dei a leone interfectus est) propheta, inquam, ille: *cum planxissent eum, dixit ad filios suos: cum mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea.* Sed eum morem ab Hebreis repetere non est necesse. (*) Etenim si ab eo usque tempore, quo in abditis Cœmeteriis, in quibus cum Martyribus Fideles reliqui sepeliebantur, eam consuetudinem repetes, antiquissimam porro fateberis. Repetes autem, si probes non necessitate aliqua, (quod nonnulli putant) sed sponte ductos fuisse Fideles, ut prope Martyres sepulturæ locum eligerent. Ad id autem evincendum non modo recte afferes posteriorum tem-

(*) 3. Reg. 13. 31.

temporum exempla, eorum præsertim, quæ Martyricis temporibus, (ut cum vetustis scriptoribus ita appellem) fuerunt proxima, ex quibus sane innotescet, quæ nam Christianorum animis hac in re persuasio inesset; (*) verum etiam expressissima ipsa monumenta, quibus intelligas tempore ipso persecutionum optasse Fideles, prope martyrum tumulos sepeliri. Quid clarius fingi eo poterat loco, quem Acta sanctorum Martyrum Tarachi Probi & Andronici submnistrant? (*a*) En illum. ,, Nos autem exultantes hymnum diximus Deo, ,, eo quod dignatio Christi per nos fuisset operata. Ego ,, Marcius, & Felix, & Verus ibidem reliquum vitæ no- ,, stræ tempus facere cupimus, ut cum ipsis digna sint ,, corpora nostra poni.

III. Præclare itaque Constantinus Magnus postquam restituit Ecclesiæ pacem, inter alia pietatis monumenta, quibus Ecclesiam auxit, hoc etiam præstitit, ut tum sibi, & Principibus, qui eum in imperio subsequerentur, tum etiam Constantinopolitanis Episcopis prope Apostolorum reliquias sepulcrum constitueretur. *Postea vero* (inquit Socrates) (*b*) *cum Constantius ex Orientis partibus advolasset, regia honoratus est sepultura*; (Constantinus) *depositusque in Ecclesia Apostolorum, quam ipse eo consilio ædificaverat, ut Imperatores, & Pontifices ab Apostolorum reliquiis haud procul abessent*.

IV. Quod vero Constantinus Magnus optaverat, ut scilicet prope Sanctorum reliquias in Basilica Apostolorum non Imperatores modo, verum etiam Constantinopolitani Episcopi conderentur, eventu non caruit. Ut de Imperatoribus nihil hic dicam, de quibus commodius deinceps redibit sermo, Constantinopolitanos Episcopos fuisse in eadem Apostolorum Basilica sepultos testatur Pulcheria Augusta. (*c*) *Super hæc* (inquiens) *sciat tua Sanctitas quoniam præcepto nostri Domini, & tranquillissimi Principis mei conjugis in gloriosam Civitatem Constantinopolitanam sanctæ memoriæ Episcopi Flaviani corpus allatum est, & in Basilica Apostolorum, in qua consueverunt prædecessores Episcopi sepeliri, competenter est positum*. Eam quoque in rem vide differentem Du-cange. (*d*)

V. At non Constantinopolitanis Episcopis reservatum id fuit. Alios etiam Orientis Episcopos in Sanctorum Basilicis, ideoque prope Sanctorum reli-

(*) Vide quę tradit Anastasius Bibliotheca: de Romanis Pontificibus sepultis etiam post Sylvestrum in Cœmeteriis

(*a*) num. XI. pag. 393.

(*b*) Valesio interprete lib. 1. cap. 40. id est postremo.

(*c*) in epistola ad Leonem Magnum proxime post quinquagesimam octavam in editione Quesnellii.

(*d*) lib. 4. Constantinopolis Christianæ cap. 5. n. 1.

reliquias, & tumulos fuisse conditos ex his monumentis discimus. Narrat Socrates (e) Dioscorum Episcopum Hermupoleos honorificentissime tumulatum fuisse in Basilica, quæ est ad Quercum. (32) Joannem porro illum, qui Eleemosinarius est appellatus in Oratorio fuisse conditum ex illius vita intelligimus, ex qua etiam discimus duos Episcopos in eodem ipso monumento fuisse sepultos. (f) In sacra etiam æde Gregorius Episcopus Nazianzeni pater sepulturam habuit: quod deinceps ostendam.

(e) lib. 6. histo. cap. 17.

(f) pag. 589. To. I. Surii.

V. Sed quis negare audeat Episcopis, iis saltem, quos probitas fideique præstantia laudabiles effecerat, consuevisse in Oriente Sanctorū Basilicas tumulum præbere, quando quidem compertissimis exemplis evincemus alios valde ab episcopali dignitate remotos in iisdem Orientis partibus hoc honore fuisse potitos? Ea sane quæ de Cæsario Nazianzeni fratre, de Nonna illius matre & alia hujus generis, quæ deinceps afferemus exempla argumentum non leve subministrant, quo quidem persuadearis Episcopis probis saltem, & laudabilibus id minime fuisse denegatum. Quem quidem morem in Occidente etiam viguisse quis dubitet, postquam noverit Valerium (g) primum Consoranensem Episcopum ante altare jam dudum fuisse tumulatum? (33) postquam etiam noverit antiquissimos Ravennæ Antistites in sacris Basilicis fuisse sepultos? (qua de re mox dicam:) postquam denique noverit Ambrosium Sanctissimum Mediolani Episcopum (ut mox etiam dicam) sibi elegisse sepulcrum sub altari Basilicæ suæ?

(g) Grego. Turoni. in lib. de gloria Confesso. cap. 84.

VI. Sed quid expressius proferri poterit exemplis illis, quæ capite 31. libri 10. historiæ Francorum profert Gregorius Turonicus? An non discimus Licinium (quem nonum fuis-

(32) Falli tamen Socratem, dum hæc ait, præclarissimus Valesius putat: (*) nam ea Socrates Dioscoro tribuit, quæ Ammonio ejus fratri conveniunt: Dioscorus quippe (quod ex Sozomeno discimus lib. 8. cap. 17.) in Basilica S. Mocii sepultus est: causa tamen nostra ex Valesii verbis non repellitur; sed confirmatur.

[*] in notis ad locum hunc.

[33] ,, Valerius beatus Confessor Consoranensium primus Episcopus hoc se revelavit modo. Nam Oratorium super se constructum prius habuit, sed per incuriam ruens oblivioni datum est quo in loco quiesceret; hoc tantum ab incolis ferebatur quod fuisset ante sanctum altare sepultus.

fuisse dicit Turonensium Episcopum) in S. Martini Basilica fuisse sepultum? (*h*) *Nonus Licinius .... sepultus est in Basilica S. Martini*. An non etiam tradit in eadem Basilica sepultos fuisse Briccium, Eustochium, Perpetuum, Theodorum, & Proculum, Dinifium quoque, & reliquos omnes Turonenses Episcopos, qui hos subsecuti sunt? (*i*)

(*h*) n. 9.

(*i*) Vide numerum 4. 5. 6. 10. 11. 12. 13. & subsequentes: sed nec prætereas, volo, quæ de Litorio num. 2. tradit.

VII. Rursus idem Gregorius Turonicus (*k*) de Nicetio Treverorum Episcopo hæc enarrat. „ Nicetius autem, ut supra diximus, ipsius Urbis (Treverensis) Episcopus ..... a sæculo migrans, ad Basilicam (*l*) S. Maximini prædecessoris sui sepultus est.

VIII. Simillima discimus ex eo Gregorii Turonici libro, quem *Vitæ Patrum* inscripsit: quippe caput quartum, in quo Quintiani Episcopi præclara gesta describit, sic concludit: *Obiit autem perfectus in sanctitate, & sepultus est in Basilica S. Stephani ad lævam altaris*. Eundem morem servatum fuisse in Ecclesia Verdunensi S. Vitoni ex Hugonis Flaviacensis Chronico discimus. Senonenses quoque Episcopos in Ecclesia Sancti Petri, aliisque Basilicis fuisse conditos testatur (*m*) Clarius in Cronico.

(*k*) cap. 94. libri quem inscripsit *de gloria Confessorum*.
(*l*) id est in Basilica, ut ipsemet explicat cap. 17. libri quem *Vitæ Patrum* inscripsit.

(*m*) To. 2. Spicile. pag. 464.

IX. At nefas sit illa omittere, quæ narrat Beda (*n*) Regem scilicet Edilbertum *Ecclesiam Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli a fundamentis construxisse, ac diversis donis dotasse, in qua & ipsius Augustini, & omnium Episcoporum Dorovernensium, simul & Regum Cantii* (legunt alii *Cantiæ*) *poni corpora possent*.

(*n*) lib. 1. Histor. Ecclesiasticæ Gentis Anglorum cap. 33.

X. Sed cur tam remota a regionibus nostris adducere pergo, qui facile ex Italia ipsa desumere possim ad hunc morem confirmandum exempla? Num ignoras Ambrosium Sanctissimum Mediolani Episcopum hæc coram populo pronunciasse? (*o*) *Hunc ergo locum* (sub altari) *prædestinaveram mihi; dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consueverat*: (34) An non etiam eamo-

(*o*) Class. 1. epistol. 22. n. 13.

(34) Alium si vis, Ambrosii locum, quo quidem constet sanctum Antistitem sibi sepulturam in Martyrum basilica, & prope corpus illius, quem sanctum dixerat; illum sane tibi præbebit numerus 18. orationis illius, quam in funere Satyri fratris recitavit. En quæ ille ait. „ Habeo „ pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio jam pos„ sit avellere: habeo quas complectar reliquias: habeo „ tumu-

[p] to. 1. pag. 401.

monumenta allegat Tillemont, (p) quibus noscas duos episcopos sœculi V. in Ecclesia S. Simpliciani fuisse conditos?

XI. Sed cur ea prætereo, quæ mihi *Italicum* Mabillonii Museum legenti forte occurrerunt. In indice illo, qui sic inscribitur *incipiunt nomina Episcoporum Mediolanensis Civitatis* antiquissimi Episcopi in Basilicis sepulti dicuntur. (*) *Gagius ad Concilia Sanctorum. Castricianus ad S. Johannem ad Conca. Monas ad S. Vitalem. Mirocles ad S. Victorem. Maternus ad S. Naborem.* Idem dicito quod ad reliquos fere omnes.

[*] par. 2. To. 1. Musei Italici pag. 109. &c.

XII. Minus a nobis remota est Ravenna. In ea quoque Urbe sepeliri consuevisse in Sanctorum Basilicis Episcopos (*) exempla hæc quæ ex Agnelli historia desumpsi comprobant. De S. Aderito hæc ait ille. (*) *In Basilica B. Probi sepultus est.* De S. Martiniano hæc testatur. (q) *Unde arbitratus sum, quod in Ecclesia B. Eleucadii sepultus sit.* Affinia tradit de S. Calocero, de S. Proculo, de S. Dato, & de subsequentibus etiam Liberio, Agapito, & Marcellino. In Vita S. Ursi hæc invenio: (r) *sepultusque est (ut quidam asserunt) in jam dicta Ecclesia Ursiana, quæ est Anastasis quam ipse construxit ante altare subtus porphyreticum lapidem, ubi Pontifex stat, quando Missam canit.* Vide etiam, quæ docet capite secundo Vitæ S. Neonis, & rursus capite secundo Vitæ S. Exuperantii: ea quoque quæ ait capite septimo Vitæ S. Joannis; in Vita S. Aureliani, in Vita S. Ursicini cap. 2. in Vita S. Victoris cap. 2. capite septimo Vitæ S. Maximiani, & capite tertio Vitæ S. Agnelli. Sane, Episcopos immo solos Episcopos, atque adeo eos solos inter Episcopos, qui probitate, dum viverent, excelluerunt, in sacra S. Vitalis æde sepeliri optavit Ecclesius Episcopus, cujus præsertim sumptibus ea ædes erecta fuerat. Id mihi videntur apertissime tradere ii versiculi, quos in fine Vitæ S. Ecclesii Agnellus describit, ex quo hic recito (*)

[*] prima parte to. II. Rerum Italicarum.
(*) pag. 36.
(q) pag. 38.
[r] pag. 51.
(*) pag. 97.

Tradidit hanc primus Juliano Ecclesius arcem,
Qui sibi commissum mire peregit opus.

Hoc

„ tumulum, quem corpore tegam, habeo sepulcrum
„ super quod jaceam: commendabiliorem Deo futurum
„ esse me credam: quod supra sancti corporis ossa re-
„ quiescam. „ Satyrum nempe in sacra Basilica fuisse sepultum deinceps ostendemus.

Hoc quoque perpetua mandavit lege tenendum;
His nulli liceat condere membra locis.
Sed quod Pontificum constant monumenta priorum,
Fas ibi sit tantum ponere, sed similes.

XIII. Quid quod in more fuisse positum, ut Pontifices prope Martyrū tumulos, & si fieri id poterat, in sacris ædibus sepelirentur, sępe testatur Anastasius Bibliothecarius, ex quo hæc decerpsi? Priores Romani Pontifices haud sane pauci, nempe Linus, Cletus, Evaristus, Sixtus I., Telesphorus, Hyginus, Eleutherius, & Victor *juxta corpus B. Petri Apostoli in Vaticano sepulti sunt*. In Anacleti porro vita hæc tradit idem Anastasius. *Hic memoriam B. Petri construxit, & composuit, dum Presbyter factus fuisset a B. Petro, seu alia loca, ubi Episcopi reconderentur sepulturæ: ubi autem, & ipse sepultus est juxta corpus B. Petri tertio Idus Julii*. Quis autem in veterum ecclesiasticorum lectione versatus ignorat *memoriarum* nomine sacras ædes alicujus Sancti nomine erectas significari? aut dubitare quis poterit, si ad omnia Anastasii verba diligentius adverterit, locum aliquem sacrum hic indicari, in quo cum ipse juxta Corpus B. Petri sepultus sit Anacletus, reliquos Episcopos etiam condi optavit? In Basilica etiam quam erexerant, sepulti sunt S. Felix II. & S. Damasus. In Basilica S. Petri Leo I. aliique multi ex veteribus tumulati sunt. *Juxta Corpus B. Laurentii Martyris, via Tiburtina*, ideoque in Basilica hujus Sancti nomini erecta S. Zosimus sepultus est: quod de S. Sixto III. & Hilaro idem Anastasius affirmat. Quamquam autem non in Basilica aliqua, sed in Cœmeteriis sepulti dicantur alii multi ex prioribus Romanis Pontificibus, eadem tamen ratione permotos eos puto, ut in cœmeteriis sepulcrum eligerent, qua permoti sunt ii, qui in Basilicis sepeliri voluere: ut scilicet prope Martyrum reliquias, & tumulos eorum corpora conderentur. Neque enim necessitas ulla adegit Sylvestrum, & Liberium, ut in cœmeterio Priscillæ tumulari vellent, aut Marcum, ut in cœmeterio Balbinæ, aut Julium, ut in cœmeterio Calepodii, aut Innocentium, aliosque etiam, ut vel in cœmeterio ad Ursum Pileatum posito, vel in illo, quod a S. Felicitate, aut in aliis, quæ aliunde nomina desumpsere, sepulturam eligerent. At dum Marcum in Balbinæ cœmeterio sepultum dixi, minime mendacem volo aut eundem Anastasium, aut Damasum (si is est auctor Pontificalis) qui in cœme-

cœmeterio quidem, at in Basilica etiam ab eodem Marco erecta tumulatum pronunciat: quo quidem exemplo conjicimus eos, quos nuper recensui Pontifices, tametsi in cœmeterio sepulti dicantur, in basilica aliqua, aut æde sacra cœmeterio conjunctissima interdum saltem fuisse sepultos (*).

XIV. Sed ne piaculum sit domestica, ut ita appellem, exempla omittere. Sigonius Vir doctissimus Eusebium antiquissimum Bononiæ Episcopum in sacra basilica sepultum opinatur: (*) affirmat autem indubitate de S. Felice Ambrosii antea Diacono, tum nostro Antistite: *Felix* (inquiens) *anno quadringentesimo vicesimo nono mortuus in æde SS. Felicis, & Naboris a se condita situs est.* (*) Idem affirmat de Sanctis Paterniano, (*) Tertulliano, (*) & Theodoro (*).

(*) *hic fecit Basilicas duas unam via Ardeatina, in qua requiescit . . . qui etiam sepultus est in Cœmeterio Balbinę via Ardeatina, quod ipse insistens fecit.*

(*) de Episcopis Bononiensibus pag. 18. edit. Bonon. 1586.

(*) pag. 20.

(*) pag. 27.

(*) pag. 30.

(*) pag. 33.

CAP. LIX.

Abbates & Presbyteros, religiosos fortasse non paucos, tam mares, quàm feminas in sacris Basilicis fuisse tumulatos.

I. Abbates fuisse in sacris Basilicis tumulatos probabilibus exemplis evincit Optimus Martene, (a) quem sane morem confirmavit Concilium Moguntinum (b) hæc proponens: *Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles laici.* Adde Durandum, quem deinceps allegabimus.

II. Verum diu ante hoc Concilium sacerdotes in templis sepulti sunt. S. Paulinus Nolanus (c) Clari Presbyteri morum probitate celebris, & sub altari conditi tria Epitaphia versibus a se composita ad Severum mittit. Facit & ad rem nostram id quod Gregorius Turonicus (d) de S. Severino sanctissimo presbytero his verbis ait: *in una vero earum* (Ecclesiarum) *sepulcrum suum deposuit, in quo & sepultus est.*

III. Nolim vero putes sepulturam in Ecclesia his Presbyteris fuisse tributam potius ob vitæ sanctitatem, quàm ob eum sacrum honorem, quo potiebantur. Etenim idem Gregorius Turonicus, antequam Episcopus fieret, ideoque (nisi probabilis conjectura nos fallit) dum Presbyter foret, nec se sanctitate conspicuum jactare posset, se morti proximum metuens, in S. Martini Basilica sepulturam elegit. (e) Aliis etiam in regionibus can-

(a) *de Antiquis Monachorum ritibus* li. 5. cap. 12. n. 12.

(b) anno 813. celebratum can. 52. pag. 339. tom. 9. Conc.

(c) in epistola *ad Severum* olim 12. nunc 32. n. 6.

(d) de glo. Confess. cap. 50.

(e) 2. Mira. S. Martini cap. 32.

eandem consuetudinem invaluisse compertum faciunt vetera non pauca Epitaphia, e quibus hæc seligo. (*f*) Jureiæ istud extitit, & fortasse etiam extat.

Martyribus Domini animam, corpusque tuendo
Gratia commendans, tumulo requiescit in isto
Silvius hic pleno cunctis dilectus amore
Presbyter æternæ quærens qui præmia vitæ &c.

In Urbe Vercellensi hoc legitur. (*g*)

Discite qui legitis divino munere reddi
Mercedem meritis, sedis cui proxima Sanctis
Martyribus concessa Deo est, gratumque cubili,
Sarmata quod meruit venerando presbyter acto
Septies hic quinos transegit corporis annos,
In Christo vivens auxiliante loco.
Nazarius namque pariter, Victorque beati
Lateribus tutum reddunt, meritisque coronant.
O felix gemino meruit qui martyre duci
Ad Dominum meliore via, requiemque mereri.

IV. Quid vero si Durandum his adjiciam, virum diligentem, & valde doctum, cujus quidem verbis constet morem hactenus expositum subsequentibus etiam sæculis perstitisse? (*h*) „ Sane (inquit Durandus) non de-
„ bent passim omnes intra Ecclesiam sepeliri. . . .
„ Nullum ergo corpus debet in Ecclesia, aut prope al-
„ tare, ubi Corpus Domini, & Sanguis conficitur, se-
„ peliri, & nisi corpora sanctorum Patrum, qui dicun-
„ cuntur patroni, idest defensores, qui meritis suis to-
„ tam defendunt patriam, & Episcopi, Abbates, &
„ digni presbyteri, & laici summæ sanctitatis, (13. quæst.
„ 2. cap. *Præcipiendum* & cap. *nullus*) sed cuncti debent
„ circa Ecclesiam sepeliri, puta in atrio, aut in porti-
„ cu, aut exedris, sive voltis Ecclesiæ exterius adhæ-
„ rentibus, aut in cœmeterio, ut capite *præcipimus*, & in
„ eodem capite *non æstimemus*.

V. Atqui Religiosos, tam etsi non presbyteros, in sacris ipsis basilicis, aut certe in loco adeo iis propinquo, ut ad easdem basilicas pertinere videretur, & qui sæpe etiam intra muros, atque ambitum earundem basilicarum contineretur, fuisse sepultos, ex veteribus monumentis discimus. Quid clarius illis Paulini Nolani verbis? (*) *Cubicula intra porticus quaterna, longis Basilicæ lateribus inserta, secretis orantium, vel in lege domini meditantium, præterea memoriis religiosorum, ac familia-*

(*f*) Grute. pag. 1170. n. 2.

(*g*) Gru. pag. 1169. n. 7.

(*h*) Rationa. divin. offici. li. 1, cap. 5. n. 12.

(*) in epist. ad Severum olim. 12. in recenti editio. 32, n. 12.

rium accomodatos ad pacis æternæ requiem locum præbent. Quid expressius verbis illis, quæ de Jacobo Maronis discipulo viro sanctissimo narrat Theodoretus hæc scribens? *(i)* „ Construxi (*de se loquitur Theodoretus*) ego „ quoque loculum in æde Victoria insignium Apostolorum. „ Sed quum hoc rescivisset Vir divinus, sæpe me roga- „ vit, ut in illo monte corpus mandaretur sepulturæ . . „ . . . Annui & sum assensus, & feci, ut scindere- „ tur arca, & rursum ferretur . . . Nihilominus „ humilis vir : non patiar, inquit, hoc vocari sepul- „ crum Jacobi : sed volo hanc fieri ædem Martyrum „ victoria insignium; me autem tamquam aliquem inqui- „ linum poni in altero sepulcro, ut qui dignus habitus „ sim, ut apud eos habitarem. Neque vero hoc solum di- „ xit, sed etiam fecit : ut quum multos quidem prophe- „ tas, multos autem Apostolos, maxime autem pluri- „ mos Martyres undique collegisset, eos posuit in una „ arca, volens simul habitare cum populo sanctorum, „ & desiderans cum eis resurgere, & dignari Dei con- „ templatione.

(i) de vitis Patrum cap. 21. pag. 459. tom. 2.

VI. Fœminas quoque religiosas eundem honorem fuisse consecutas intelligimus tum ex Gregorio Turonensi (*k*) id apertissime tradente, tum etiam ex capite 51. libri 4. dialogorum Gregorii Magni, ad quæ quidem loca te amando. Quod si (ut multi haud ignobiles scriptores putant) Marcellinam S. Ambrosii Sororem respicit Epitaphium, quod in Basilica Ambrosiana extat, referturque a Grutero (*l*) ad hunc modum

Marcellina, tuos cum vita resolveret artus,
Sprevisti patriis corpus sociare sepulcris,
Dum pia fraterni speras consortia somni, (*m*)
Sanctorumque cupis carà requiescere terrà &c.

nulla superesse jam potest dubitatio, num feminæ religiosæ (aliquæ saltem pietate notiores) in sacris Basilicis ab Ambrosii usque ætate sepultæ fuerint.

(k) capite 42. libri noni histo. Franco.

(l) in monumentis Christianis pag. 1055. n. 6.

(m) fortasse respicit ad eximiam Satyri jam mortui, ibidemque sepulti, pietatem.

VII. At dum hæc pertractamus, id omittendum sane non est, quod legens Vitam S. Cæsarii Arelatensis Episcopi reperi: Basilicam scilicet ab eodem Sancto Episcopo fuisse ædificatam : in qua *ut afferret sacris Virginibus, quas congregaverat, curam necessariæ sepulturæ, nobiles arcas corporibus humandis aptissimas, de saxis ingentibus noviter fecit incidi, quas per omne pavimentum Basilicæ constipatas sterni fecit ordine*. Refert etiam Vir clariss. Muratorius

rius, sæpe a me cum' laude allegatus (*n*) epitaphium Manliæ Dedaliæ piæ Virgini Deo sacræ positum, quod quidem superesse adhuc ait in Ambrosiana Basilica. En illud

Martyris ad lævam (*) recubent quæ membra sepulcro
Ut Lector noscas, est operæ pretium.
Clara genus, censu pollens, & mater egentum
Virgo sacrata Deo Manlia Dædalia.

VII. Et huic quidem epitaphio prorsus affinia sunt alia quæ aliis in urbibus occurrunt. Duo seligo, quorum primum Romæ extat in æde S. Pauli (*o*) & tale est:

HIC.REQVIESCIT.ÆMILIANA.SAC.VG.DP.V.ID.DEC.PROBINO.VC.CONSS.

alterum profero ex Claris. Ruinart, qui illud superesse adhuc ait in Ecclesia S. Cassii (*p*).

Hoc jacet in tumulo SACRATA *Georgia Christi,*
Sic *Et divota bonis, mente, fide, merito;*
Ob quam magna patrem premeret cum turba procorum,
Sic *Illa Deum legit feliciore toro.*

Adde si vis epitaphium primum paginæ 1170. Gruterii, ad quod te allego.

VIII. Alia si quis cupit hujusce moris exempla, ea facile subministrabit Optimus Martene, cujus propterea opto ut videas tractatum illum, quem *de Veteribus Monachorum ritibus* inscripsit (*q*)

IX. Quod si Religiosis tum viris, tum feminis, ut in sacris Basilicis sepelirentur, concedebatur, quis putet id Clericis fuisse interdictum? Cur enim vis illos vita functos fuisse a templo, atque adeo a sacro altari repulsos, qui dum vivebant, templo, & altari inservierunt? Clericos sane potissimum indicatos, haud pauci putant, cum Paulinus cubicula a se erecta ait *memoriis religiosorum ad pacis æternæ locum*. An putas Diaconorum, & reliquorum Ecclesiæ ministrorum cadavera a templis fuisse prohibita, si eo honore potitas aliquando fuisse Diaconorum uxores novimus? Num ea de re dubitabis, postquam hæc legeris? (*r*)

Levitæ conjunx Petronia forma pudoris
His mea discedens sedibus ossa loco &c.

CAP.

(*n*) differ. 17. in Paulinum.

(*) Gruterus pag. 1055. n. 2. legit *ad frontem*.

(*o*) refertur a Grutero pag. 1057. a Bosio li. 3. cap. 4. & nuper a Fontanino de S. Columba pag. 24.

(*p*) Grego. Turo. sub titulo *addenda*, & *emendanda* col. 1401.

(*q*) li. 5. cap. 104 n. 105.

(*r*) Grute. p. 1057. n. 5. testatur extare epitaphium istud Romę *ad D. Pauli*, eadem prorsus tabula, qua extat alterum nuper allegatum *Georgia Christi sacrata*.

CAP. LX.

Ostendimus id quoque Regibus, Principibus, & viris quibusdam sive avitæ nobilitatis, sive munerum præstantia insignibus fuisse concessum.

I. AT non Ecclesiastici tantum, verum & Reges, Principes, & viri sive avitæ nobilitatis, sive munerum præstantia clari in sacris basilicis sepulti sunt. Constantinum Magnum in Basilica Apostolorum eum ob finem ab eo constructa, ut tum ipse, tum ii, qui eum in imperio subsequerentur in illa conderentur, fuisse conditum Socratis testimonio innixi nuper diximus. Adde ad id confirmandum hæc Chrysostomi verba (a) „ Constantinopoli „ vero non prope Apostolos, sed foris ad ipsa limina „ optaverunt ii, qui diademate redimiuntur corpora „ sua sepeliri, atque ita Imperatores Piscatorum ostia„ rii facti sunt. „ Quam quidem consuetudinem subsequentibus etiam temporibus perstitisse testatum facit Carolus Du-Cange, (b) ad quem quidem te amando.

II. Honorium Augustum juxta atrium Basilicæ S. Petri sepultum intelligimus ex Paulo Diacono id verbis his attestante (c) „ Honorius vero postea quam cum „ minore, de quo præmissum est, Theodosio Arcadii Ger„ mani sui filio annis XV. imperasset . . . . apud „ Urbem Romam vita exemptus est, corpusque ejus „ juxta B. Petri Apostoli atrium in Mausoleo sepultum „ est.

III. Valentianum Augustum Romæ interfectum in Vaticano fuisse sepultum testatur Arringhius, qui etiam alios tum Imperatores, tum Reges recenset, qui in Apostoli Petri Basilica sepulti sunt (d) Clodoveum in *Basilica Sanctorum Apostolorum, quam cum Chrotechilde Regina ipse construxerat*, tumulatum fuisse narrat Gregorius Turonicus. (e) Etiam Childebertum ad Basilicam Beati Vincentii, quam ipse construxerat, fuisse sepultum idem Gregorius Turonicus (f) significat.

IV.

(a) in libro, quem *de Christi divinitate contra Judæos, & Gentiles* edidit tom. 1. pag. 570.

(b) cap. 5. libri 4.

(c) in Honorio.

(d) Vide quæ tradit ille capite 6. libri 1. pag. 89. & subse. editionis Arnhemianæ

(e) li. 2. histo. Francorum cap. 43. id est postremo.

(f) cap. 20. libri 4. histo. Franco.

IV. Aliunde etiam intelligimus in sacra aliquâ æde, sed fere in Dionysiana Galliarum Reges fuisse sepultos. Regibus Cantiæ paratum a Rege Edilberto in Ecclesia Beatorum Petri, & Pauli sepulcrum discimus ex Beda nuper allegato. [*] Eum ipsum honorem Regibus aliis fuisse tributum ex aliarum nationum historiis discimus. Adeo id usitatum, ac frequens fuit, ut Synodus Hibernensis antiqua sane (g) asserere non dubitaverit propterea Ecclesias appellatas fuisse Basilicas, quia in iis jam pridem soli Reges sepeliri consueverint: *quia primis temporibus Reges tantum sepelibantur in eis*.

(*) cap. 58. n. 9.

(g) lib. 42. cap. 26. tom. 1. Spicilegii pag. 504.

V. At non Imperatoribus, & Regibus reservatum id fuit. Ut nihil hic de Imperatricibus, & Reginis dicam, quibus par sepulturæ honor deferri solebat: (& certe Helena Constantini mater in sacra Basilica sepulta dicitur) An non Mariam Stiliconis filiam, & Honorii Imperatoris conjugem in sacra Beati Apostoli æde sepultam fuisse novimus? (b) Quin etiã novimus Terminantiã ejusdem Mariæ sororem, eidemque Imperatori Honorio post Mariæ obitum nuptui tradendam, sed ante nuptias morte functam, in Vaticano fuisse sepultam.

(b) Vide quæ tradit Aringhius pag. 93. & 94.

VI. Porro de Gallæ Placidiæ sepultura hæc refert Agnellus Ravennas historicus. (*) *Sepulta est Galla Placidia in Monasterio S. Nazarii, ut ajunt multi, ante Altarium infra cancellos, qui fuerunt ærei, & qui nunc lapidei esse videntur.* De Singleida vero nepta (ut ipse appellat) Gallæ Placidiæ paulo ante hæc tradiderat. (*) *Ipsaque Singleida ibidem requiescit: sepulcrum ejus nobis cognitum est.*

(*) cap. 6. Vitæ S. Joannis. pag. 68.

(*) cap. 5.

VII. Regii etiam Principes in sacris Basilicis sepulti sunt. En vadem Gregorium Turonicum hæc tradentem: (i) *Media nocte anhelus jam, & tenuis spiritum exhalavit,* (Clodobertus) *quem in Basilica Sanctorum Crispini, atque Crispiniani Martyrum sepelierunt.* Aliud etiam hujusce moris exemplum occurrit capite decimo libri octavi ejusdem historiæ.

(i) lib. 5. histo. Franco. cap. 35.

VIII. Quod vero attinet ad viros sive avitæ nobilitatis, sive munerum præstantia insignes, quos in sacris ædibus sepultos dixi: horum multos recenset sæpe laudatus Aringhius capite septimo libri primi, quod quidem caput si leges, operæ pretium facies. (*) Quin etiam Landegiselus Nantildis Reginæ frater in Ecclesia S. Dionysii sepultus est; id referente auctore libri, qui *de gestis Dagoberti Regis* inscribitur (k) *Floachatus major-domus Burgun-*

(*) pag. 97. &c.

(k) cap. 26.

gundia sepultus est in Ecclesia S. Benigni suburbano Divionensi, ut Fredegarii verbis utar. (*l*) E senatoria gente erat vir ille, qui in Basilica S. Mariæ sepultus conjugi apparuit, fraudemque Diaconi acetum vino optimo in sacrificio supponentis detexit: (*m*) Et hanc fortasse ob causam in Ecclesia sepulti fuere Valerianus, & Valentinus illi, quorum meminit Gregorius Magnus (*n*) Adde si vis, exempla alia, quæ præbet Gregorius Turonicus cap. 89. libri *de gloria Martyrum*.

(*l*) in Chronico cap. 90.

[*m*] refertur a Gregorio Turonico *de gloria Confessō.* cap. 65.

[*n*] lib. 4. Dialogo: cap. 52. & 53.

IX. Sed quoniam veteres historicos citare institui, iisdem uti pergam, eaque primum describam, quæ Agnellus historicus de Opilio, tum ea referam, quæ de Theodoro Exarcha, ejusque uxore Agatha narrat. (*o*) De Opilio hæc invenio ,, In ingressu Ecclesiæ reperimus scriptum, ,, quod Opilius multum eam ornavit in argento, & auro. Et si diligentius inquiras, multus ornatus forasitius (*p*) majorum vasculorum tam coronæ, quamque & calices appensorii, quos in ornamentis cernimus habere Ursianam Ecclesiam, ex ipsa Martyris ,, Basilica sublati fuerunt. Et ipse sepultus est Opilius ,, parte mulierum (35) circa mediam subditam. De Theodoro.

(*o*) capite primo vitæ S. Joannis Angelopti pag. 64. col. 2.

(*p*) Id est (quem ad modum interpretatur Clariss. Muratorius) *extraneus ab ipsa Ecclesia Ursiana.*

---

(35) Quænam pars hominum foret, quænam vero mulierum indicat Joannes Beleth vetustus, & haud ignobilis scriptor (*) hæc elocutus. ,, Qui baptizari volunt, conveniunt ,, ad portas Ecclesię, fęminę a sinistris, mares a dextris. ,, Quę quidem verba prorsus cum iis conveniunt, quę habet Ordo Romanus antiquissimus, primus nempe inter eos quos Mabillon edidit. En illa: [*] *Post horam tertiam Sabbato* (Sancto) *procedunt qui baptizandi sunt ad Ecclesiam, et ordinantur per ordinem sicut scripti sunt, masculi ad dexteram, fæmina in sinistram.* Sed expressissime id edocet Vir valde eruditus, & diligens Rondininus de Basilica S. Clementis disserens [*] hęc ipsissima scribens. ,, In ,, Christianorum basilicis, quum sacri conventus peragerentur, fuisse fideles ab invicem locorum divisione sejunctos luculenter testatur sanctus Hieronymus in Catologo scriptorum ecclesiasticorum de Philone. Locum ,, autem pro viris & locum pro fęminis geminas hinc inde seorsim fuisse basilicarum porticus sive minores naves, liber secundus Constitutionum Apostolicarum capite sexagesimoprimo his verbis enunciat: *Episcopus ,, una cum clero ad utrunque latus posito sedeat, ex altera ,, ecclesia parte viri, ex altera mulieres.* Idemque confirmat Procopius de ędificiis Justiniani Imperatoris in ora-

(*) de divinis officiis cap. 90.

[*] n. 37. pag. 24. to. 2. Musei Italici.

(*) lib. 2. cap. 9. §. 28. pag. 325.

doro vero, ejusque uxore Agatha hæc tradit idem Agnellus ,, Quotidie concurrebat (idem Theodorus E-
,, xarcha, & Patritius) ad Monasterium S. Mariæ ad
,, Blachernas, ubi Deo volente ego Abbas existo, &
,, ibidem requiescit cum Agatha conjuge sua. (q) (36)

X. Alia si optas hujusce moris ex Agnello desumpta exempla facile præbebit Abbas Bacchinius, cujus sæpe cum laude memini, numero seu §. quinto observationum ad Vitas S. Johannis Angelopti, & Johannis II. (r) nec inutile erit ea legere, quæ numero, seu §. tertio ejusdem dissertationis tum ipse animadvertit, tum animadversa, ac tradita monet ab egregio Muratorio dissertatione 7. tomi primi anecdoctot. ad quam quidem lectorem rejicio.

(q) cap. 1. vitę S. Theodori pag. 151.

(r) pag. 71.

,, oratione prima: *Sunt duæ (ait) utrinque porticus*
,, *quas fastigiata testudo, et aurum venustant, harum una*
,, *viros orantes, altera mulieres admittit, alia nulla re*
,, *differentes*. Necnon preter antiquos patres Gregorium
,, Nazianzenum, Augustinum, aliosque id notavit Amalarius de ecclesiasticis officiis libro tertio capite secundo,
,, ibique mysticam profert rationem, quare viri ab au-
,, strali latere, & feminę a boreali in ecclesiis consiste-
,, rent; *Ut ostendatur* (inquit) *per fortiorem sexum*
,, *firmiores Sanctos semper constitui in majoribus tentatio-*
,, *nibus astus hujus mundi, et per fragiliorem sexum in-*
,, *firmiores sanctos*. ,, His adde, quę occurrunt in Ordine secundo Romano, quem a pag. 42. usque ad 52. tom. 2. Musei Italici descripsit Mabillon: hæc enim pag. 46. occurrunt. *Ipse Diaconus stat versus ad meridiem, ad quam partem viri solent confluere*. Confer cum his ea, quę docet Micrologus capite nono.

(36) Quid Monasterii nomine intelligendum sit, aperit Vir egregius Bacchinius, dum in observationibus ad Vitas S. Joannis Angelopti, & Joannis II. hęc ait. (*) ,, Monaste-
,, ria ea vocat (Agnellus) quę quidem divino cultui
,, dicata erant, sed privatorum quodam modo usui inser-
,, viebant, nec publicis utriusque sexus Christianorum
,, conventibus patebant, quod Basilicarum juris erat.
,, Oratoria, seu Sacella alii dixere. Distinctionem inter
,, Basilicam, & Monasterium passim in toto Opere vide-
,, re est. Locus tamen insignis occurrit infra in vita S.
,, Maximiani, ubi loquens de Basilica S. Stephani hæc ha-
,, bet. *Ad latera vero ipsius Basilicæ Monasteria parva*
,, *subjunxit, quæ omnia novis tessellis auratis, simulque pro-*
,, *miscuis aliis calci infixis mirabiliter apparent, super ca-*
,, *pitaque omnium columpnarum ipsius Maximiani nomen*
,, *sculptum est; monasteria vero parte virorum etc.*

(*) pag. 70.

C A P. LXI.

Ea vel afferimus, vel innuimus monumenta, quibus constet tum iis quidem in primis, qui sacram aliquam ædem suis sumptibus erexerant, tum aliis etiam (præter eos, quos nuper recensuimus) in templis sepulturæ locum non fuisse denegatum.

I. AT non propterea reliqui omnes in sacris basilicis sepeliri prohibiti sunt. Enimvero non pauca monumenta occurrunt, ex quibus apertissime noscas, eos quoque, quos neque clericalis, neque monasticus Ordo Ecclesiæ addixerat, nec Regia dignitas, aut illustres præfecturæ vulgo præferebant, in sacris basilicis fuisse conditos. Eos, qui sacram aliquam ædem suis sumptibus erexerant, in ea, veluti præclare de Ecclesia meritos, fuisse tumulatos, multis quidem exemplis evinci potest. Quis id prætereat, quod ex Agnello historico discimus? Narrat is scilicet Julianum illum argentarium, qui (num suis, num Episcopi, num Cleri, num populi sumptibus id egerit, in dubio est) certe Ecclesiam S. Vitalis magnificentissime extruxerat, in eadem Ecclesia fuisse sepultum. (*a*) Animadvertit porro præclarissimus Bacchinius (*b*) adscriptum Clero minime fuisse hunc Julianum, quem, ut nuper innui, Agnellus argentarium appellat. Nonne Romæ adhuc visitur in S. Mariæ Majoris æde marmoreum monumentum, quo Joannis Patritii, qui sacram illam Basilicam suo ære Mariæ sacram Virgini erexerat, conduntur ossa? Fortassis etiam in sacra Basilica, quam ædificarat, tumulum habuit Nicomedes ille, cui multa epitaphia posuit Gregorius Nazianzenus? (*c*) Quod si hanc ipsam ob causam in sacris ædibus, quas erexerant, sepultos dices Clodoveum Regem, Choltidem Reginam, Regem Edilbertum, & ante hos omnes Constantinum Imperatorem, id sane dices, quod a verisimilitudine alienum minime est. Quis enim minus verisimile id putet, quum legerit Epitaphium in Liviam, quod Nazianzenus illi quidem composuit? En illud latinitate donatum a clarissimo Muratorio (*d*)

(*a*) cap. primo vitæ S. Ecclesii.

(*b*) pag. 99.

(*c*) Vide Anecdo. Græca Muratorii pag. 35. 36. & 37.

(*d*) Epig. 37. pag. 17. Anecdo. Græco.

Una

Una domus, sed inferiori parte sepulcrum, superiori Templum
Tumulus iis, qui ædificarunt, Templum martyribus.
Et illi quidem dulci jam pulvere contecti,
Uti & tu beata Amphilochii uxor Livia &c.

II. Nihil vero necessum est plura veterum testimonia aggregare, postquam noverimus haud paucis aliis id minime fuisse denegatum. Certe nec recens, nec improbandus scriptor Ambrosius est. Is tamen Satyro fratri sepulcrum in sacra Basilica tribuit: quod quidem cum constet ex iis, quæ tradidit §. decimooctavo orationis, quá *de excessu fratris* inscripsit, (quæque hic non refero, quòd ea jam descripsi) tum etiam constat ex Epitaphio, quod illi posuit, & tale est. (*)

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

III. Celsum puerum in Templo sepultum tradit S. Paulinus hęc elocutus. (*)

Quem Complutensi mandavimus Urbe, propinquis
Conjunctum tumuli fœdere Martyribus;
Ut de vicino Sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purget in igne animas.

IV. Celso puero jure meritoque laudato a Paulino, duos alios pueros jungo, Bononienses, ut opinor, morum innocentia laudatissimos. Describere hic liceat, quod de iisdem narrat Sigonius. (f) „ Eodem sedente „ (Eusebio) anno tercentesimo nonagesimo sexto sepul„ ti sunt in Basilica duo pueri Christiani cum his verbis „ in lapide sculptis, qui adhuc ibi extat. *Hic requies„ cunt duo fratres innocentes Constantius Neofitus, qui vi„ xit annos VIII. M. II. D VI. depositus Id. Nob. Conf. „ DD. N. N. Arcad., & Honor. Augg. Justus Fidelis, „ qui vixit Annos VII.*

V. Quod si cubicula in Ecclesiæ porticu posita ad Ecclesiam ipsam pertinere vis, eos quos familiarium vocabulo Paulinus appellat, in Ecclesia sepultos dices. En rursus Paulini verba in epistola ad Severum *pręterea memoriis Religiosorum, ac familiarium accommodatos ad pacis ęternæ requiem locos præbent:* Neque enim credibile est clericos tantum familiares habuisse Paulinum. Id ipsum fortasse

(*) refert Dungalus adversus Claudium Taurinensem pag. 197. part. 2. tom. 4. Biblioth. Patrum.

(*) in Panegyrico Celsi pueri v. 605.

(f) de S. Eusebio pag. 18.

[*] olim 13. num 32. n. 12.

(*) aliàs 18. *de Sanctis.* & inscribitur *in Natali SS. Tauricorum Martyrum.*

comprobat S. Maximus, dum in sermone 62. [*] quibuscunque, dummodo probis, in sacris Basilicis sepulturæ locum concedere videtur. ,, Ideo (inquiens) hoc a Majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos Tartarus metuit, nos pœna non tangat; dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate.

(*) pag. 132.

VI. Verum his non indigemus; ut pote qui antiquissima hujusce consuetudinis monumenta habemus. Sane in Actis S. Saturnini (aut si vis in appendice eorundem Actorum, certe apud Ruinart) n. 6. hæc extant. (*) ,, Mansit aliquamdiu sub vili cespite . . . . Procedente dehinc tempore, cum multorum ad basiliculam illam fideliter a sæculo recedentium pro solatio propter corpus Martyris quiescentis deferrentur exsequiæ, & locus omnis tumulatorum corporum multitudine fuisset impletus; Sanctus Silvius &c. Neque enim hic clerici tantum, aut religiosi indicantur, qui sepelirentur in Basilica S. Saturnini.

(*) anecdo. Græca dispu. 3. pag. 258., & sequen.

[*] in oratione 10. in funere Cęsarii fratris pag. 169. to. 1.

VII. Quod si rursus ex Oriente proferri vis ad hunc morem comprobandum exempla, facile ea dabo, illa mihi subministrante Viro illo clarissimo, quem cum alibi sæpe, tum hoc de argumento agens sæpissime cum laude allegavi, Muratorio nempe. (*) Hanc porro consuetudinem haud immerito colligi putat ille ex illis Gregorii Nazianzeni verbis (*): *Nunc nobis magnus Cæsarius servatus est, cinis pretiosus, mortuus laudatus, ex hymnis in hymnos transmissus, ad Martyrum sacraria cum pompa ductus.* (37)

VIII. Ne porro a Nazianzeno discedam, si is auctor est Epigrammatis 133. inter ea quæ Muratorius evulgavit, tradit

[*] in Analec. græcis Mura. epig. 66. pag. 61.

[37] Sane ad Cæsarium refert subsequens Gregorii Nazianzeni Epigramma Clarissimus Muratorius, quo quidem constat in sacra ęde prope Martyrum tumulum fuisse illum positum.

* Propinqui Martyres sitis propitii, & sinu excipite
Martyres, vestro, prolem Gregorii
Gregorii, & Nonnę inclytę, tum pietate
Tum sacris tumulis in unum collectos.

Ad quod quidem Epigramma consule, quæ adnotat nuper etiam laudatus Claris. Muratorius.

tradit ille apertissime Gregorium adolescentulum juxta sanctos Martyres a Gregorio avunculo suo fuisse positum (*)

Gregorium avunculus, sacerdos magnus, heic composuit
Gregorius, juxta puros Martyres collocans
Adolescentem, Florentem, impubem &c.

IX. At sane id Nazianzenus cum Nonna matre sua praestitit: cujus quidem rei testem esse volo eundem Nazianzenum Muratorio inter prete haec elocutum (*)

Nonnae spiritus evolans in Coelum ascendit,
Ejus vero corpus e Templo Martyribus apponimus.
Igitur Martyres, magnam hostiam suscipite, & fatigatum
Corpus vestro sanguini sociatum.
Vestro, inquam, sanguini; nam animarum perditoris
Vires ingentes illa perpetuis laboribus repressit.

X. Nonnae cadaveri cadaver Gregorii Episcopi, antea ejusdem Nonnae conjugis, & Gregorii Nazianzeni patris, fuisse sociatum, subsequenti ejusdem Nazianzeni, aut alterius vetusti auctoris epigrammate compertissimum fit (*)

Alacres terram hanc caris sub manibus filii
Induimus, nos pii parentes Gregorii
Qui & senectutem reddidit suis laboribus levem
Nostram, & nunc prosequitur nos sacrificiis.
Respira a laboribus senectutem sustentantibus, filiorum praestantissime
Gregori, pios Martyribus apponens.
Parentes tuos &c.

XI. Et prope Martyres quidem sub eodem lapide quo tegebatur illius pater, ideoque in aede sacra, sepulcrum habuisse, aut certe elegisse eundem Gregorium Nazianzenum ex subsequenti, id est 119. Epigrammate liquet. (*)

Lapis unus patrem, & natum inclytos
Tego Gregorios: unus, inquam, lapis, aequalia lumina,
Ambos Sacerdotes. Alter nobilem excepit
Nonnam cum magno filio Cesario.
Sic partiti sunt tumulos, & liberos &c.

XII. Ecce tibi (ne cuncta persequar) quàm perspicue eum, de quo agimus, morem, indicet Nazianzenus, ex quo quidem si alia adhuc exempla desumi vis, praesto sum, aliaque praebeo. In Epitaphio Eusebii, & Basilissae, haec ait (*)

Euse-

(*) in Anale. Graecis epig. 133. pag. 134.

(*) Ibidem pag. 91. & 92.

(*) pag. 112. Epig. 118.

(*) pag. 113.

(*) Ibidem. Epig. 46. pag. 43.

Eusebius, & Basilissa illustres heic siti sunt;
Xolorum divinorum alumni, Christiferi,
Et Nonnæ eximiæ sacrum Corpus.

XIII. His adde, si vis, ea quæ de Macrina Sanctorum Basilii Magni, & Gregorii Nisseni sorore, ejusque parentibus in Martyrum Basilica tumulatis testatur Gregorius Nissenus in oratione de Sancta Macrina cap. 24. quam quidem ad diem decimam nonam Julii retulit Surius. En illam,, Porro quum inter secessum, & sanctorum Martyrum ædem, in qua parentum etiam Corpora quiescebant, septem, octove intercederent stadia, totum prope diem in eo spatio conficiendo consumpsimus . . . . . . Quum parentum jam esset patefactus tumulus, in quem illam decreveramus inferre . . . . sacrum corpus e feretro tollentes, juxta matrem apposuimus &c.

XIV. Quamquam autem non multum subsequenti exemplo nitor: video enim a Catholicis, non ab hæreticis desumendas esse, quas imitemur, consuetudines, tamen illud referre volo, ut ex eo etiam constet, quàm vulgatus, diffususque esset hujus modi mos. Tradit Sozomenus (*) mulierem quandam Eusebiam nomine *diaconissam* sectæ Macedonianæ, quæ sacras reliquias quadraginta martyrum in ædibus, & horto haud procul ab Urbis Constantinopolitanæ mœnibus posito, servarat, cum moritura esset, eum locum Monachis sectæ suæ reliquisse, eis jure jurando obstrictis, ut ipsam illic sepelirent.

(*) lib. 9. cap. 2.

XV. Et his quidem positis audebitne scitulus aliquis Catholicos incusare, quasi adversus vetustas sanctissimasque primorum sæculorum consuetudines illic sepulturam eligant, quò nemo ex veteribus inferri voluit? An recentia ea sunt, quæ protulimus monumenta, aut fortasse tam levia, aut parvi momenti, quæ adduximus exempla, ut illa sequi non sit laudatissimum?



CAP.

CAP. LXII.

Poposcisse tamen Ecclesiam, ut ii, quos in sacris ædibus prope Sanctorum tumulos condi permittebat, probitate, dum viverent, illustres forent.

I. QUando quidem de vetusta consuetudine sepeliendi fideles in templis usque adhuc disseruimus, non alienum fuerit, idem argumentum prosequi, eamque diligentius exponere conditionem, quam ut eum honorem fidelium cadaveribus impertiretur, Ecclesia exquisivit:

II. Porro iis, quæ paulo ante ex S. Maximo recitavimus, verbis *attamen consocii sanctitate*, innuit idem S. Maximus eam conditionem quam ad tribuendam cadaveribus in sacris ædibus sepulturam, exposcere consuevit Ecclesia; Et sane præclarissimi Antistites Ambrosius, Nazianzenus, & Paulinus pietatem eorum, quos in Ecclesia condi voluerunt; tum ad eorundem commendationem, tum ad aliorum incitamentum ea ratione honorare voluerunt. Neque vero id tantum modo exquisivit aut D. Maximus, aut reliqui sanctissimi viri, quos nuper allegavi. Adeo id Ecclesiæ cordi fuit, ut sæpissime id indixerit. Equidem non video quid cogitari possit expressius Canone 52. Concilii Moguntini, (a) quem alibi quidem attuli, sed hic, si repetam, non abs re erit. *Nullus sepeliatur nisi . . . aut digni Presbyteri, aut fideles laici.* Verum tum ante, tum post celebratum Concilium istud, id efflagitavit Ecclesia ab iis, qui in Templis sepeliri cupiebant. Quid Concilium Meldense anno 845. celebratum? (b) Nonne hæc proponit? „ „ Nemo quemlibet mortuum in Ecclesia quasi hæreditario „ jure, nisi quem Episcopus, aut Presbyter pro qualitate „ conversationis, & vitæ dignum duxerit, sepelire præsu„ mat. „ Quid Theodulphus Aurelianensis? „ (c) Anti„ quus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mor„ tuorum usus fuit, & plerumque loca divino cultui „ mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata „ cœmeteria sive polyandria facta sunt. Unde volumus, „ ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia „ sepe-

(a) tom. 9. Concil. pag. 339.

(b) can. 72. tom. 9. Concil. pag. 982.

(c) in suo capitulari cap. 9. Concil. pag. 186.

„ sepeliatur; nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut „ cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem „ vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit.

III. Id etiam multo antiquius Theodulphi ætate (*) epitaphium Mariniano Ravennati Episcopo positum innuit, quod quidem ab Agnello refertur, ex quo pauca hæc delibare placuit. (*)

(*) fuit Marinianus Gregorii Magni æqualis, & ad eum multæ Gregorii Epistolę diriguntur.

(*) tom. 2. p. 1. Rer. Italica. pag. 130.

Sanctificus semper monitis memorande Sacerdos
Hoc positus tumulo Mariniane jaces
* * * * * * * * * *
Quod tamen his templis meruisti sumere busta,
Te placuisse Deo, tanta sepulcra probant.
Utque vices Christi gessisti rite Sacerdos;
Ipsius inque locis sit tibi sancta quies.

quod quidem epitaphium paucissimis mutatis repetitum invenies capite quinto vitæ Damiani ejusdem civitatis Episcopi (*d*).

(*d*) Ibidem. pag. 157.

IV. Profecto, ubi mos viguit in sacris ædibus prope sacros Martyrum cineres fidelium Corpora sepeliendi, diligentissime cavit Ecclesia, ne indigni improbique in iis conderentur. Id etiam comprobant ea, quæ mihi legenti Iter Italicum Mabillonis verba occurrerunt, & quæ dignissima reor, ut hic transcribantur (*e*) „ Urbanus IV. „ vetuit, ne quis citra permissum Pontificis (quod an„ tiquitus cautum fuisse legimus) in ea (*Romana Petri* „ *Apostoli Basilica*) tumularetur, ut nos docet ejus di„ ploma Capitulo basilicæ Vaticanæ directum, in quo „ conqueritur, quod *erga Sanctos, quorum gloriosa corpo*„ *ra in eadem basilica requiescunt, sic indevote se gererent,* „ *quod etiam contra canonicas sanctiones mortuorum corpo*„ *ra quasi passim in ipsa, in qua vix passus pedis vacat se*„ *pultura Sanctorum, præsumptione temeraria tumularent,* „ *cæcæ cupiditatis illecebris seducti potius, quàm miseratio*„ *ne pietatis inducti. Inde fieri, ut plerumque sepulcra* „ *reverenda Sanctorum, quæ antiquorum Patrum sancta de*„ *votio debita diligentia consignavit, ausu sacrilego vio*„ *lantes, cum piis impios, cum justis injustos, & cum San*„ *ctis sontes dispari consortio, ac societate damnabili impie* „ *sociarent.* „

(*e*) par. 1. to. 1. pag. 51.

V. Neque id primùm Ecclesia vetuit. Ne hic repetam, quæ nuper tradidi, haud inverisimilem arbitror Clarissimi Muratorii ad quædam Hilarii verba conjecturam: monuisse scilicet Hilarium non commiscenda esse cum

San-

Sanctorum cadaveribus infidelium corpora, tam etsi in sacra aliqua æde patrium sepulcrum haberent positum ii qui a Christiana pietate, & doctrina alienam duxerant vitam. En quid doceat Hilarius ad illa Evangelii verba: (*) *dimittite mortuos sepelire mortuos*. (*) „ Ostendit „ Dominus inter fidelem filium, patremque infidelem „ jus paterni nominis non relinqui. Non igitur obse„ quium humani patris negavit, sed admonuit, non ad„ misceri memoriis Sanctorum mortuos infideles: mor„ tuos autem etiam eos esse, qui extra Deum vivunt. „

(*) Matth. 8. 22.
(*) in comment. in Matth. T. 1. col. 703.

VI. Quod si vel ob errorem, vel ob ministrorum improbitatem aliquando contigit, ut in sacris ædibus improborum cadavera sepelirentur: id vehementer displicuit Sanctis Patribus, & summum in modum id ii reprehenderunt. Vis ne id conspicere expressissime damnatum? Audi quid Nazianzenus scripserit (*)

(*) in epigrammate quod inscribitur *in effodientes, sepulcra prætextu Martyrum* n. 137. pag. 138.

Ter morte digni, primùm quidem miscuistis corpora profanorum
Martyribus; & sepulcra Sacerdotum utrinque habent.

quæ verba sic interpretatur scholiastes quidam manuscriptus in Ambrosiana Bibliotheca servatus, & ab egregio Muratorio evulgatus. (*) „ O ter execrandi, terque morte „ digni primo quidem impurorum hominum Corpora „ Sanctorum Martyrum Corporibus commiscuistis. Se„ pulcra vero profanorum Sacerdotes sæpe circumqua„ que obsident.

(*) pag. 161.

VII. His adde canonem 17. Concilii Triburiensis, (*) & verba Durandi paulo ante allegata: id quippe quod dicimus, plane confirmant. Plurima porro rationum momenta movere potuerunt Ecclesiam, ut hæc decerneret: sed præsertim ex eo motam arbitror quod hac ratione Christianos ad pietatem excitari voluit, ne scilicet summo emolumento post mortem se privarent, iisque destituerentur precibus, suffragiisque, in quibus fortasse non levem collocabant spem. Etiam quia probe noverat noxiam potius quàm proficuam futuram impiis hujus generis sepulturam: quippe aut ejicerentur ab eo loco, quem impudentissime occuparant, aut certe pœnas darent summæ impudentiæ, qualis est sancta loca, a quibus arcentur impii, incolatu suo temerare. Vide quæ narrat Gregorius Magnus cap. 51., & subsequentibus libri 4. Dialogorum: describit enim quonam modo nonnullorum improborum Ca-

(*) anno 895. celebrati. pag. 638. tom. XI. Conc.

davera ab Ecclesia ejecta sunt: duas hasce terribiles sane sententias adjūgens: (*) ,, Quos gravia peccata non deprimunt,
,, hoc prodest mortuis si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum
,, proximi, quoties ad eadem sacra loca conveniunt, suorum
,, quoque sepulcra conspiciunt, recordantur, & pro eis Do-
,, mino preces fundunt. Nam quos peccata gravia de-
,, primunt, non ad absolutionem potius quàm ad majo-
,, rem damnationis cumulum eorum corpora in Ecclesiis
,, ponuntur. Quid igitur sacra loca sepultis prosunt,
,, quando hi, qui indigni sunt, ab iisdem sacris locis di-
,, vinitus projiciuntur? ,, . Hæc Gregorius.

(*) eodem libro cap. 50.

VIII. At quamvis id jugiter exquisiverit Ecclesia: non ab omnibus tamen obtinuit. Gregorius Turonicus (*) testatur ab Ecclesia bis fuisse ejectum cadaver *Antonini cujusdam iniqui, Deo, & hominibus odibilis*. Ejusdem generis exempla, ut nuper dixi, subministrant Gregorius Magnus (*), Urbanus IV., aliique, quos allegavimus.

(*) lib. 1. Miraculorum, aliàs de Gloria Martyrum cap. 89.

(*) lib. 4. Dialogorum cap. 52. 53. 54.

CAP. LXIII.

Argumenta ea afferuntur, quibus hactenus dicta repellere, atque infirmare nonnulli contendunt.

I. INnumera pene sunt argumenta, quibus ea quæ superioribus capitibus proposuimus, impetunt adversarii; sed fortasse illa omnia ad tria capita revocantur. Primum complectitur ea monumenta, quæ tradunt non licuisse cuipiam in Urbibus sepelire Cadavera, sed tantum in agris, ideoque non in Basilicis. Alterum ea, quæ indicant fortasse licuisse in Urbibus sepelire cadavera, at certe non licuisse sepelire in Templis. Tertium ea, quibus edocemur non licuisse fidelibus omnibus tametsi probis locum sepulturæ in Ecclesiis eligere; sed aliquibus tantum iisque non laicis. Hoc tertium, ut videtis, postremam partem dictorum nostrorum tantum modo impetit.

petit. At duobus prioribus, si id quod optant, consequuntur, propositionem integram refellunt adversarii.

II. Ex primo capite sic porro disputant. Romanis edictionibus interdictum erat, ne ullus intra Urbem sepeliretur. (38) Hinc extra Urbem Romam sepulcra omnia posita conspicimus: Christianorum quidem in Cœmeteriis tum Romæ, [ubi & crebra, & tam etsi amphractuosa, ampla tamen extant Cœmeteria] tum etiam alibi, nam certe Cœmeteriorum meminit Concilium Eliberitanũ, & Cœmeterium Christianorum Turonis (in quo primum Turonensium Episcopum S. Gatianum condidere) fuisse intelligimus ex Gregorio Turonensi. (*a*) Martinus quoque Romanus Pontifex *reconditus est inter tumulos extra muros a stadio uno ipsius de cetero benedictæ Urbis Chersonis*, uti discimus ex Anastasio Bibliothecario. (*b*) Reliquorum vero tumuli in agro dispersi erant, ubi scilicet suum quisque aut elegerat, aut habebat, inter quos etiam Christiani interdum sepulti sunt. *In campo* (inquit Gregorius Turonicus (*c*) de Ursino primo Biturigum Episcopo loquens) *inter reliqua sepulcra populorum sepulturæ locatus est*.

III. Neque vero id peculiare Romanis fuit. Atheniensibus Solonis lege interdictum erat, ne cadavera intra Urbem sepelirentur. Chorinthiis simile jussum impositum fuit, uti discimus ex Pausaniæ lib. 2. En Pausaniæ verba. (*d*) „ *Accedentibus ad eam occurrere vidimus in via tumu-* „ *los, cum alios, tum prope ipsam portam Diogenis Synopen-* „ *sis, quem* Canem *Græci appellarunt*. Idem de Sicyoniis, narrat Plutarcus, (*e*) & de Smyrneis Cicero: (39) qui

Ddd 2

[*a*] li. 10. historię Francor. ca. 31. n. 1.

(*b*) in eo Opusculo quod Hipõnctiicum appellatũ est, extatque postrẽo loco inter collectanea Anastasii edita a Sirmõdo. Vide pag. 339. Tom. 3. Sirmondi.

(*c*) in libro *de gloria Confessorum* cap. 80.

(*d*) In ipso fere initio libri II.

(*e*) In fine Vitæ Arati: pag. 366.

(38) In duodecim Tabulis (apud Tullium 2. de legibus cap. 23. alias n. 58.) id prohibebatur his verbis: *In urbe ne sepelito, neve urito*. Adrianus quoque peculiari decreto, (quod extat in Diges: li. 47. tit. 12. de sepulcror. viola: §. 5.) idem vetuit; confirmavit vero Antoninus Pius (referente Julio Capitolino in ejus vita prope finem. (*)) Extat etiam hac de re Diocletiani, & Maximiani decretum in li. 12. Codi. de religios., & sumpti. funer. quibus quidem edictionibus, si tu vis, adde Pauli Jurisconsulti, aliorumque veterum hoc de argumento notissima monita.

(*) pag. 278.

(39) „ Vellem tantum habere otii ut possem recitare psephisma Smyrnæorum, quod fecerunt in Castricium mortuum: primum, ut in oppidum introferretur: quod aliis non conceditur. „ In Oratione pro Flacco num. 75. cap. 31.

(*) lib. 5. Tusculanarum cap. 23. n. 65.

qui de Syracusanis ipsum edocet. (*) Denique, ne cunctos afferam, Plato non modo vult in agris sepulcra fieri, verum huic muneri seligi agros steriles, & qui reliquis usibus inutiles sint (40) Quæ quidem leges cum interdum negligerentur, renovatæ sunt a Principibus, & præsertim a Romanis. Vetustum est quidem, sed tamen hic memorandum Senatus Consultum (Consularem edictionem appellant alii) quod anno ab urbe condita fortasse 490. Duillio Conf. latum est. Cum enim legem XII. tabularum nuper indicatam negligi conspiceret, eam renovavit: (quod ex Servio intelligimus) (*f*) *Ante etiam* (inquit Servius) *in Civitatibus homines sepeliebantur: quod postea Duillio Consule Senatus prohibuit, & lege cavit, ne quis in Urbe sepeliretur.* At quid expressius fingi poterit ea lege, quam anno 381. Eucherio, & Syagrio Coss. tulerunt Gratianus, Valentinianus, & Theodosius Imperatores? En illam (*g*) „ *Omnia, quæ supra terram urnis clausa, vel sarcophagis corpora detinentur, extra Urbem delata ponantur, ut & humanitatis instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio sanctitatem* [*] *&c.* „ *Ac ne alicujus fallax, & arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, atque Apostolorum, vel Martyrum Sedem humandis corporibus æstimet esse concessam, ab his quoque ita, ut a reliquo Civitatis, noverint se, atque intelligant esse submotos.*

(*f*) ad librum XI. Æneid. Virgilii V. 206.

(*g*) lib. 9. Codic. Theodosia. tit. 17. lege 6.

(*) legendum *sanitatem*.

IV. Hinc quum S. Meletii cadaver Antiochiam delatum est, & juxta sepulcrum Babilæ Martyris intra Urbem receptum *præter morem, institutumque Romanorum* id factum esse testatur Sozomenus. (*)

(*) lib. 7. histo. cap. 10.

V. Neque Romæ tantum, aut in Oriente hic mos invaluit. In Galliis quoque is viguit: narrat quippe Gregorius Turonicus (quem sæpe citavimus) (*) „ Armentii Episcopi in Briccii *locum antea intrusi cadaver per* „ *aliam*

(*) lib. 2. histo. Franco. cap. 1.

(40) Tullius 2. de legibus cap. 27. alias n. 67. „ Sed videamus (inquit) Platonem, qui justa funerum reiicit „ ad interpretes religionum, quem nos morem tenemus; „ de sepulcris autem dicit hæc: Vetat ex agro culto, „ eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro; „ sed, quæ natura agri tantummodo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea „ potissimum ut compleatur: quæ autem terra fruges ferre, & ut mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis „ nobis minuat, neve vivus, neve mortuus.

„ *aliam portam fuisse elatum, cum homines missi a Briccio*
„ *ad eum tumulandum portam civitatis ingrederentur.*

VI. His adde ecclesiastica edicta. Hæc porro statuit Concilium Bracarense II. (*) *Placuit ut corpora defunctorum nullo modo in Basilica Sanctorum sepeliantur, sed si necesse est de foris circa murum Basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitatis, ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur: quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere?*

(*) can. 18. pag. 522. tom. 6. Concil.

VII. Profert quoque optimus Martene (*) verba hæc desumpta ex anonymo Turonensi in suo MS. speculo: *sola corpora Sanctorum debent in Ecclesia sepeliri, aut Episcoporum. B. tamen Martinus in Polyandro publico fuit sepultus: Gallicana enim Ecclesia ita privilegiata est quod homines non sepeliuntur in Urbibus: quia extra Civitates sunt Cœmeteria ab Episcopis benedicta. Nec etiam in matres Ecclesias solebant corpora introduci: unde in vicis antiquis sunt adhuc Ecclesiæ duæ: una quæ mater est, alia quasi filia, ad quam solebant corpora deportari, ibique Vigiliæ, & Missæ officium celebrari.* Et hæc quidem ad primum caput pertinent.

(*) li. 3. antiquorum Ecclesiæ ritum cap. 13. n. 10.



CAP.

CAP. LXIV.

Dissolvuntur primùm Objecta superiori capite argumenta.

I. EGo vero hæc tua argumenta leviora esse existimo, quàm ut consuetudo a me proposita oppugnetur. Quid si vim etiam summam in tuis objectionibus sitam dixerim, quod tandem assequeris, nisi (quod facile, si vis, dabo) intra Ecclesiæ septa, & parietes non omnes promiscue Fideles consuevisse sepeliri? Ostendam porro deinceps, (quum scilicet ad objectum Braccarensis Concilii canonem respondebo,) dici adhuc posse in Ecclesia sepulto eos, qui in porticu, & sacellis, atque adeo cœmeteriis Ecclesiæ adjunctis sepeliuntur. Ceterum ne videar hæc dicere, quasi non possem copiosius tua argumenta dissolvere: copiosius dissolvam, objectionum ordinem sequens. Itaque illi objectioni, quam ex Romanis, aliarumque *etiam nationum* legibus desumpsisti, quibus quidem vetitos Cives vis quo minus intra Urbium mœnia cadavera sepelirentur, sic occurro. Fateor statim tum Romanis, tum aliarum etiam nationum legibus interdictum fuisse ne Cadavera intra urbium ambitum sepelirentur. At neque id Gentibus omnibus interdictum est, neque ab iis ipsis quibus interdictum erat, adeo constanter servatum est, ut cadavera aliqua intra Urbes ipsas non fuerint condita. Profecto, referente Plutarco (*) Lycurgus Spartanorum legislator mortuos in Urbibus ipsis, & prope Deorum ædes sepeliri voluit; ne scilicet mortis metu, & horrore se capi sinerent. An non etiam Polybius [a] narrat Tarentinos *ab Oraculo admonitos tum demum beatiores fore, si cum pluribus habitarent; intra Urbem mortuorum cadavera cœpisse condere?* Neque vero adeo legibus, & consuetudinibus suis obsecuti sunt Romani, ut cadavera intra Urbem interdum condi non finerent. Multorum quidem judicio id indicat Arnobius dum hæc inquit, (b) „ Quid quod „ multa ex his Templa, quæ tholis sunt aureis, & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres, atque ossa, & functorum „ es-

(*) in Lycurgi vita in editione Basileensi an: 1549. pag. 19.

[a] libro historiæ suæ octavo Amstelodami pag. 742.

(b) libro 6. adversus Gentes. pag. 48. to. 15. Biblio. Pat.

„ esse corporum *sepulturas*? Verum id perspicue tradit Cicero, dum (c) interroganti Attico: *Quid, qui post XII. in Urbe sepulti sunt clari viri?* hæc reponit „ Credo, „ Tite, fuisse, aut eos quibus hoc ante hanc legem virtu- „ tis causa tributum est, ut Publicolæ, ut Tuberto, quod „ eorum posteri jure tenuerunt: aut eos, si qui hoc, ut C. „ Fabricius, virtutis causa, solutis legibus, consecuti sunt. „ An non Plutarcus (*) in urbe sepeliri posse ait triūphales Viros, & præstātes Imperatores? An non etiam multorū veterū testimonio cōprobatur (d) Vestales, Tyrannorū interfectores, eos quoque qui Rempublicam auxissent, ac virtute præcelluissent in urbe ipsa fuisse conditos? Quos tamen solos non fuisse in urbe sepultos, perspicue evincit ea ipsa lex, quæ Duillio Consule lata est, & quam tu objecisti: cur enim ea lata est, si lex duodecim tabularum quæ id ipsum fieri vetat, observabatur? An non denique, ut me ad Christianos convertam, id haud obscure indicant sacra Martyrum cadavera in urbibus ipsis interdum inventa? Quin etiam alia id genus exempla fortasse non rara adsunt, quibus certior fias, aut neglectas fuisse leges eas, quæ humari intra urbem cadavera prohibebant, aut certe tacite olim permisisse Principes, ut aliqua intra urbem cadavera sepelirentur? (*) Conijcimus vero Constantinum & reliquos Christianos Imperatores facile permisisse, ut sicut ipsi sua corpora in urbanis Basilicis condi præceperant, ita in iisdem Basilicis Episcoporum, Virorumque morum probitate præstantium corpora conderentur; curasse tantum ne hic honor omnibus permitteretur, iisque præsertim, qui vetustæ superstitioni addicti non modo religiosa, & sacra putabant sepulcra, verum etiam loca, atque ædificia adjacentia, adeo ut nec illa incoli, nec segetes seminari in istis possent: immo etiam eandem ob superstionem cadavera cremabant: nam potissimum *propter ignis periculum* eam legem fuisse latam non pauci tradunt. Et sane nulla proferre poteris exempla, quibus vetuisse Christiāos Imperatores ostendas, ne etiam Episcopi, & piissimi quidam homines in Templis conderentur: Ego vero eam in rem multa, neque ea levia monumenta a primis usque Ecclesiæ seculis, auctoritatesque repetii.

II. Sollicitum tamen, ut puto, te adhuc tenet lex illa, quam ab Imperatoribus Gratiano, Valentiniano, & Theodosio latam diximus: qua sane adeo manifeste videtur interdici, ne sepulturam quis sibi constituat in Urba-

(c) li. 2. de Legibus eodem ipso capite 23. alias n. 58. nobis objecto.

(*) in quæstionibus Romanis quæs. 79. pag. 140.

(d) Vide Sponda: de cœmeter. li. 1. cap. 14. n. 12.

(*) Vide Caroli Malvasiæ, *Marmor. Felsine.* sect. 5. cap. 13. pag. 298. & Chassanæum par. 2. pag. 43. Catalog. Glor. Mundi edit. Venetę 1569.

Etiam Tillemont tom. 3. hist. Eccles. pag. 404. non dubitat asserere S. Babylam, aut statim post illius mortem, ideoque imperante Decio, aut certe elapsis non amplius quàm 100. annis intra urbem Antiochiam fuisse conditum. Patriis sane in domibus sepultos fuisse interdum Martyres edocet Victor Vitensis capite 5. libro 1. ad quem quidem locū te allego.

banis Martyrum Basilicis: *ab his quoque, ut a reliquo Civitatis noverint se, atque intelligant esse submotos*, ut atteſtante litteratiſſimo Muratorio (e) Viri clariſſimi etiam catholici putaverint ab his Imperatoribus fuiſse interdictum, ne quis in ſacris Baſilicis ſepeliretur. At quamquam ab ea lege multi tam etſi doctiſſimi ita terreantur, ut indiſſolubilem difficultatem in ea ineſſe arbitrentur; quam ob cauſam eam ſublatam ajunt [f] a Leone ſapiente Imperatore, qui uti conſtat ex nov. 53. (*), præcedentia Imperatorum decreta abolevit his verbis: *at quod lex mortuos non niſi extra Civitates humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficere non eſt?* nolim tamen ob eam legem te multum angi. An neſcis minime univerſalem eſſe legem eam, ſed tantum modo Conſtantinopolim reſpicere, afficereque? A d Pancratium ſcilicet ejuſdem urbis præfectum directa eſt, atque in ea urbis tantum modo illius mentio ſit. Fac itaque ab ea lege prohibitos fuiſſe Chriſtiãos, non modo a ſepeliendis in urbe, verum etiam a ſepeliendis in ſacris Baſilicis mortuis, hoc tantum aſſequeris, quod facile dabo, fuiſſe interdictum, ne quiſpiam Conſtantinopoli cadavera tumularet. At quamnam editionem profers, qua quidem conſtet *id reliquis Orbis partibus* fuiſſe prohibitum? Porro ut vim habeat aliquam objectio tua, oſtendendum eſt tibi non in una urbe, aut provincia id fuiſſe interdictum, ſed in reliquis Orbis partibus, quæ Romano Imperio parebant. Præter quamquod (ut nuper diximus) non ita ſervata ea eſt lex, ut Imperatores, & Conſtantinopolitanos Epiſcopos ab uſitata, ideoque urbana ſepultura removerit. An non evincit Du-cange Conſtantinopolitanos Imperatores eos ipſos etiã, qui Theodoſium ſunt ſubſecuti in ſacra Apoſtolorum æde quã, uti diximus, propterea Conſtãtinus erexerat, ut in ea Imperatores, & Conſtantinopolitani Epiſcopi ſepulturam haberent, fuiſſe tumulatos? An oblitus es tradidiſſe (quod alibi etiam diximus) Pulcheriam Auguſtam non modo Flavianum nuper functum, verum etiam reliquos, qui eum in epiſcopatu conſtantinopolitano præceſſerant, fuiſſe in eadem ſacra æde ſepultos? Hæc etiam univerſim tradit Vir doctiſſimus, & accuratus Honuphrius Panvinus: [g] „ cum antiquitus tantum extra urbem in cæmeteriis hominum corpora ſepelirentur, pace Eccleſiæ data intra „ urbes ad Templorum limina, poſtea in ipſis Templis ſepeliri mos invaluit. „ At univerſalis ea fuerit, & ab

„ om-

(e) Anecd. græc. diſp. 3. pag. 267.

[f] Vide Thomaſſinum de benef. par. 3. li. 1. cap. 66.

(*) in Volumine Legum.

[g] *de ritu ſepelien. mortuos, de ſepulc. & epitaph.* cap. 7.

omnibus observata. Quid tandem assequeris? Minime licuisse in iis Basilicis sacris, quæ intra Urbis mænia continerentur, quempiam sepeliri. Porro quanam ratione evinces eam sepulturam, quam urbanæ basilicæ denegabant, basilicas alias extra urbium muros positas non tribuisse? An non amplæ Basilicæ extra Urbes ædificatæ jam fuerant? (*) An exiguæ, quæque plurima mortuorum cadavera non contineant, tibi videntur (ut exemplis aliquibus utar) Vaticana & D. Pauli Basilica in romano agro erectæ? An angustas, parumque aptas ad id muneris putas Basilicas Sanctis Petro, & Marcellino, aut Laurentio a Constantino, aut S. Agneti a Constantina Constantini Magni, ut fama perhibet filia extra Urbis mænia, ædificatas? Aut eæ solæ erant in agris constructæ sacræ ædes, perinde quasi ignoraremus fuisse traditū ab Anastasio Bibliothecario plurimas Ecclesias a Romanis Pontificibus in agris fuisse erectas, in quibus etiam interdum ii ipsi sepelirentur qui illas erexerant? (*b*) aut parum probabilia ea forent quæ hoc de argumento traduntur a multis? An etiam parum ampla excipiendis cadaveribus tibi videntur eæ Mediolanenses Basilicæ, quas olim extra Urbis mœnia positas recentior murorum ambitus intra urbem conclusit? Eæ sunt porro Muratorio haud dubio teste (*k*) Philippi Basilica (nunc S. Francisci) Portiana (nunc S. Victoris) Dionysiana, & Eustorgiana, quem ad modum & quæ S. Simpliciani nomine conspicua est. „ Quin S. Antistes Ambrosius (subdit idem Muratorius) Basilicas minimum duas, unam a SS. Apostolis nomen habentem, quæ deinde Nazariana nuncupata fuit, alteramque de suo homine excitavit, utramque procul dubio extra Urbem, ut in iis libere quorundam etiam Christianorum cadavera tumulo traderentur. „ Omitto reliqua exempla, ne videar in re notissima velle abundare. Suburbanę sane erant multæ ex iis sacris ædibus, in quibus ad Antiochenum populum, Chrysostomus verba habuit: Suburbana fuisse videtur ea sacra ædes, in qua Briccius S. Martini successor sepultus est, aliæque plurimæ qualibet in regione: & quibus aliquas Fidelium sepulturæ tantum modo fuisse destinatas ex iis ipsis, quæ tu objecisti: Anonymi Turonensis verbis colligo: (*l*) „ in vicis antiquis sunt adhuc „ Ecclesiæ duæ: una quæ mater est, alia quasi filia, „ ad quam solebant corpora deportari, ibique vigiliæ, &

(*b*) Nobilis sane fuisse videtur ea Basilica in qua conditus est Marcus Romanus Pontifex: illi nempe (quod discimus ex Anastasio) ampli redditus a Constantino assignati sunt. Ea porro (quod antea vidimus) *cœmeterium* etiam appellatur. Liberius etiam habitasse dicitur in *cœmeterio* S. Agnetis. Joannes III. retinuit se in *cœmeterio*. Sergius Missarum solemnia celebrabat in cœmeteriis. Deique Gregorius III. in diebus natalitiis Martyrum luminaria disposuit in cęmeteriis ad vigilias faciendas. An si exiguę hę fuissent ædes, ea quæ diximus, Romani Pontifices in iis peregissent? Peregerunt tamen uti discimus ex Pontificali a Claris: Vignolio diligentissime edito.

(*i*) Vide quę tradit P. Laderchius: de Basilicis SS. Petri, & Marcellini cap. 5. & 6.

(*k*) In ana. græcis pag. 270.

(*l*) in manuscripto, speculo referente Mart. lib. 3. de Antiq. Eccles. ritibus cap. 13. n. 10.

,, & Missæ officium celebrari. ,, Quo quidem scriptore vetustior fortasse, & præstantior Hincmarus est, qui de funere S. Remigii agens, eundem morem haud obscure indicat. (41) Quibus animadversionibus positis facile, & paucis objecta loca dissolvo.

IV. Quod peculiariter ad Concilii Braccarensis canonem 18. attinet, posteriorem illius partem, quæ urbanam sepulturam respicit, nuper dissolvi. Quod ad priorem partem attinet; fateor equidem, neque omnino constantem neque a fidelibus omnibus receptam olim fuisse consuetudinem eam, quam nostris temporibus in Italia saltem, communem conspicimus, ut Fideles intra templorum ambitum sepeliantur. At iste mos nostra ipsa ætate non ab omnibus observatur. Siquidem rurales ecclesiæ sepulturis fere carent: quin etiam, ut reliquos prætermittam, Patres Cartusiani, & ii quos *Capuccinos* vulgato nomine appellamus in Cœmeteriis extra Templorum septa plerumque sepeliuntur. At ii ipsi, qui extra

(41) Hincmari verba, ut pote multa aptius ad paginæ calcem reiicienda duxi. En porro illa. (*) ,, Cùm funus sanctissimum ,, (*S. Remigii*) deferretur ad sepulturam, versùs Ecclesiam sanctorum Martyrum Timothei & Apollinaris, secus Ecclesiam S. Christophori Martyris in loco ubi ex ,, tunc & nunc Crux est posita, & ubi multa miracula ,, Deus postea per S. Remigium ostendit; ita feretrum est ,, aggravatum, ut nullo modo quocumque ingenio, vel ,, a quanticunque hominibus posset moveri. Et stupentibus omnibus, & petentibus Dei omnipotentiam, ut ,, dignaretur ostendere in quo loco ejusdem sui sancti corpus vellet reponi: designaverunt ad Basilicam præfatorum Martyrum; & feretrum moveri non potuit. Proposuerunt, ut ferretur ad Ecclesiam S. Nicasii, & moveri non potuit. Proposuerunt, ut ferretur ad Ecclesiam SS. Sixti, & Siricii, & nec sic moveri potuit. ,, Tandem coacti, quoniam parva Ecclesiola erat, in honore ,, B. Martyris Chrystophori, sed nullum corpus nominati Sancti in ea jacebat, & in qua, eique circumjacentibus atriis ex antiquo erat cœmeterium Rhemensis Ecclesiæ: Petierunt ut Dominus declareret, si in eadem ,, Ecclesiola vellet illud corpus sanctissimum poni: & sic ,, tanta facilitate motum est feretrum, ut nullum onus ,, portantes sentirent; sepultum est autem illud venerabile corpus in eadem Ecclesiola, ubi altare est in honore S. Genovefæ, quæ familiarissima extitit B. Remigio.

(*) Hincmar. in vit. S. Remig. apud Surium tom. 1. 13. Januar. pag. 305.

extra Ecclesiam, sed tamen in ædibus, aut cœmeteriis illi proximis, & ad eandem Ecclesiam aliqua ex parte pertinentibus sepeliebantur, aut nunc etiam sepeliuntur, neque caruere, neque nunc carent iis emolumentis, propter quæ Fideles intra Ecclesiæ septa condi concupierunt. Non hic quidem de peculiari illa benedictione loquor, quæ Cœmeterio impenditur. (*) At sane pars quædam & veluti appendix Basilicarum cœmeteria credita sunt: (in quibus quidem aliquando cellulæ erant) (*) hinc Donatistæ ut prohiberent Catholicos sepeliri in sacris cœmeteriis, (ut scilicet in iis soli sepelirentur) Basilicas per vim occuparunt. (42) Itaque si sacræ Basilicæ Sanctorum præsidio veluti committebantur, etiam cœmeteria eorundem Sanctorum præsidio committebantur; interdum fortasse sacris reliquiis decorabantur ædiculæ, porticus, & alia Templo proxima ædificia (in quibus quidem locis sepeliri consueverant ii Fideles, qui in templis non condebantur) nec iis fortasse omnino carebant cœmeteria ipsa. Et ut nihil dicam de Romanis cœmeteriis, quæ fere alicujus Sancti nomine insigniebantur, vel quia auctor eorum erat; vel quia sacræ illius reliquiæ ibi condebantur, vel affinem aliam ob causam; indubitata res est aliis quoque locis, ubi cœmeteria erant, veterum Sanctorum corpora fuisse condita, & alicujus Sancti nomine fere appellata, quæ res, nisi fallimur, ostendit simile quodpiam in eorum dedicatione, seu benedictione fortasse fuisse factum, quod in Templorum & Altarium dedicatione consecrationeque factum novimus, ideoque alicujus Sancti præsidio, & tutelæ fuisse commissum. Quid quod si ex uno esse potest conjectura de cæteris, communicatio quædam erat cœmeterii (ideoque eorum, quorum corpora in cœmeterio sepulta erant) cum altari. sub quo præcipui Sancti corpus condebatur, proindeque cum Sancto ipso, ut mox explicabimus? (*) Testatur id de S. Victorini cœmeterio claris. Joannes Marangonus in eo libro, quem *Acta S. Victorini* inscripsit (*) ad quem quidem incredulum lectorem

[*] Vide quę tradunt Grego. Turon. cap. 106. libri *de gloria Confesso.* & Rituale Roman. *de benedi. comete.*

(*) Grego. Turo. & Hincmarus mox citandus.

[*] Hac ratione forlasse sepulti dicuntur Zosimus *juxta corpus B. Laurentii* & Bonifacius *juxta corpus S. Felicitatis.* [Pontificale quod *Damasi* appellatur.]

(*) pag. 35.

 alle-

(42) *Quid referam etiam illam impietatem de vestra conjuratione venientem, quia ad hoc Basilicas invadere voluistis, ut vobis solis cimiteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora catholica.* Optatus Milevita. li. 6. sub finem pag. 120. editio. Albaspinæi ann. 1679.

allego. Quæ deinceps de loco, & discriminibus sepulturæ in templis differam, cumulatius difficultatem hanc tuam dissolvent. Ad eum itaque locum lectorem etiam amando. Et de objecto Braccarensis Concilii Canone hactenus.

V. Difficultatem porro ex anonymo Turonensi desumptã dissolvere nullũ propemodũ negotiũ est. Quid tandẽ objectione ea conficis? Hoc profecto tantum modo: in aliquibus regionibus minime sepeliri consuevisse in nobilioribus sive urbium, sive vicorum Ecclesiis cadavera. Id utique fateor. At in aliis regionibus secus fiebat, quod jam ostendi; Quid quod ea ipsa, quam obiicis, consuetudo, propositæ a me sententiæ non adversatur; mihi enim satis est in sacris ædibus, quæ Sanctorum reliquiis, aut certe præsidio nobiles forent, aut saltem in locis quæ conjuncta his essent, ideoque, earum quas diximus, ædium quasi appendices, & continvatio quædam reputari possent, sepeliri consuevisse fidelium cadavera; Quod sane is fatebitur, qui ad objectum Canonem (si eum appellare ita vis) animadvertet. Adduci porro ad eum condendum Ecclesia potuit, quod publicæ preces quas ex veteri instituto recitant Fideles, ut mortuis suffragentur, sepultura ipsa, aliaque id genus quæ in funeribus facimus, facile ecclesiastica officia impediunt; quod ne fieret, in minus celebri ecclesia poni, & tumulari cadavera decrevere nonnulli Episcopi. Qui quidem ritus non omnino ablatus est. Memini enim præclarissimas, & piissimas Virgines, quæ Romanum ascetcrium, quod *speculorum Turrim* appellant, duas Ecclesias mihi ostendisse, in quarum una divina officia, missæque quotidie celebrantur, in alia cadavera earundem Virginum, quum eas mori contingerit, exponuntur. Hęc ad primum objectionum caput dicta sint satis.

CAP.

CAP. LXV.

Afferuntur, & dissolvuntur secundi generis argumenta.

I. Licet sententia nostra (uti vidimus) & præclare fundata, & fortiter defensa fuerit, non desunt, qui illam aliis quoque momentis convellere student. En itaque alterū objectionum caput, quod ea scilicet argumēta continet, quibus ostendi volunt, etiam si fortasse in Urbibus concessum foret humari corpora, certe in Ecclesiis ea humari non potuisse: In Testamento S. Ephrem Diaconi hæc eloquitur idem S. Ephrem. *Si quis fallacibus rationibus ausus fuerit me sub Altari collocare, supremum, ac cæleste Altare talis nunquam videat: sed neque in alio loco Templi permittatis me poni.* Cujus rei rationem hanc affert sanctus Vir, quaquidem ea refelli videntur omnino, quæ de more sepeliendi fideles in templis diximus: *non enim decet vermem putredine scatentem in Templo, ac sanctuario Domini reponi.*

II. Eundem morem comprobat auctor vitæ S. Fulgentii (a) his verbis. *Primus in Basilica Pontifex poni meruit, ubi nullum mortuum, neque Sacerdotem, neque laicum, sepeliri antiqua consuetudo sinebat, sed magna vis dilectionis removebat impedimentum consuetudinis.*

III. Id ipsum vetuit Concilium Namnetense Canone 6. (*) „ Prohibendum (inquiens) etiam secundum „ Majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut porticu, aut in exhedris Ecclesiæ: (legunt alii *extra Ecclesiam*). Infra Ecclesiam „ vero, aut prope altare, ubi corpus Domini, & sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi.

IV. Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus (b). *In Ecclesia sanctificata* (inquit) *nulli mortui sepeliantur: si autem ibi mortui, antequam fuerit sanctificata, sepulti sunt, non sanctificetur.*

(a) apud Bollandum & Surium 1. Januarii; pag. 42.

(*) To. XI. pag. 659.

(b) in suo Capitulari n. 88. In Spicilegio Tom. I. pag. 488. editionis 1723.

V.

V. An non etiam Alfridus in vita S. Ludgeri Mimigardefordensis Episcopi (c) adtestatur nunquam illum permisisse, *ut in Ecclesia consecrata sepeliretur corpus humanum*? Id porro si adhuc vis Ecclesiasticis sanctionibus confirmare, præsto sum, tibique suggero expressissimam ecclesiasticam legem, quæ id prorsus vetat. Sane in collectione ecclesiastica constitutionum, quæ edita est a Balsamone (d) hæc reperies: *In Ecclesiis Apostolorum, vel Martyrum sepelire non licet*.

VI. Huc etiam spectant quarundam Ecclesiarum consuetudines, nullum omnino sepeliri intra Templi septa permittentium; Testatur sæpe citatus Martene (e) in Ecclesia Carnotensi nullum hactenus, ne Pontificem quidem fuisse sepultum. De Turonensi Ecclesia simile quodpiam narrat hisce verbis „ In Turonensem etiam Sancti Martini Basilicam nullus Canonicorum inducebatur, sed „ aut in S. Venantii, aut aliam vicinam Ecclesiam, ex „ qua precibus absolutis, & aliis Ecclesiasticis officiis, ad „ cœmeterium deportabatur „. Huc item spectare videntur ea D. Paulini verba (*), quæ jam retulimus; spectare etiam, si vis, poterunt tum ea, quæ ex Braccarensi Concilio, tum ea etiam, quæ ex Anonymo Turonensi jam sunt allata.

VII. Sed ne hæc tua quidem testimonia adversus me allata aliquid perficiunt. Etenim pleraque horum tanto lubentius excipio, quanto compertius habeo meæ sententiæ ea non adversari. Scilicet quum dixi veteres Fideles in Templis sepeliri consuevisse, non ita id intelligas velim, ut dixerim eos omnes intra Templi ambitum fuisse sepultos. Cum Templum nomino, porticus & reliqua ædificia Templo conjuncta, & ad illud pertinentia complector. Sic vero etiam veteres locutos fuisse arbitror. Nimirum non pauci edocent in Basilica Apostolorum fuisse conditum Constantinum Magnum, quum tamen a probatis historicis, quos profert Du-Cangius, (f) certi efficimur in porticu Basilicæ proximo fuisse tumulatū. Cetera testimonia, quæ neque hac solutione explicari possunt, neque ea, quam innuit auctor vitæ Sancti Fulgentii docens consuetudine quidem fuisse decretum ne cujusquam cadaver in Templo sepeliretur, & a *dilectione superatam fuisse illam* (consuetudinem) *illatumque in Basilicam S. Fulgentii corpus, & in ea conditum*: tu facile excipe, & fatere consuetudinem aliam, moremque indicare; at quod fieri non permittebant in iis locis, aut consuetudo, aut Pon-

(c) li. 2. cap. 2. n. 8. apud Bollandum 26. Martii.

(d) Extat tom. 2. Biblio. Juris Canonici veteris editi. Luteriæ Parisio. anno. 1661. pag. 1143. tit. 2. n. pariter 2.

(e) li. 3. *Antiquorum Ecclesiæ rituum* cap. 13. n. 10.

(*) in Epistola olim 12. nunc 32. pag. 73.

(f) cap. 5. lib. 4. Constantinopolis Christianæ.

Pontifices, aut veterum Synodorum editiones, in aliis locis consuetudo, Pontifices, & Synodorum indulgentia fieri finebat. Neque vero ad eas confugere volo causas propter quas vel improborum cadavera in Templum illata tradidit Gregorius Magnus. Quod si a me exposcis, ut unicuique testimonio peculiarem responsionem adhibeam, tuis jussibus pareo; & sic ex ordine objecta dissolvo. S. Ephrem suum cadaver sepeliri prohibuit sub altari, quoniam cum Episcopi tantum, & viri sanctitate eminentes; sub altari humarentur; metuebat ne ii qui viventis pietatem laudaverant, mortuum hoc honore afficerent; quem vir humillimus ut evitaret, eo tam sacro loco se condi vetuit.

VIII. Quid ad vitam S. Fulgentii, & ad Concilii Namnetensis objectum Canonem dicendum sit, ex nuper dictis, habetis.

IX. Sic porro id dissolvo, quod ex Theodoro Cantuariensi, & S. Ludgero objecerunt. Si præstantissimi hi viri in eo consenserunt, ne in Ecclesia consecrata sepeliretur corpus humanum, non continuo vetuerunt, in Ecclesiis aliis, quæ raræ sane non erant, cadavera sepeliri. In consecratis porro cadavera sepeliri vetuerunt, tum ob eas causas quas nuper recensui, tum etiam quia metuebant ne ingratus odor, qui emanare solet, ex sepulcris, in quibus crebro humantur cadavera, fideles averteret a frequentandis Ecclesiis. Huic quidem solutioni robur addunt ea ipsa quæ ex Martene objecerunt. Quod enim in aliquibus Ecclesiis, veluti in Carnotensi, aut Turonensi sepeliri canonicorum cadavera interdictum sit, non impedit quo minus in aliis provinciis multo aliter se habeat res. Porro nos communem consuetudinem paucarum Ecclesiarum consuetudini, quam peculiariter notant auctores, facile præferemus. Recole etiam, quæ ex anonymo Turonensi (cui notæ, ut arbitror, earum regionum consuetudines erant) ex Anastasio, & Hincmaro paulo ante retuli. Quibus porro monitis id quoque facile dissolvis, quod ex Balsamone objecerunt. Vel scilicet ad Constantinopolim ea lex restringebatur, (g) vel fortasse etiam prior illius pars (*in Ecclesiis Apostolorum*) eam tantum Basilicam innuit, in qua Imperatores, & Episcopos tumulari mos erat: immo suspicor simile quod piam dicendum esse de iis sacris ædibus, quas *Martyrum* vocat: fortassis enim Ecclesiam aliquam præstantiorem indicat,

(g) Vide dicta §. 52. capitis 65.

dicat, quàm per antonomasiam *Martyrum* appellabant: multitudinis autem numero utitur (*in Ecclesiis*) quod utramque Basilicam complectitur, & eam quæ *Apostolorum*, & eam quæ *Martyrum* appellabatur. Suspicionem hanc meam auget omissio Ecclesiarum tum Virgini deiparæ, tum Confessoribus dedicatarum. Cur enim eæ, quæ quidem plurimæ sane erant hic omittuntur, si in Ecclesiis omnibus tumulari cadavera prohibebatur? Ad Concilii Braccarensis 18. Canonem antea responsum est. (*)

[*] cap. 65. §. 4.

C A P. LXVI.

Afferuntur ea argumenta, quibus evinci ajunt paucorum tantum fidelium (e quorum numero seculares mediocri pietate præditi prorsus excluderentur) cadavera in Ecclesiis fuisse sepulta, iisque apta responsio adhibetur.

I. SUperioribus dissolutis difficultatibus, ecce nunc tibi aliæ, quibus quidem evinci ajunt paucorum tantum fidelium (e quorum numero seculares mediocri pietate præditi prorsus excluderentur) cadavera in Ecclesiis fuisse tumulata: quum tamen generatim dixerimus nos in Sanctorum Ecclesiis sepeliri consuevisse Fideles, si non improbos.

II. Porro hæc complectitur postremum hoc objectionum caput. Corpora Sanctorum tantum modo, aut certe Episcoporum in Ecclesia condi posse ostendunt nuper adducta Anonymi Turonensis verba. Immo etiam quod ad Sanctos attinet, ut cetera hic prætereamus, quæ jam attulimus, id ipsum indicat Testamentum D. Ephrem, cujus nuper verba produximus. Quippe credibile est propterea noluisse condi in Ecclesia, quòd in Ecclesia tantum modo conderentur Sancti: nolebat autem humillimus Ephrem, ne eum veluti sanctum haberent.

III. Episcopis vero reservatum fuisse tumulum in Templis, cum multa quidem ex iis ipsis quæ paulo ante produximus, ostendant, (atque in primis nuper descripta Anonymi Turonensis verba), tum certe (si vera audivi) anti-

quissima,

quiſſima, & adhuc perſeverans conſuetudo, qua prohibetur ne inprincipe Piſarum templo alii, præterquã Archiepiſcopi, condantur. Simile quodpiam indicare videtur S. Ambroſius in epiſtola *Domnæ ſorori* ſcripta: quippe docet decreviſse ſub altari ſe condi; *dignum enim eſt*, (inquiens) *ut ibi requieſcat ſacerdos, ubi offerre conſueverat*.

IV. Aliam rationem adducit Card. Bona „ (a) Hac eadem de cauſa (inquiens) veteris Eccleſiæ Patres, e„ piſcopos orthodoxos ſub altari ſepelire conſueverunt, „ ut cum ipſis ſacrificia, & ordinationes fierent: quia „ ad ſervandam fidei unitatem, & ad legitimam ſucceſ„ ſionem indicandam communionem viventis epiſcopi „ cum anteceſsore defuncto neceſsariam exiſtimabant. „ Quamquam ii ipſi, qui errori etiam pravo adhæſerunt, interdum ſub Altaribus conditi ſunt. Eudoxium arianum conſtantinopolitanum epiſcopum ſub altari fuiſse conditum diſcimus ex his Attici Verbis, quæ allegat, & ex græca in latinam linguam vertit Sirmondus: (b) *Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saulis ſepultura, neque Apoſtolis Arii impietatis ſectator Eudoxius ſub ipſum altare conditus*.

(a) li. 1. rerum liturgicarum cap. 19. in fine.


(b) in annota. ad caput 1. li. 4. Facundi Hermianenſis Epiſcopi to. 2. Operum Sirmondi pag. 369.

V. Porro prima ratio, ea ſcilicet quam adducit S. Ambroſius, quantum Sacerdotibus omnibus tametſi Epiſcopatu Sacerdotii apice minime potitis, patrocinatur, tantum etiam virium habet, ut laicorum cadavera a ſacro Altari arceat: convenientiſsimum quippe videtur, ut ab altari remoti ſint illi, qui cum altari participationem non habent. Et re vera multi ſunt canones (quorum aliquos jam produximus (*)) qui id omnino fieri vetant. At rurſus confirmemus alio vetuſti Concilii decreto: Triburienſis ſcilicet anno 895. celebrati: quippe Canone 17. hæc proponit. *Secundum ſtatuta Patrum, & experimenta miraculorum prohibemus, & præcipimus, ut deinceps nullus laicus in Eccleſia ſepeliatur*. Decretum vero iſtud iis probationibus confirmat hæc Synodus, quæ paucis comprehendi non poſsunt, quæque proinde in Canone ipſo legendæ ſunt.

(*) ca. 59. §. 2. 4. &c.

VI. Regum quoque, ac Principum venerationem, quam Deus enixiſsime efflagitat, imminuis, ſi parilem ſepulturæ locum illis, & vulgo permittas. Itaque ſi jam pridem illis, & Epiſcopis reſervatus eſt ſepulturæ locus in templis, fidelibus reliquis, præſertim plebeis, interdicatur neceſse eſt. Haſtenus adverſarii.

VII. Sic vero paucis hæc dissolvo. Præter Martyres, & Episcopos, alios quoque in sacris Basilicis fuisse sepultos, satis ostensum est: neque hic juvat repetere quæ jam diximus. Tametsi porro eæ omnes, quæ Episcopos ut sepulturam in sacris ædibus eligerent, impulere causæ, reliquos impellere non potuerint, ea tamen ratio quæ Constantinum permovit (ut scilicet particeps fieret precum, quæ in ea Basilica funderentur) & reliquæ quas deinceps afferemus, movere reliquos fideles potuere. Servatur autem suus Episcopis, Regibus, & Principibus etiam mortuis honor, si vel in peculiari templi loco condantur, ubi ceteros condi non liceat: (& sane S. Ambrosius sub Altari sepeliri optavit quo quidem loco nulli laico, nisi fortasse sanctissimo, sepulturam tribuere licuit) vel tumuli, & monumenta præstantiora eorum cadaveribus erigantur. Quamquam, ut crebro dixi, quum affirmavi in Ecclesiis sepeliri consuevisse Fideles, propositum meum non fuit asserere intra ipsos templorum muros fuisse omnes sepultos, sed eorum aliquos in ipsis Ecclesiis, alios vero in locis adeo propinquis, ut ad Ecclesias ipsas pertinere putarentur. Sed hoc de argumento peculiariter, & rursus statim agemus.



CAP.

C A P. LXVII.

Peculiariter agimus de loco, & discriminibus sepulturæ in Sanctorum Basilicis electæ.

I. INtra Templum ipsum aliquos olim fuisse conditos ea, quæ superiori capite produximus, manifesto ostendunt. Ad hæc: referente Gregorio Turonico [a] ad lævam altaris S. Quintianus sepultus est. Ad lævam Martyris Satyrum fratrem suum Ambrosius condidit; ideoque in Ecclesia: & nisi fallimur, Episcopi non modo Ravennates, Mediolanenses, Bononienses, & reliqui, quos recensuimus, verum etiam alii, fortasse non pauci, re ipsa sub altari, aut certe loco illi valde proximo conditi sunt. Sane intra Ecclesiæ, ut ita appellem, interioris muros conditi videntur ii, quos divina ultio ex eo loco expulit; cujus rei aliquot nuper exempla protulimus, aliique etiam: & certe (ut de reliquis sileam) in templo ipso fuisse aliquando conditas sacras virgines ex his verbis colligo. (*) *Inibi ad medium throni, juxta eam quam sibi paraverat* (S. Cæsarius) *condiderunt sepulturam* Cæsariæ Abbatissæ sororis S. Cæsarii. Et mox: *Sepultus est in Basilica S. Mariæ semper Virginis, quam ipse condiderat, ubi sacra Virginum corpora de monasterio suo conduntur.*

(a) capite 4. libr. *quem Vita Patrum* inscripsit. n. 5.

(*) libro 2. cap. ultimo Vitæ S. Cæsarii.

II. At si de plerisque agas, arbitror propterea dici in Ecclesia fuisse conditos, quod vel prope Ecclesiam, vel in ædificiis Ecclesiæ proximis, & ad Ecclesiá revera pertinentibus conditi fuere: fere autem enumerantur Atrium, porticus, Exhedra, & si qua sunt alia. (44) Nimirum, ut dixi, cum per-

[44] Vide, quæ docent Fontaninus *de Corpore S. Augustini*, (*) & Tillemont to. x. de D. Ambrosio loquens, (*) quorum monitis conveniunt ea, quæ Clarissimus Fogginus adhuc vivens (& utinam litterariæ Reipublicę bono diu vivat) (*) his verbis tradit. „ Quid quod ad prima Ecclesiæ secula ea est referen„ da sepulchralis inscriptio, quod etiam Bonarota op„ time novit, & tamen constat primis Ecclesiæ sæ„ culis nemini umquam datum fuisse non solum sub „ Altaribus poni, verum etiam neque in Ecclesiis ipsis „ recondi, nisi sanctis Viris, & Episcopis, & his non „ ante seculum quartum, & extra Italiam multo etiam „ re-

[*] cap. 24. in fine.
(*) art. 45. pag. 184.
(*) in laudatissimo tractatu *de primis Florentinorum Apostolis* pag. 22.

pertinerent ea ad Ecclesiam, & appendix quodam modo illius essent, Ecclesia utcunque appellari potuerunt, & nostris etiam temporibus possunt; & revera adhuc dicimus ecclesiastica sepultura privari eos, quos canonicæ sanctiones in cœmeteriis Ecclesiæ proximis sepeliri etiam vetant. Et hac quidem animadversione non modo concilias eos historicos, quorum alii docent in basilica, alii vero non in basilica ipsa, sed in basilicæ porticu sepultum fuisse Constantinum Magnum, (*) verum etiam ea decreta quæ sinunt in basilica sepeliri Episcoporum, Sacerdotum, aliaque etiam (dummodo proborum hominum) cadavera, cum iis quæ aut nullum omnino, aut Episcopum tantum condi in Templo sinunt. Scilicet Templi nomine ædificia cuncta, & loca quæ sunt Templo proxima, & quæ ad illud pertinere videntur, comprehendunt prima; excludunt vero secundi generis decreta. Sic explico, concilioque cum reliquis Canonem 18. Bracarensis II. Sic Canonem 6. Nannetensis II. Sic verba D. Paulini (*b*) „ Cubicula intra porticus quaterna longis Basilicæ lateribus inserta secretis orantium, vel in lege Domini meditantium: præterea memoriis religiosorum, ac familiarium accomodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent „; & reliqua his affinia, quę facile tibi prebebit Thomasinus. (*c*)

(*) Simile quodpiam occurrit in Augustino Anglorum Apostolo.

(*b*) In Epistola olim 12. nunc 32. n. 12.

(*c*) *Vet. & nov. disc.* To. 3. li. 1. cap. 65. & sequen.

III. Id si excipis, facile in Ecclesiis conditi ii dicentur qui in cœmeteriis Templo proximis, & ad illud quodam modo pertinentibus conditi sunt: neque enim video cur ii dicantur in Templo sepulti, qui in porticu, & cubiculis templo proximis sunt tumulati, & eos in Templo sepultos dicere verearis, quibus cœmeterium proximum Templo tumulum præbuit? Sed hoc de argumento legisse etiam juvabit, quæ Clarissimus Muratorius dissertatione decima septima in Paulini Nolani carmina a se edita, tradit. Itaque, ut rem concludam, ajo in ea Ecclesiæ parte, quæ Confessio appellata est solos Martyres, & sanctitate præstantes viros condi consuevisse; qui quidem crebro sub altari ipso conditi sunt: quamvis

„ recentius? „ Et sane *si Templum, seu Domus Domini* (*) appellabantur ea ędificia quę Templo proxima erant, & sacerdotum usibus inserviebant: cur *Templum, & Sacra Basilica* non appellabuntur ea ædificia, quæ Templo, & Basilicę proxima *orantibus, & in pace quiescentibus* sunt destinata?

(*) 4. Reg. 11. 3.

vis honor postremo loco commemoratus Episcopis aliquando tributus sit, sed longe diversam ob causam, quam alibi adduxi. (*) At sane Episcopos intra Ecclesiam, immo non raro prope Altare sepeliri consuevisse arbitror, in eam sententiam me inducentibus argumentis iis, quæ cum antea allata sint, hic repetere non est necesse. Abbates quoque, & Presbyteros eodem honore (multis saltem in locis) fuisse potitos, etiam arbitror. Fortasse Diaconi, & reliqui Ecclesiæ ministri si probi fuerant, intra templorum septa (multis saltem in locis) tumulati sunt: neque enim conveniens erat mortuos arceri ab altari, qui viventes altari cum laude inservierant. Seculares (si quosdam pietate eximios excipias, qui in templis ipsis sepulti sunt) ad ostia templorum, aut in locis, & Cœmeteriis adeo Ecclesiæ proximis, ut ad ipsam pertinere viderentur, sepulcrum habuerunt, effectique sunt, (ut cum Joanne Chrysostomo loquar) Apostolorum, & Martyrum ostiarii. Atque ad ostia quidem ipsa Templorum Viri aliqui pii tametsi amplissima dignitate potiti condi voluerunt. Audivi profecto Thomam Cajetanum, & Nicolaum Schombergium præstantissimos Romanæ Ecclesiæ Cardinales in vestibulo Basilicæ S. Mariæ super Minervam sepulturam sibi elegisse, humilitatis, ut puto, causa, quam quidem virtutem prætulit ille, qui in atrio Ecclesiæ S. Mariæ in Vado Ferrariæ sepeliri voluit hoc sibi posito Epitaphio

[*] cap. 65. §. 4.

D. O. M.
Majestatem domus Dei
ingredi perterritus,
Reverentiæ
ac Metus ergo
Hyeronimus Paulucci
suum hic
Poni jussit cadaver
Anno 1727.
ætatis suæ 76.

Similem fortasse ob causam Augustinus Anglorum Apostolus non intra templum, sed in *porticu* Ecclesiæ *aquilonari decenter est positus* (*) & non intra Templum, sed *prope secretarium* condi voluit Gregorius Magnus.

(*) Beda li. 2. c. 3.

CA-

CAP. LXVIII.

Recensemus emolumenta, & causas aliquas, quibus permoti sunt Fideles, ut locum sepulturæ in Sanctorum Templis eligerent.

I. QUæritur porro, quo modo juventur post mortem Fideles ab hac Sanctorum propinquitate. Nempe si mortem Dei hostes oppetiere, nullum omnino præsidium obtinent: si Deo amici; quodnam provenit emolumentum a propinquitate corporis sacri? cum corpora exanima sint, neque alterum juvari possit ab altero; & si forte juvari possit, cum nullum recipiamus præmium in corpore, nisi quum resurgemus, nullum nobis emolumentum hujusmodi propinquitas videtur afferre.

II. At certe emolumentum aliquod ab ea propinquitate afferri disco, (ut reliqua prætermittã) ex his Ambrosii verbis: (a) „ Habeo plane pignus meum, quod nulla mihi peregrinatio jam possit avellere: Habeo, quas complector reliquias: „ habeo tumulum, quem corpore tegam: habeo sepulcrum, super quod jaceam; & commendabiliorem Deo „ futurum esse me credam, quod supra sancti corporis „ ossa requiescam.

(a) In oratione quæ sic inscribitur *de excessu fratris sui Satyri* n. 18.

III. Nihil hic dico de iis, qui in templi porticu, veluti Sanctorum ostiarii [liceat rursus Chrysostomi verbis uti] sepeliri voluerunt: in ea quippe re summa humilitas, ut dixi, enitet, & eam etiam ob causam mire laudati sunt Constantinus Magnus, & Jacobus ille Maronis discipulus, cujus jam memini. Ut diligi a nobis Sanctos ostendamus, sepulturam eligere in eorum ædibus possumus: ab iis enim quos amamus, neque post mortem avelli patimur. Sic Macrina [quod jam observavimus] commune cum sanctis parentibus suis sepulcrum optavit, quòd vivens illos enixe dilexerat, colueratque.

IV. Atqui etiam sepulturam in Martyrum Basilicis electam, propterea S. Augustinus (b) prodesse monet, quia qui sepelit prope Martyres Fidelium cadavera, patrocinio, tutelæque Martyrum commendare videtur eorumdem Fidelium animas, ideoque deprecari Martyres, ut pro eis orent.

(b) cap. 18. alias n. 22. libri *de cura pro mortuis*.

orent. *Quod vero quisque* (inquit Augustinus) *apud memorias Martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur*. En quale emolumentum putet Augustinus provenire ab hujusmodi sepultura.

V. S. Maximus, cujus alibi verba retulimus, paulo obscurius loquitur. Sed fortasse eo spectat, ut moneat, Martyres, quibus nos viventes commendavimus, & erga quos studium nostrum ut declaremus, apud eos veluti præsides, & patronos nostros sepeliri jubemus; præsidio suo efficere, ut a pœnis inferorum evadamus, vel scilicet obtinentes ne innocentiam baptismalem, dum vivimus, amittamus, vel impetrantes pœnitentiam, & veniam criminum: ea tamen lege, ut divinæ gratiæ per eos impetratæ non obsistamus: nam obsistentibus electa apud eos sepultura non proderit. Eodem etiam præsidio fore speramus, ut pœnæ, quas ob labes aliqua ex parte adhuc superstites in purgatorio dare debemus, leviores, brevioresque fiant. Id multorum judicio indicat Paulinus in versu 605., & subsequentibus quinque Panegyrici Celsi pueri. En illos

Quem Complutensi mandavimus Urbe, propinquis
Conjunctum tumuli fœdere Martyribus;
Ut de vicino Sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purget in igne animas.
Forte etenim nobis quoque peccatoribus olim,
Sanguinis hæc nostri guttula lumen erit.

VI. Aliunde etiam utilis est electio sepulturæ apud Martyrum reliquias. Nimirum, dum facile memoriæ Fidelibus occurrit nomen Martyris, facile etiam memoriæ illis occurrit locus, in quo sepultus est affinis, aut amicus eorum aliquis; & statim pro eodem amico, & affini orant. Id didici ex Augustino in libro *de cura gerenda pro mortuis hæc loquente* (*b*) Cum itaque recolit animus ubi sepultum sit „ carissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris „ venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commen„ dat recordantis, & precantis affectus. Qui cum de„ functis a fidelibus carissimis exhibetur, eum prodesse „ non dubium est iis, qui cum in corpore viverent, ta„ lia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt „ Et mox „ (*c*) Cum ergo fidelis mater fidelis filii defun„ cti corpus desideravit in basilica Martyris poni, si qui-

(*b*) cap. 4. alias n. 6.

(*c*) cap. 5. alias n. 7.

„ quidem credidit ejus animam meritis Martyris adjuvari; hoc quod ita credidit, supplicatio quædam fuit; „ & hæc profuit, si quid profuit. Et quod ad idem sepulcrum recurrit animo, & filium precibus magis „ magisque commendat, adjuvat defuncti spiritum, non „ mortui corporis locus, sed ex loci memoria vivus „ matris affectus.

VI. Ad hæc: qui Martyres oraturi eorum basilicas adeunt, preces pro iis fundere consueverunt, qui in iisdem basilicis sepulti sunt, & non raro pro iis peculiariter fundunt, qui enixius devotionis studium impendêre erga Martyres eos, quorum basilicas adiverunt. Hunc certe ob finem in Apostolorum basilica conditum fuisse Constantinum Magnum testatur Eusebius (d) his verbis „ Sed & aliud quidpiam in mente habens, ædem illam construxit: quod initio quidem obscurum, tandem „ vero omnibus sub finem innotuit. Quippe ipse hunc „ sibi locum post mortem designaverat; incredibili fidei „ alacritate prospiciens, ut corpus suum communem „ cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur: „ quo scilicet precationum quæ in honorem Apostolorum „ ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Simile quodpiam edocuit Gregorius Magnus 4. Dial. (*) cujus nuper verba descripsimus.

(d) lib. 4. de Vita Constantini cap. 60.

(*) cap. 50.

VII. Denique, ut indicemus in ea fide nos emori, quam professi sunt Sancti, in eorum ædibus, & prope illorum reliquias sepulturam eligere possumus, nobisque ex aliqua parte applicare, quæ de Episcopis sub altari sepultis nuper diximus (*).

(*) cap. 65. §. 4.

VIII. Sunt (fateor) qui alia emolumenta adjungant, atque illud in primis, quod cum peculiari præsidio Martyrum commissæ sint basilicæ, in quibus tumulata sunt eorum corpora; defendent Sancti præsidio suo easdem basilicas, ideoque everti non sinent, & diripi: propterea ut sepulcri perennitati consulant, in iisdem basilicis illud eligunt. Ego quidem hujusmodi curam minime reprehendo, at multo sapientiori consilio eligam in Martyrum basilicis, sepulcrum: eas scilicet ob causas, quas nuper memoravi, & hic recolere non est necesse.

IX. At præter hæc sane non levia emolumenta, aliud adducit D. Chrysostomus (e) quod non sepultos, sed sepulcra intuentes, afficit: scilicet ad Ecclesiam convenientes, videntesque sepulcra, ad mortis utilissimam sa-

(e) n. 1. homiliæ in S. Drosidem Martyrem tom. 2. pag. 688.

fane memoriam excitatur. At liceat verbis ipsis Chryfostomi rem exponere ; „ Ac fingulæ quidem „ Martyrum Ecclefiæ lucrum non exiguum præbent iis, „ qui apud eas congregantur, fed præ ceteris omnibus „ ista: fimul enim atque veftibulum quis ingreffus eft, „ confeftim in oculos undique multitudo fepulcrorum „ incurrit, & quocumque refpexerit, capfulas, memo„ rias, & thecas defunctorum intuetur. Neque vero „ mediocriter nobis prodeft ad inferendam animis noftris „ modeftiam, ac philofophiam hoc fpectaculum tumulo„ rum. Animus enim five fegnis fit, hoc afpectu com„ motus, ftatim percellitur: five diligens fit, & excita„ tus, diligentior redditur: five paupertatem quis la„ mentetur, ex hoc ftatim afpectu confolationem perci„ pit: five divitiis intumefcat, humilis fit & contra„ hitur. Hic enim afpectus fepulcrorum unumquemque „ fpectatorum cogit invitum de fua morte philofophari, „ utque nihil in hoc Mundo ftabile effe cenfeat, perfua„ det, feu moleftum fit, feu jucundum: porro is cui „ perfuafum hoc fuerit, non facile peccati laqueo capietur. „ Propterea fapiens admonet quifpiam dicens: (*) *In om„ nibus fermonibus tuis memorare noviffima tua, & in æter„ num non peccabis*: & alter quifpiam his confona loqui„ tur, dum ita confulit: (*) *Præpara in exitum opera tua, & „ præpara te ad iter*: non quod de fenfibus fubjecto iti„ nere verba faciat, fed de difceffu ex hac vita „. Sed quæcunque fuerint, haud leves fane fuerint, neceffe eft, eæ caufæ, quæ Fideles moverunt, ut prope fanctos fepeliri vellent: cum id jam pridem fieri juſſerit Ecclefia (*) adeo ut Martiali crimini verterit Cyprianus (*) *quod filios apud profana depofuerit, & alienigenis confepelierit*.

X. Atque hæc quidem de modis iis, quibus Sanctos ipfos venerari confuevere Fideles, dicta fint hactenus; minus fortaffe convenienter, quàm propofiti argumenti dignitas poftularet, fed tamen (quantum per occupationes noftra tenuitas tulit) diligenter fane, & ftudiofe. Hanc porro unice laboribus meis a clementiffimo Deo mercedem expofco, ut adverfarii ipfi noftri ecclefiaftica dogmata, quæ ad defendendum fufcepimus, valde fundata, ac firmiffima fateantur.

CUNCTA ROMANÆ ECCLESIÆ JUDICIO SUBJECTA SUNTO.

(*) Ecclef. 7. 40.

(*) Pro. 24. 27.

(*) Aliis, quos citavimus, jungendus, eft auctor *libri de Ecclefiaf:hiera.* Dionyfio tributi, parte 2. capitis 7.

(*) in Epifto.68. *ad Clerum, & plebem in Hifpania confiftentes de Bafilide, & Martiale* pag. 256. edit. Venet. anni 1728.

INDEX

Rerum præcipuarum, quæ duabus hisce dissertationibus continentur.

Numerus Romanus Dissertationem indicat; Arabicorum primus Dissertationis Caput, alter paragraphum.

A

An-

B

C

fia

D

E

F

G

Ge-

H

I

L

M

N

O

P

fe-

R

S

San-

Sy-

Synodorum decreta afferimus, quibus constet festis Martyrum diebus siluisse fora, & servilia opera fuisse interdicta. VI. 8. 4. & seqnentibus. Rursus toto nono capite. Quæ adversus hanc persuasionem objiciuntur, afferimus & diluimus, capite 10. Alia quoque Synodorum decreta, veluti Epfordiensis, Enhamensis, & Salegunstadiesis allegantur ad ostendendum consuevisse Fideles prævenire jejunio Sanctorum festivitates. VI. 28. 2. 3. & 4. Quædam veterum Synodorum decreta adversus morem sepeliendi in Ecclesiis Christianorum cadavera afferimus, & explicamus VI. 63. 6 & deinceps.

T

Templa diebus Martyrum solemnioribus ornare jam pridem consuevere Christiani VI. 14. 3. Quam quidem persuasionem nonnulli haud recte putant a sanctis Patribus condemnatam. Ibidem cap. 16. 6. & 7. Templa, atque altaria Sanctorum vocabulo denominare, & dedicare antiquus, probatusque mos est. VI. 40. & 41. Templa quoque, & altaria erexerunt vetustissimi nostri Patres in eorûdem Sanctorum honorem ac memoriam: in quo quidem more nihil est, quod merito displiceat Protestantibus. toto capite 42. Eadem templa sine ulla reprehensione consecrarunt *nomini, & virtutibus Sancti alicujus.* toto capite 43.

Tertullianus allegatur V. 10. 2. Objicitur V. 21. 4. Illustratur V. 22. 6. Haud obscure innuit festis Martyrum diebus Deo Missarum sacrificia fuisse oblata. VI. 1. 6. & 7.

Theophanes Cerameus allegatus. V. 19. 16.

Theodosius Imperator pugnam cum validissimo hoste initurus, ad eam se precibus ad Sanctos fusis præparat. V. 18. 3.

Theodoretus Sanctos eo, quo is vixit tempore, a Fidelibus invocari consuevisse, apertissime edocet. V. 19. 3. Consuetudinem eorum, quibus is vixit, temporum circa festos Martyrum dies describit. VI. 5. 3. In Sacris ædibus prope Martyrum reliquias sepulturæ locum elegit: quo etiam in loco elegisse Maronem, tradit 59. 5.

Theodorus Studita Sanctos invocat, eosque ut invocet, Annam Monacham hortatur. V. 19. 17.

Theodorus Lector festum die Apostolorum Petri, & Pauli hortante Festo Senatore, & Anastasio imperante, majori cum solemnitate celebrari cœpisse tradit. VI. 5. 6.

S. Thomas Aquinas allegatur VI. 37. 2.

Thomasius Cardinalis allegatur. VI. 12. 5. & 7. Rursus cap. 26. 4. & alibi etiam.

Thomassinus allegatur VI. 64. 2. Rursus 67. 2.

Til-

V

Z

FINIS.